This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

3 3433 00104348 2

NEW YORK

*CA

936a5

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS

ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

EDENDI CONSILIVM SVSCEPIT,
SVA NONNVLLA PASSIM ADDIDIT,
PRAEFATIONEM

PRAEMISIT,

FRIDER. OTTO MENCKENIVS,

PHIL. ET IVR. VTR. DOCTOR,
POT. POL. REGIS ET ELECT. SAX. CONSILIARIVS AVLAE,
VRBIS PATRIAE SENATOR, SOCIET. SCIENT. REG.
BORVSS. SODALIS.

VOLVMINIS QVARTI PARS PRIMA.

LIPSIAE,
IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM.
MDCCXLV.

ASTOR LIBRARY NEW YORK

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

Quo olim literarum iuvandarum ſtudio ad edendum *Miſcellaneorum* opus animum appulimus, eodem nunc de proſequendo hoc, &, ſi fieri poſſit, ad omnium utilitatem accommodando, inſtituto cogitamus. Id bonum factum interpretaberis, ſi tu talis es, Lector, qui ſcientiarum artiumque incrementis bene cupiat, & æquo animo ferre eos poſſit, qui, ſui hoc eſſe muneris, intelligunt, vt ad augendum literarum decus, & proferendos ſolidæ doctrinæ fines, ſuarum quicquid virium & facultatum eſt, id conferant. Huius quæ ſit ratio laboris noſtri, & qua huc uſque cura actum ſit a nobis id, quod agendum ſibi exiſtimare bonus quisque debet, iam, ſi quid tibi otii in legendis, quæ foras a nobis data ſunt, *tribus Voluminibus* conſumtum eſt, ignorare non potes. Satis igitur præfati *quarto* huic, ad quod edendum nunc progredimur, *Volumini* videbimur, ſi, eandem huius, quæ priorum fuit, & formam, & materiam, futuram, nec commiſſuros

nos

nos eſſe, ut minus nunc, quam olim fuimus, tui nos ſtudioſos commodi intelligas, vel breviſſime dixerimus. Nimirum ita tibi volumus perſuaſum, non iis tantum viris doctis, a quibus prima huius operis iacta fundamenta ſunt, propoſitum eſſe, talia in poſterum excudere, quæ, tantum abeſt, ut vulgaria, ut vel maxime ſelecta & præclara, debeant putari, ſed his novos etiam haud ita pridem ſocios laborum acceſſiſſe; a quibus levia, aut inutilia, exſpectare, idem eſt, ac meritis eorum, quæ ſumma ſunt, & in omnium verſantur ore, iniuriam non mediocrem facere. His igitur ut proſpere ſuccedat ſuum hoc, conandi bona literisque fructuoſa, conſilium, & ut magis acuatur, quæ nunc ſatis fervet, noſtra omnium induſtria, tu, quæſo, Lector, noſtræ amicus eſſe Muſæ perge, & laboris, moleſtiam habentis non omnino nullam, eam nos ferre mercedem patere, ut tales tibi, quales ſumus, iudicemur, & in nobili hoc munere, quod recta nobis ratio, & amor literarum, impoſuit, ita verſati, ſicut rectum ac honeſtum eſt, dicamur.

INDEX
DISSERTATIONVM,
QVAE
VOLVMINIS QVARTI
PARTE PRIMA
CONTINENTVR:

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Diſſertatio de Ebræis, ad quos Paulus eam, quæ in Novo Teſtamento exſtat, dedit Epiſtolam. Pag. 1-36.

PETRI ZORNII Diſſ. de Reſurrectione Ieſu Chriſti, ex *Pſalmo XVI, 9, 10*, & probata, & vindicata. Pag. 36-41.

M. IO. DAVIDIS MICHAELIS Diſſertatio, ex notione Principis ac Domini, Romanis uſitata, quædam commata Biblica illuſtrans. Pag. 42-56.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI de Alexandro Severo, Imp. Romano, Chriſtianorum ſacris per Gnoſticos initiato, Exercitatio. Pag. 57-94.

I. C. S. Explanatio Epigrammatum quorun-

rundam Græcorum, a *Io. Ienſio* pre
ἀνεκδότοις editorum. Pag. 94-138

VI. EZECHIELIS SPANHEMII Animadver-
ſiones ad Eduardi Herberti de Cherbu-
ry librum de Religione gentilium, nun-
primum editæ. Pag. 138-162

VII. FRID. OTTONIS MENCKENII Sym-
bola critica ad *Livii Lib. XXVII cap.* 8
& *Lib. XLII cap.* 32. Pag. 162-170

VIII. GISBERTI CVPERI ad Theodorum Ian-
ſonium ab Almeloveen Epiſtolæ, ter-
tium continuatæ. Pag. 170-188

I.

IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII DISSERTATIO DE EBRAEIS, AD QVOS PAVLVS EAM, QVAE IN NOVO TESTAMENTO EXSTAT, DEDIT EPISTOLAM.

SVMMA.

§. I. *Paulus eſt Epiſtolæ ad Hebræos autor.* §. II. *Braunius, Ebræos hos fuiſſe per totum terrarum orbem ſparſos, putavit.* §. III. *Lud. Capellus, ſolos Hieroſolymitanos hic in cenſum venire, arbitratur.* §. IV. *Hypotheſeon momenta.* §. V. *Requiſita veritatis, veræ ſententiæ inveniendæ accommodata, enumerantur, eaque maximam partem propria.* §. VI. *Subjunguntur requiſita veritatis communia.* §. VII. *Plenior expoſitio opinionis Braunii, & argumentum ejus prius.* §. VIII. *Argumentum poſterius exhibetur & examinatur.* §. IX. *Progreſſio ad ulteriora.* §. X. *Comparatur opinio Braunii cum requiſito veritatis ſecundo & tertio.* §. XI. *In contentionem adducitur cum requiſito quarto.* §. XII. *Et quinto.* §. XIII. *Et ſexto.* §. XIV. *Et ſeptimo.* §. XV. *Nec non octavo.* §. XVI. *Et nono.* §. XVII. *Atque decimo ex* Ebr. XIII, 11, *ubi de arce Antonia diſſeritur.* §. XVIII. *Additur novum requiſitum ex* Ebr. XIII, 9, 10. §. XIX.

Enarratur Jeſuitæ Joannis Harduini ſententia, §. XX. *Accommodantur requiſita ſingula ad ſententiam Capelli.* §. XXI. *Additur novum argumentum, & ei annectitur epilogus, humanitatis teſtis & index.*

I.

Ebræos, quibus *Paulus*, gentium doctor & Apoſtolorum decus incomparabile, Epiſtolam miſit, ſcientia rerum divinarum pleniſſimam, divinæque originis admirabilitates undique ſpirantem, exſtitiſſe jam Jeſu Meſſiæ aſſectatores, nemo facile dubitat, nemo ignorat. Vltimo ipſa ponitur loco, vel quod ad poſtremos eam ſcripſit, vel quod ii, qui de autore erant aliquamdiu incerti, alium locum ei non eſſe accommodatiorem, credebant. Pervicit probabilis, immo veriſſima, illa ſententia, quæ *Paulo* auctori eam tribuit ac aſſignat. *Clemens Romanus* ipſe hanc præ ſe tulit opinionem, vir ætate *Paulo* fere ſuppar & æqualis. *Clemens* hic ipſe, eam non ſibi, ſed *Paulo*, tribuendam eſſe, docuit, teſte *Euſebio H. E. III*, *38*. Adſtipulati fuerunt huic ſententiæ *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Euſebius*, *Athanaſius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Epiphanius*, *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Hilarius*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, licet alicubi *de Script. Eccleſ. Barnabæ* eam aſſerere videatur, *Ruffinus*, *Auguſtinus*, aliique bene multi, quibuscum conſentiunt Concilium Laodicænum *Can. 54*, Nicænum, & Romanum, A. 373 coactum, nec non Carthaginenſe. Copioſius hæc executus fuit *Ioannes Braunius Commentarii in Epiſtolam ad Hebræos*, Amſtelædami A. 1705, 4, editi, *pag. 10*, & copioſiſſi-

ſiſſime *Fridericus Spanhemius*, filius, in *Diſſ. de Auctore Epiſtolæ ad Ebræos*, quæ exſtat *T. II Operum ſ. 174 ſeq.* Ex hiſce fontibus (a) illi, qui noſtra ætate hoc argumentum tractant, ſitim ſuam reſtinguere ſolent. Nec eſt, quod verbum addamus amplius, ne ſcrinia duumvirorum compilaſſe videamur, neu Purpuratum *Gottium*, ejusque ſententias, transſcripſiſſe exiſtimemur.

II. Quinam vero illi fuerint Ebræi, ad quos *Paulus* miſit illam Epiſtolam, certant Theologi, & adhuc ſub judice eſt. *Ioannes Braunius* nil operæ omiſit, nulli pepercit labori, ut, eos fuiſſe Judæos, Meſſiæ vero aggregatos, huc illuc diſperſos, nec ſolos Hieroſolymitanos, eorumque vicinos, lectoribus ſuis perſuaderet. Credidit autem ipſe, Judæos, Chriſto deditos, per omnem terrarum orbem fuiſſe diſſeminatos ac diffuſos, & ad hoſce *Paulum* illuſtriſſimam illam Epiſtolam miſiſſe. *Ludovicus* e contrario *Capellus*, famoſus ille Criticus, qui de chronologia actionum *Paulinarum* egregie meritus fuit, in ea verſatus eſt ſententia, quæ dictitat, *Paulum* illam Epiſtolam *ad Hebræos*, Jeſu diſcipulos, eosque Hieroſolymitanos, miſiſſe. Si vero anquiritur, in quorum hominum gratiam *Paulus* Epiſtolam illam literis mandaverit, tum nemo unus ambigit, ipſum rationem totius civitatis Chriſtianæ inter ſcribendum habuiſſe. Et hæc poſtrema opinio atque doctrina ſic eſt comparata, ut de ea haud liceat homini Chriſtiano dubitare. Prima vero &

(a) Conf. *Ludov. Vinc. Gotti T. I de Ver. Relig. Chriſtian. p. 286 ſeq.*

ſecunda opinio ſic eſt comparata, ut res intra criticos conſiſtat cancellos, ac impune diſſentire liceat.

III. *Ludovici Capelli* ſententia haud admodum multos nacta fuit aſſectatores, eo quod de punctis vocalibus Hebraicis ipſe ſic ſentit, ut plerisque Theologis merito vapulaverit. Nemo tamen eſt tam obſtinatus & excors, ut neget ideo, reliquas ipſius ſententias eſſe vel tolerabiliores, vel ex parte præclaras & aſſenſu dignas. Quis enim ignorat, ſingulis Patrum primæ eccleſiæ nonnihil nævorum vel in arte critica, vel in dogmatibus ipſis, adhæſiſſe? Nemo tamen tam temerarius rerum eſt æſtimator, quin exiſtimet, egregia multa in ſcriptis ipſorum legi, eaque cedro digna. Id unum mihi in *Capelli* opinione minus probatur, quod ipſe Hieroſolymorum incolas Chriſtianos, eosque ſolos, ob oculos habuit, & his duntaxat autumavit Epiſtolam *Pauli* miſſam fuiſſe. Animum idcirco induxi, ut credam, Judæos, ad Chriſtum collectos, hic illos in cenſum venire univerſos, qui provinciam, *Pilato*, ejusque ſucceſſoribus, demandatam, incoluerunt. Recenſebo primum eas, quibus ad ſic ſentiendum impellor, rationes. Tunc vero ad diſpiciendam *Braunii* opinionem me accingam, cujus meritis ac induſtriæ omnem habeo honorem, quamvis hic ab eo diſſidere cogar. Non mihi res erit cum illis, qui *Braunium* vel exſcripſerunt, vel ſuo Marte defendere conati ſunt. Invidioſum eſt & incommodis variis refertum id inſtituti, quod in examinandis ac diſcutiendis virorum doctiſſimorum, qui inter nos vivunt, & quibuscum verſandum eſt, poſitum videtur. Et hæc

eſt cauſa, cur ſententiam *Braunii* lubeat in plenam lucem collocare, nervisque & artubus inſtruere, ut eó luculentius intelligatur, nos ſolius veritatis cauſa velle omnia, nec commilitonibus noſtris, civitatique Dei æque adſcriptis, vel ipſorum honoribus & meritis, quidquam detrahere. Valeant illi, resque ſuas ſibi habeant, qui ita amore ſententiarum, ſemel arreptarum, & ex commentariis illuſtrioribus hauſtarum, devincti ſunt ac irretiti, ut diſſentientes ferre nolint, vel veritatem ipſam de fama, quam ſiniſtre aucupantur, vel quam aliis invident, ſuſpenſam, vel ſuſpendendam, eſſe arbitrantur. Cardo rei hic vertitur in uſu regularum Logices, quæ de Probabilium indole expoſuit. Has niſi Exegetæ excoluerint, & in promtu habeant, ipſi non poſſunt non umbris & lamiis opinionum circumferri, ac commentatorum manere jumenta, & inſtar ignium fatuorum volitare.

IV. Qui hypotheſes effingunt, vel formant, ut in complexum arcemque veritatis invadant, eorum modus ratiocinandi & agendi flagitat, ut phænomena vera, & extra dubitationem poſita, præmittant, ac deinde opinionem, quam animo ſuo informarunt, ad ea ſingula & univerſa componant. Simul ac ipſi omnia phænomena, ſeu requiſita, ſolicite conquiſita & modo obvia, comparant cum opinione, pro arbitratu aſſumta, & hanc ad ſingula & univerſa, ad amuſſim veluti, quadrare intelligunt; tunc quidem iidem ſibi perſuadent, ſe in veritatem incidiſſe, ac exclamare poſſe illud famoſum εὕρηκα. Sin vero nonnihil phænomenorum opinioni, tantiſper aſſumtæ, prorſus repugnat, vel

cum eis in concordiam redigi nequit; tum indicio ſumus inſtructi haud fallaci, opinionem, pro arbitrio delectam, omni deſtitutam eſſe veriſimilitudine. Præmittemus itaque phænomena, ad quæ reſpiciendum eſt illi, qui quæſtionem propoſitam expedire, ac juſta debitaque ratione extricare, conatur. En itaque illa!

V. Epiſtola, de qua quæſtionem ſuſcepimus tractandam, 1) ſcripta eſt ad Ebræos, 2) haud multo ante *Pauli* mortem, quam *Paulus* norat (*) ſibi inſtare *2 Tim. IV, 6,* 3) & quidem ad illos Ebræos, ad quos *Timotheus* cum *Paulo* veniendi ceperat conſilium, (*Ebr. XIII, 23,*) 4) ad quos ſalutatio fratrum, id eſt, Chriſtianorum, inter quos erant Ebræi ad ſalubriora converſi, perferebatur, Chriſtianorum ſcilicet *ex Italia*, (*Ebr. XIII, 24,*) 5) qui admonendi erant, ne crederent, ſibi unquam in ſua regione urbem fore ſtabilem, (*Ebr. XIII, 14,*) 6) qui ab inſectatoribus inſignem bonorum ſuorum jacturam fuerant perpeſſi, (*Ebr. X, 34,*) & 7) proxime viſuri erant *venientem illum*, Meſſiam Jeſum, de illis poenas ſumturum (*Ebr. X, 37,*). *Paulus* miſit Epiſtolam hanc eis, 8) qui ſuis propriis gaudebant doctoribus, (*Ebr. XIII, 24,*) eisque doctrina & ſanctitate conſpicuis (*v.* 7). Miſit *Paulus* ad eos haſce literas, quibus 9) ocyus ſe reſtitutum iri ſperat (*v.* 19). Vnde efficitur cogiturque, *Paulum* inter hos Ebræos, ad quos miſit Epiſtolam, jam antea fuiſſe verſatum, eosque non per

(*) Quatuor annis fere poſt miſſam Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, ni tribus duntaxat.

per omnem terrarum orbem habitaſſe, ſiquidem hunc Apoſtolus haud peragraverat univerſum, nec, exceſſu inſtante, omnino poterat obire. Miſit *Paulus* Epiſtolam ad eos, quorum 10) doctores omnes norat, non dubitans, eos menſuram muneris demandati implere, ac obſequio dignos eſſe, nec non pro ſalute mentium ſibi creditarum fideliter excubare (*v. 17*), ipſorumque fidem eſſe imitatione dignam (*v. 7*). Dantur præterea veritatis requiſita prorſus ſingularia. Nonne enim *Paulus*, dum, Ebræos ad ſanguinem Jeſu, melius ac validius loquentem clamantemque, veniſſe, ſcripſit *XII, 14*, ſignificaturus fuit, eos, qui ſanguinem Jeſu effuderunt, proxime punitum iri? Nonne ipſe Ebræos hoſce docuit, mutabilem eſſe *Moſaicam* œconomiam, eamque propediem regno Chriſti, quod futurum ſit immutabile, locum eſſe relicturam, *XII, 26, 27*? Hinc cognitu eſt facillimum, *Paulum* miſiſſe eis 11) Epiſtolam, qui delectui ciborum & altari fuerant addicti *XIII, 9, 10*, & qui 12) poterant cum Jeſu, portam egreſſo ad ſupplicium, atque intra prætorium παρεμβολῆς citra jus fasque condemnato, egredi arce Antonia, ſeu παρεμβολῇ, ipſisque Hieroſolymæ portis, atque cum Jeſu in ſocietatem ignominiæ venire, *XIII, 12, 13*.

VI. Requiſita veritatis communia magis eſſe hæc, facile eſt intellectu. *Paulus* Epiſtolam miſit 13) eis, qui ſolidius erant de excellentia Meſſiæ Θεανθρώπου, principatum & ſublimitatem angelorum ſuperante, erudiendi; 14) eis, inquam, qui de cultu Levitico & œconomia *Moſaica* proxime intercidente erant condocefaciendi; 15) eis, quorum

rum intererat noſſe, Hieroſolymam, ac templum, ibidem exſtructum, paucis inde poſt menſibus, vel annis, delectum iri, 16) ſacerdotio autem *Melchiſedeciano* & œconomiæ Meſſianæ locum eſſe relinquendum & faciendum, ideoque 17) reditionem ad Judaiſmum fore & noxiam et calamitoſam. Hæc ſunt omnia & ſingula veritatis requiſita, e quibus cognoſci & perſpici poteſt, quænam fuerit illa eccleſia, cui *Paulus* Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, miſit.

VII. *Joannes Braunius* ſibi perſuaſerat, Ebræos hoſce fuiſſe univerſos Iudæos, per omnem terrarum orbem doctrinæ Jeſu aggregatos, eaque imbutos. Præcipua ipſius argumenta, cur ita ſenſerit, ſunt potiſſimum duo. Prius deſumit ex nomine ipſo & indole Ebræorum, qui ea ætate fuerint huc illuc diffuſi, diſperſi, ac disjecti, e. g. per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam, *1 Pet. I, 1.* *Jacobus Minor* ſcripſit Epiſtolam duodecim tribubus, quæ in diſperſione degebant, *Iac. I, 1.* Judæi, qui agebant ἐν τῇ διασπορᾷ, diverſi fuerunt ab eis, qui intra Judæam habitabant. Ii vero, qui extra Palæſtinam paſſim domicilia fixerant, vel peregre agebant, effuderant ſeſe per optimas & florentiſſimas Europæ & Aſiæ regiones, per inſulas æque ac terras continentes, omnesque venerabantur caput urbium ſuarum Hieroſolymam, ac ſacrum ibi templum. Teſtis eſt hujus rei *Philo* in *Flacco p. 971, E*, ac in *Legatione ad Cajum p. 1031, 1032.* Memorabilia ſunt loci ultimi verba: *Si exiguam partem Babyloniæ & aliquot alias regiones minores exceperis, vix ulla*

in-

inſignioris nota regio appellabitur, in qua non ſint incolæ Judæi. *Ioſephus* eadem confirmat, pronuntians: *Non eſt populus in orbe, qui non quosdam veſtratium* (Judæorum) *habeat.* Vide ejus *de Bello Iud. Lib. II cap. 16.* Idem *Ant. Iud. Lib. XI cap. 5* *§. 2* ita diſſerit: *Decem tribus adhuc ſuperſunt trans Euphratem, tam inſigni multitudine, ut numerum ejus inire non liceat.* Copioſius de Judæis diſperſis expoſuit *Nathanael Lardnerus* (b). Judæos habitaſſe Pentecoſtali tempore Hieroſolymis, viros devotos, ex omni genere ſub cœlis, autor eſt divinus ſcriptor *Lucas Act. II, 5,* quem locum Vir Pl. Rev. Fautor præſtantiſſimus, *Ioannes Chriſtianus Biel,* in *Bibliotheca Bremenſi* egregie illuſtravit. Id vero negligendum haud eſt, Apoſtolos æque ac ſcriptores Judæos per contribules ſuos Judæos *τȣ̀ς ἐν τῇ διασπορᾷ, diſperſos,* deſignaſſe eos, qui extra Palæſtinam commorabantur. Quod ipſum pateſcit ex hiſce precibus ſacerdotum Palæſtinorum 2 *Macc. I,* 27: Ἐπισυνάγαγε τὴν διασποϱὰν ἡμῶν, ἐλευθέρωσον τȣ̀ς δȣλεύοντας ἐν τοῖς ἔθνεσι, τȣ̀ς ἐξȣθενημένȣς καὶ βδελυκτȣ̀ς ἔπιδε, καὶ γνώτωσαν τὰ ἔθνη, ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς ἡμῶν. *Collige multitudinem gentis noſtræ diſperſam, in libertatem aſſere eos, qui inter gentes ſervitutem variam ſerviunt, vilipenſos et pro execrabilibus ac abominandis reputatos reſpice, ut agnoſcant gentes illæ, te eſſe illum Deum noſtrum.* At vero *Paulus* non meminit diſperſorum Judæorum, non recordatur *διασποϱᾶς*, dum Ebræis mittit Epiſto-

 lam,

(b) In *Fide Hiſtoriæ evangelicæ Lib. I cap. 3 p. 184 ſeq.* edit. Bremæ, 1733, 8.

lam, ipſis inſcriptam. Prius itaque argumentum *Braunii* ea eſt indole, eo eſt nervo, ut inde nihil roboris poſſit deſumi, vel ſperari.

VIII. Poſterius *Braunii* argumentum e loco *2 Petr. II, 15*, deſumtum eſt. *Petrus* ibi docet, Chriſtianorum eſſe, tarditatem Domini noſtri ad vindictam habere pro ſalute, *quemadmodum*, addens, *dilectus noſter frater Paulus ſecundum ſapientiam ipſi impertitam vobis ſcripſit haud ſecus ac in omnibus epiſtolis, diſſerens in illis de hiſce.* Num vero hæc nominatim trahenda ſunt ad Epiſtolam, Ebræis inſcriptam? Scripſit *Petrus* miſitque alteram Epiſtolam eis, ad quos priorem dederat, *2 Pet. III, 1.* Non refragamur, non repugnamus. At prior *Petri* Epiſtola data eſt ad electos, peregre commorantes, & diſperſos, Judæos, qui Ieſu nomen dederant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, *1 Pet. I, 1.* Hi certe Iudæi non conſtituerunt Ebræos omnes, ſive Palæſtinos ſimul, ſive ſolos diſperſos, ſpectaveris. Et ubinam, obſecro, in Epiſtola, Ebræis inſcripta, leguntur illa verba: Τὴν τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν μακροθυμίαν σωτηρίαν ἡγεῖσθε, *Tarditatem vindictæ, quam Dominus noſter præbuit ac adhibet, exiſtimate ac interpretamini ſalutem.* Senſus eſt: Differt Jeſus, dominus noſter, pœnam, ab improbis commeritam, ut omnes ad ſaniora alliciantur, ac ad frugem redeant. Sententia, ſi articulos ipſorum verborum conſideraveris, in Epiſtola, Ebræis inſcripta, haud legitur. Reſtat itaque quæſtio, an verba illa ratione ſenſus, quem ipſa exhibent & complectuntur, in illa præſto ſint Epiſtola. Affirmas hæc, qui *Braunio* pollicem pre-

mis.

mis. Et non ſolum, id ipſum ſic eſſe, affirmas, ſed negas etiam, literas illas *Pauli*, ad Judæos diſperſos datas, intercidiſſe. Primo quidem animadvertendum eſt, ſententiam illam, ſi ad ſenſum ejus logicum reſpexeris, in Epiſtola, Ebræis inſcripta, haud legi. Tum vero id non eſt de nihilo, fieri haud poſſe, ut exiſtimemus, Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, datam eſſe ad Judæos, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, diſperſos. Poſthæc memoratu dignum eſt, Epiſtolam ad Galatas, ad Coloſſenſes, ad Epheſios, datam in cenſum venire; ac ita in eccleſia prima tuliſſe conſuetudinem, ut Epiſtola, ad unam eccleſiam ſpeciatim data, e veſtigio deſcriberetur, ac cum vicinis communicaretur. Patet ſatis, atque luculente intelligitur, illud inſtitutum ex *Col. IV*, 16. Conferatur Cel. *Kieslingi Diſſ. de Primitivæ Eccleſiæ ope literarum communicatoriarum connubio*, Lipſ. 1745, 4. Id ſi obſervaveris, memoriæ tuæ occurrent illa *Rom. II*, 4, 1 *Tim. II*, 4, licet nihil impedimento nobis ſit, quo minus pronuntiemus, Epiſtolam illam *Pauli*, ad Iudæos diſperſos ſcriptam, ad quam *Petrus* reſpicit, cum prima ad Corinthios data, ac nonnullis aliis, intercidiſſe. Quis exiſtimabit, eccleſiam, ubique collectam, hiſce indiguiſſe? Quis contendet, lectas fuiſſe in epiſtolis deperditis doctrinas, quæ in aliis N. T. libris haud inculcantur? Si illa *Petri*, de *Paulo* allata, verba evidenter & indubie ad Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, ſpectarent, primi Patres ex parte fuiſſent pepones, fungi, truncique, quippe qui Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, nunc *Clementi Romano*, nunc *Barnabæ*, nunc

Lu-

Lucæ, attribuerunt autori. Vide *Hieronymum* in *libro de Viris eccleſiaſticis Cap.5*, & ibi Notas virorum doctiſſimorum, in B. *Ioannis Alberti Fabricii Bibliotheca eccleſiaſtica p.35 ſeq.* inveniendas. Quis vero primos Eccleſiæ Patres pro ſtipitibus ficulnis & truncis reputare ſuſtinebit? Nec deſunt ſeculo noſtro ingenia ſumma, quæ *Paulo* Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, attribuere recuſant, licet ipſis locus ille *Petrinus*, ad quem *Braunius* provocavit, ſit omnino notus ac percognitus. Eſt mihi tanti, Lectores, invidiæ cuiusdam falſæ atque iniquæ tempeſtatem ſubire, dummodo ab optimis nonnullis Patribus ac viris præſtantiſſimis hujus inertiæ ac intentatæ ignorationis ſuſpicio depellatur.

IX. Progrediendum nobis eſt ad enumerata veritatis requiſita, ut cognoſcamus, an opinio *Ioannis Braunii* cum eis componi, & in concordiam redigi, poſſit, nec ne. Si quid mihi judicando aſſequi licet, ea quidem ad requiſita veritatis communia, & loco poſtremo enarrata, quadrat, reliquis vero phænomenis, ſeu requiſitis, adverſa repugnat fronte, & e diametro obſiſtit. Simul ac fecero periculum, & *Braunianam* ſententiam cum eis in contentionem adduxero, lis erit perorata, & illa *Braunii* fictio ſatis ſuperque exploſa, ut mihi quidem videtur. Aggrediemur itaque illam comparationem, ut, ea debite defuncti, meliorem circumſpicere ſententiam, quæ omnibus requiſitis congruit, poſſimus.

X. Requiſitum veritatis ſecundum ac tertium nos docent, *Paulum* fuiſſe de inſtante obitu ac exceſſu ſuo convictum, nihilo minus tamen ce-

piſſe conſilium ac deſtinationem videndi eos Ebræos, ad quos literas mittebat. *Braunius* itaque & ejus aſſectatores debent largiri, *Paulo* fuiſſe animum, omnia illa loca, in quibus Iudæi per totum terrarum orbem commorabantur ac incolebant, id eſt, pleraque Europæ oppida & loca, Africam, Libyam, Aethiopiam, Aegyptum, Babyloniam, Parthienen atque Perſida, Indiam, Mediam, Elymaida, Meſopotamiam, Syriam, Cappadociam, Pontum, Ciliciam, Piſidiam, Lycaoniam, Phrygiam, Bithyniam, Aſiam, Cyprum, Rhodum, Phœnicen, Cretam, Græciam, Thraciam, Triballos, Epirum, Illyricum, Pannoniam, Italiam, Siciliam, Meliten, Sardiniam, Corſicam, Gallias, Hiſpanias, & ipſius Germaniæ auſtralis partem haud exiguam, peragrare. In hiſce enim regionibus habitarunt paſſim *Judæi*. Vide Epiſtolam *Agrippæ* apud *Philonem de Legatione ad Cajum p. 1031 ſeq.* Maxima horum Iudæorum pars paſſim Chriſtianam religionem dudum fuerat amplexa. Quis, obſecro, animum inducet ad credendum, *Paulum*, morti vicinum (*), haſce terras obiturum fuiſſe? Num venire in eas regiones conſtituit *Timotheus* cum eo? Non cadit in hominem unum, ne dicam, ſenem, exceſſuique vicinum, tantum iter, tanta per maximam obis terrarum peragratio, tantus viarum anfractus.

XI.

(*) *Joannes Pearſonus* in *Annalibus Paulinis* miſſionem Epiſtolæ, Ebræis inſcriptæ, collocat in annum aeræ vulgaris 63, poſteriorem, *Timotheo* miſſam, in annum 67. Vide ejus *Opera poſthuma p. 12 ſeq.*

XI. Intueamur, obſecro, poſthæc requiſitum veritatis quartum. Fratrum ex Italia ſalutationem *Paulus* nuntiat Ebræis, quibus Epiſtolam miſit. Fratres illi ex Italia procul dubio non ex ſolis ſimulacrorum cultoribus Ieſu fuerant aggregati. Deſignantur omnino ii ſimul, qui ex Iudæis ad doctrinam Jeſu acceſſerant. Ad eos vero haud ſcripſit epiſtolam *Paulus*, a quibus & quorum nomine impertiit eis, ad quos ſcripſit, ſalutem. At *Braunius* contendit, Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, ſpectare ad univerſos Iudæos, Jeſu aggregatos, quaquaverſum per omnem terrarum ambitum commorantes. Id ſi veritati conſonaret, eis quoque *Paulus* miſiſſet Epiſtolam, quorum nomine eos, ad quos illam miſit, ſalutari voluit. Quis vero eſt, quem fugit hujus rei abſurditas & inconvenientia?

XII. Admonet eos *Paulus*, quibus mittit Epiſtolam, ne credant, genti ſuæ externam quandam, eamque ſtabilem, eſſe urbem, *Ebr. XIII, 14*. Ebræis in Libya ac Aethiopia, ad Ieſum vocatis, haud potuit ſuccurrere, vel incidere, illa opinio. Cur enim ipſi figuraſſent ſibi animo urbem manentem ac ſtabilem? Chriſtiani autem, Judæam habitantes, ea ſententiæ, a Judæis effictæ, larva decipi ac ineſcari poterant eo facilius, quo magis templum Hieroſolymitanum ipſis erat proximum, eorumque oculos & animum movebat. Diſcipuli Jeſu ſtupebant ipſi, ac admiratione percellebantur, dum templi illius pulchritudinem & munimenta contemplabantur, *Matth. XXIV, 1, Marc. XIII, 1, Luc. XXI, 5*. Docuit vero Ieſus eosdem, templum

id devaſtatum & dirutum iri. Repetivit illud vaticinium *Stephanus*, uti quidem colligi poteſt ex *Act.* *VI*, *14*. Repetivit illud *Paulus* *1 Theſſ.* *II*, *16.* *Tit.* *I*, *16*. Judæi e contrario, Meſſiæ genuino infeſti, irriſerunt hoc vaticinium, gloriati & dictitantes, illud adhuc ſtare illæſum, ac ſtaturum ad ſeculorum perpetuitatem. Licet vero verpi illud ubique potuerint crepare, nusquam tamen id argumenti fuit efficacius ac luculentius viſum, quam in eo loco, ubi templi forma & munitio iſta eximia ac incomparabilis indies & incolarum & accolarum oculos perſtrinxit atque commovit.

XIII. Miſit *Paulus* eis Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, qui famæ bonorumque detrimenta admodum magna ceperant, *Ebr*. *X*, *34*. Quis vero ignorat, ea ætate nondum perſecutionem, a *Nerone* in Chriſtianos expromtam, accidiſſe? Quis contendet cum ulla veriſimilitudine, univerſos Chriſtianos, ex Judæis adſcitos, jam tum ea ætate divexatos, boniſque ſuos ſpoliatos, fuiſſe? An univerſalis ejusmodi perſecutio ab omni ſcriptorum multitudine fuit omiſſa? Cur nemo eam in annales retulit? Primus de Chriſtianis inſectandis ac ſummovendis *Nero*, poſtquam hæc Epiſtola jam erat ad Ebræos data, leges tulit. Denuo proinde ſententia illa *Braunii* laborat, ſuisque deſtituitur argumentis. Falluntur porro, qui ſibi perſuadent, in omnes omnino Chriſtianos perſecutionum publicarum temporibus promiſcue ſævitum eſſe. In una & altera regione ad brevius temporis intervallum inſectatio ejusmodi locum habuit. In univerſis regionibus ſimul Chriſtianos, ex Ebræis allectos,

tum

tum intra Romanum orbem, tum extra eum, ad infamiam, direptionem bonorum, & vaſtationem, vocatos fuiſſe, nemo ſanus, niſi me mea fallit opinio, ſibi perſuadebit. Si qui ſunt, qui auctoritate commoventur, eis commendamus aureas Ven. *Io. Laur. Moshemii Institutiones Hiſtoriæ Chriſtianæ majores*, & quidem earum *Seculum primum P. I Cap. 5 §. 6 & 15 p. 117 ſeq.*

XIV. Cum *Paulus* inſectationum, quibus Ebræi, ad quos dederat ipſe Epiſtolam; infeſtati ac preſſi fuerant, meminiſſet, ſubjecit hæc ſtatim X, 37: *Ἔτι μικρὸν ὅσον ὅσον, ὁ ἐρχόμενος ἥξει, καὶ οὐ χρονιεῖ, adhuc exiguum* temporis reſtat, *quantulum!* tum *veniens ille* (Jeſus Meſſias) *veniet, nec tardabit.* Quantulum illud alibi vocatur $3\frac{1}{2}$ temporis intervallum. Effluxere poſt hanc Epiſtolam miſſam ad excidium Hieroſolymitanum ſeptem fere anni. In *Apocalypſi Ioannis*, anno 66 ſcripta, brevius temporis ſpatium definitur. Supererant enim tunc anni quatuor, iique octava parte truncati, cum Hieroſolyma, ejusque templum, delerentur. Maximum hoc eis erat conſolationis ac confirmationis documentum Chriſtianis, qui Hieroſolymæ, ac in provincia circumjacenti Romana, ſeu procuratoria, ſedes habebant. Reliquis Ebræis, ad Chriſtum deductis, hoc argumentum adeo gratum & accommodatum videri haud poterat, quippe qui Hieroſolymam, in terris prædicabilem, haud admodum cogitabant, nec ejus adſpectu in dies commovebantur. Accolis vero & incolis Hieroſolymorum quotidie ea objectio ingerebatur, aurESque perſonabat, quæ a ſtabilitate templi & cerimonia-

rum

rum *Moſaicarum* perpetuitate conficta petebatur. Ebræi, ad ſaniora Ieſu decreta traducti, magnam partem tam remoti Hieroſolymis vivebant, ut ipſos oblectaret libertas ab anniverſario itinere & ſumtu eo usque faciendo. Non morabantur ipſi memoriam Hieroſolymæ, ſed potius eam voluntaria oblivione conterebant.

XV. *Paulus* norat, doctores eorum, quibus Epiſtolam mittebat, Ebræis inſcriptam, ſaluberrima doctrina & prædicanda morum integritate eſſe commendabiles; fidemque ipſorum & exceſſum præconio ſuo extollebat, *Ebr. XIII*, 7, 24. Quis vero aſſeverare auſit, ipſum noviſſe doctores Ebræorum, Chriſto aggregatorum, per totum terrarum orbem habitantes? Non cadit ea notitia in intelligentiam hominis ullius. Ignorabat *Paulus* pleraſque doctorum Chriſtianorum, quaquaverſus habitantium, vitas, virtutes, mortes. At norat ipſe doctores Hieroſolymitanos, & eos, qui in proximo degebant. Adde, quod ipſe tacitus in ſinu ſpem fovebat, gaudebatque, fore, ut eis reſtitueretur, & ad eos rediret, *v. 19*. An ipſe ubique terrarum inter Ebræos Chriſtianos commoratus fuerat? Anne ad eorum ſingulos erat rediturus? Non crediderim, quemquam tam fore impudentem & pervicacem, ut hæc cogitatio mentem ejus ſit pertentatura, vel ſubitura. Perpendite hoc momentum, qui *Braunium* intrepide & ſecure in chartas tranſcribitis, ejusque ſententiæ pretium ſtatuitis invictum & inexſuperabile. In eam autem ſpem venio, fore, ut, argumentis hiſce ſecretiori æquitate penſitatis, nuntium *Braunio* mittatis, &, ab ipſo ſece-

dentes, transſugiatis in caſtra *Ludovici Capelli*. Ea enim non pergetis ſuffragio veſtro dignari, quae a requiſitis veritatis, ab ipſo Apoſtolo perſcriptis, plane ſunt aliena, & toto inde diſcrepant coelo, niſi malitis ingenio veſtro abundare, ac vos permittere obſtinationi.

XVI. Et quid multa? Memorabilia ſunt illa, quae de delectu ciborum *Moſaico*, de altari, ac de manente urbe, *Paulus* ſuis Ebraeis inſtillat, *Ebr. XIII*, *9*, *10*, *14*. Spectant ea ad oeconomiam *Moſaicam* & eum locum, qui altare oſtentabat, & ſua ſe ſtabilitate efferebat. Repraeſentat *Paulus* Ebraeis illis paſſim doctrinam cerimoniarum Leviticarum, quae in dies Hieroſolymis expediebantur & obſervabantur. Licet ipſi alias res etiam fuiſſet cum Ebraeis, ad Ieſum converſis, nunquam tamen ipſe de cultu Levitico tam exquiſite & graphice fuit commentatus. Credimusne, rationem huius inſtituti dari nullam, nec ipſum ob oculos mentemque ſibi poſuiſſe locum, qui cerimoniis illis erat refertus? Sed urgent nos maiora argumenta, eaque firmiora, licet hanc animadverſionem exiſtimaverimus nullam. Nec tamen id de nihilo eſt, quod *Paulus* rituum & vitiorum rationem habet, quibus in eo loco erat locus, ad quem literas ſuas mittebat. Ire in rem praeſentem, & exempla ſuppeditare, iuvat, ne quid lucis deſit obſervationi noſtrae. *Paulus* perverſam Romanis exprobrat venerem, quippe Romae inprimis cultam & exercitatam, *Rom. I*, *26*, *27*. Confer *Horatii Carm. I Od. 4 v. 28*, *Salluſtium de Coniuratione Catilinae Cap. 13*, *Ciceronis Orat. II in L. Catilinam Cap. 4*, & alios,

alios, ac inter eos *Petronium Arbitrum*, atque *Plinium Lib. VII Epiſt.* 4. *Paulus* Corinthiorum notat Philoſophos, Græciæ amatos, *1 Cor. I, 21, 22*, ac ſectas formandi ſtudium, quod diſcipuli Philoſophorum amabant *III, 22, 4 - 6*. Confer Ven. *Ioannis Laurentii Mosbemii Diſſ. de Origine contentionum inter Corinthios*, Helmſtad. 1726, 4. *Paulus* alludit ad munerarios, qui in ſpectaculis publicis morti exponebantur, & erant ἐπιθανάτιοι, *1 Cor. IV, 9*. Damnatorum ludos memorat *Plinius Lib. X Epiſt. 40*, ac de munerariis mentionem iniicit *Cyprianus*, *de Opere & Eleemoſyna* commentatus *p. 206*. *Paulus* per vocem γυμνητεύομεν reſpicit *IV, 11*, ad pugnas gladiatorum, nudo corpore in ludis præliantium. Ipſe ſe accenſet περικαθάρμασι τȣ̃ κόσμȣ, ac ſeſe πάντων περίψημα appellat *IV, 13*. Viliores homines a Græcis calamitoſo tempore publice emebantur, ac hi illos, ut calamitatem expiarent, in mare præcipitabant. *Piacularem hominem Plautus* vocavit hominem eiusmodi. Confer *Suidam* in Voce Περίψημα. Notat *Paulus* Gnoſticos Corinthiorum *VIII, 1*, quorum ibi magna ſeges ſuccreverat, teſte *Clemente Romano* in Epiſtola, ad Corinthios data, §. *41 p. 170*, & §. *48 p. 174* edit. *Cotelerii*. Phraſin, ἐκ τȣ̃ εὐαγγελίȣ ζῆν, *IX, 14*, egregii Scriptores exponunt ex ritu Græcorum, qui prœmia, nuntiis data, præcipue coronas & ſacrificia, pro victoriis oblata, vocabant εὐαγγέλια, *Meurſio* teſte *Miſcell. Lib. III cap. 2*, *Græc. feriar. Lib. III*. Conf. *Friderici Adolphi Lampii Diſſ. de Titulo Evangelii Ioannis* §. *25 p. 16*. Et quid evidentius eſt, quam quod

Paulus ad ſtadii curſores, atque ad athletas & pugiles Græcorum, alludit *IX, 24 ſeq.*? Confer *Cotelerium* ad *Clementis 2 Epiſt. ad Corinthios p. 186 Tom. I Patrum Apoſtol.* Cultum Deaſtrorum Corinthiacum *Paulus* reprehendit & damnat *X, 14.* Ad cymbala & aes tinniens Græcorum reſpicit *Paulus XIII, 1.* Conf. *Frid. Ad. Lampii* librum *de Cymbalis*, nec non *Fortuita ſacra*, quibus Commentatio de Cymbalis adjecta eſt, laudata in ephemeridibus Gallicis *Iourn. des Sçavans ann. 1729 Ian. p. 53 ſeq.* Pauciora habet *Ioannes Henricus Majus*, filius, in *Obſervat. ſacr. Lib. IV Diſſ. XII. Paulus* in Epiſtola, ad Galatas data, paſſim reſpexit ad Galatarum mores ac ritus. Conferatur *Plevierii* in eam Commentarius, & *Gottlieb Wernsdorffii* liber ſingularis *de Republica Galatarum*, Noribergæ A. 1744, 4, evulgatus. In Epiſtola, ad Epheſios data, exſtant nonnulla, quæ ex moribus ritibusque Epheſiorum & Aſianorum demum ſunt explicabilia. Otia hic nobis fecit M. *Gottlob Frider. Gude* in *Commentatione de Eccleſiæ Epheſinæ ſtatu* Lipſ. 1732, 8. Vt ceteras iam quoque *Pauli* Epiſtolas delibemus, ſupervacuum videtur. Nemo enim eſt, qui neget, doctrinas *Pauli* ad oeconomiam *Moſaicam*, & Leviticum, Hieroſolymæque vigentem, cerimoniarum cultum, in Epiſtola, Ebræis inſcripta, præcipue referri. Addemus vero argumentum novum, quod, ubi dextre fuerit expoſitum, utramque paginam facit. En illud.

XVII. Monet *Paulus* Ebræos, ut imitentur exemplum Ieſu, qui lubenti ac patienti animo in prætorio *Pilati* iniquitatem judicii, in ipſum promul-

mulgati, tulerit, ac illud portamque Hieroſolymorum egreſſus ſit, ut deſtinatum ſibi ſupplicium lueret extra portam. Ne quis vero putaret, hunc actionis modum typis carere, *Paulus* præmiſit typum luculentiſſimum, ita docens *Ebr. XIII, 11*: *Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.* Typo *Paulus* ſubjunxit antitypum *v. 12*, ſic apud Vulgatum interpretem Latinum orationem perſequens: *Propter quod Ieſus, ut ſanctificaret per ſanguinem ſuum populum, extra portam paſſus eſt.* Tunc pergit: *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.* At in quibusnam caſtris erant illi Ebræi? E quibusnam caſtris, obſecro, illis erat exeundum? Corpus vaccæ rufæ erat intra Iſraelitarum in deſertis caſtra, & exinde erat abigendum. Legimus præterea *Lev. VI, 30, XVI, 27*, juvencum piacularem ac hircum piacularem, cujus ſanguinem Pontifex ſummus die expiationis ſolennioris feſto in templi penetrale intimum intulerat, non ceſſiſſe Iſraelitis in cibum intra templum, ſed extra fuiſſe eductum, ibique prorſus igni concrematum. Verba proinde illa *extra caſtra* hoc loco ſignificatum ſuppeditant cummaxime proprium ac nativum. Piacularia illa animalia mortem perpeſſa ſunt *extra caſtra*, extra portas caſtrorum Iſraeliticorum. Ieſus æque, illaturus ſanguinem ſuum in adytum cœleſte, eoque nos expiaturus, extra portam paſſus eſt, poſtquam caſtris exierat. Addo hæc conſulto, *poſtquam caſtris exierat*, ſiquidem ſtatim addidit *Paulus* hæc: *Exeamus ad eum extra*

caſtra. Ieſus in arcem Antoniam de nocte fuerat deductus & abreptus, ibique in prætorio morti fuit adiudicatus, morti in cruce perferendæ. *Arx* illa *Antonia* vocabatur *παρεμβολή*, eo quod formam caſtrorum quadratam, prætorium, & alia caſtrorum requiſita, referebat. Exempla huius denominationis ſuppetunt lectori ex *Act. XXI, 34, 37; XXII, 24, XXIII, 10, 16, 32.* Vocabatur illa arx olim ante exilium Babylonicum הֲבֵרָה, *caſtellum,* ac poſthæc *Baris.* Vtrique nomini eadem eſt poteſtas, idem ſignificatus. בִּירָם, *Biram*, *πέργαμον*, *πύργος*, **Burg**, legitur *1 Chron. XXIX, 19.* Cl. *Ikenius*, junior, oſtendit, locum deſignari per *Biram*, qui ſucceſſu temporis appellatus fuit arx *Antonia.* Vide *Supplementa ad Nova Eruditorum Acta T. III Sect. I p.* 47. Sita erat illa verſus boream templi in petra admodum edita ac ſublimi. *Joannes Hyrcanus* locum reddidit capaciorem iuxta atque munitiorem. Ac ex eo tempore Principes, *Judæ Maccabæi* ſucceſſores, ibi conſederunt; atque ibidem veſtimenta Pontificis Maximi ſacratiſſima fuere recondita. *Herodes Magnus* arcem munimentis (c) auxit firmavitque, Hieroſolymitanis frænum impoſiturus. Indidit is ipſe loco cognomen *arcis Antoniæ*, honorem habiturus *Marco Antonio* Triumviro, fautori ſuo certiſſimo ac ſummo. *Herodes Magnus*, filiusque ejus, *Archelaus* Tetrarcha, ibi domicilium ſedemque habuere. Cum vero *Archelaus* in exilium iret, eiusque tetrarchia in provinciam Romanam converteretur, Procuratores Romani arcem Antoniam tenere cœperunt, ſummum-

(c) *Joſephus Ant. Iud. XV, 14.*

mumque ibi tribunal more Romano prætorium vocarunt. In hanc arcem, in hoc prætorium, deductus fuit Jeſus; eodem abſtractus eſt *Paulus*. At cur Ebræis exeundum erat caſtris? In quænam caſtra ipſi ventitarant? Hic ſilet interpretum multitudo. Alii *Mæandros* allegoricos commendant, alii ignorantiam ſuam profitentur. At quidni inhæremus nativæ & propriæ vocum poteſtati, quacum amice conſpirat atque conſentit orationis complexus & ſcriptoris ſcopus? Ieſum *extra caſtra* piacularem mortem pertuliſſe, *Paulus* autor eſt. Typum præmittit idem, docetque, juvencum & arietem piacularem *extra caſtra* morti fuiſſe datum. Tum vero commonet Ebræos ſuos imitationis. Iubet ipſos æque egredi caſtra, & crucem, ſibi impoſitam, ad Ieſu exemplum portare. Rationem mox addit, cur extra caſtra ad Ieſum, pro porta paſſum, ſit exeundum. En illam *v. 14: Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Manens illa ac ſtabilis civitas erat Hieroſolyma, quippe quam Iudæi talem eſſe exiſtimabant. Quid hoc eſt rei? Nonne hinc intelligitur, Ebræos, quibus *Paulus* Epiſtolam miſit, inhæſiſſe ſaluti ſuæ imaginariæ, Hieroſolymis ac in eorum provincia quærendæ? Tollit illam de ſtabilitate Hieroſolymorum opinionem *Paulus*, ut Ebræos iſtos commoveat ad exeundum caſtris, & ad ignominiam inopiamque & vexationem judicialem cum Ieſu ſuſcipiendam. Ebræi rationes ſuas ita putarunt. Hieroſolyma ſtante, noſtrum eſt, Iudæos, gentiles noſtros, retinere amicos; ac Procuratori placere, ne prorſus in prætorio eius intra ca-

ſtra, ſeu arcem *Antoniam*, & iure, & fama, & bonis, exuamur. Quamobrem ingrediebantur iſti Ebræi caſtra? Fatigabant ipſi prætorium, eo quod ipſi a Iudæis vexabantur, & aſperiora tolerabant, quemadmodum Ieſus ſuis prædixerat *Luc. XXI, 16, 17.* Quamprimum novitii illi Chriſtiani Iudaiſmo renuntiarant, Iudæi, eique vel ipſi conſanguinei, Ebræos, nomen & doctrinam Chriſti profeſſos, bonis domibusque eiicere tentabant, rati, Palæſtinam non niſi iuris Iudaici eſſe, nec aliam inibi publicam, Iudaica excepta, religionem eſſe tolerandam. Quid autem ad hæc Ebræi, recens ad Ieſum converſi? Quid moliti fuerunt ipſi? Ipſi procul dubio ſupplices prætorio admoverunt preces, poſſeſſiones & bona ſua vindicaturi. Quid vero ſuadet eis *Paulus?* Ipſe iſtis commendat patientiſſimum iniuriæ pectus, & imitationem Ieſu manſuetiſſimi eis ob oculos ponit. En eius regulam paræneticam: *Exeamus ad eum extra caſtra, improperium eius portantes,* Ἐξερχώμεθα πρὸς αὐτὸν ἔξω τῆς παρεμβολῆς, τὸν ὀνειδισμὸν αὐτοῦ φέροντες. Senſus pellucet. Diſſuadet Ebræis illis *Paulus* illam ad tribunal prætorii diligentiam, illam de rebus fluxis conſervandis curam. Suadet ipſis e contrario, ut extra prætorium prodeant, rebusque maioribus & cœleſtibus curam magis ſeriam affigant. Suadet ipſis, ut arce illa Antonia exeant, quam Chriſtus æque, immerito condemnatus, fuit egreſſus, ut crucem ſuam, in qua exſpirandum ſibi eſſet, portaret. Exſpectat quaſi in hoc mundo Ieſus cultores ſuos extra tribunal & portam, extra ius & honorem. Qui gloriam Ieſu ambiunt, eorum eſt ὀνειδισμὸν

αὐτοῦ, *ignominiam, qua ipſe appetitus fuit*, ſimul ſuſtinere, & patienter tolerare. Exitum hunc Iudæis, ad ſeſe converſis, Ieſus ipſe commendavit *Matth. XXIV, 16.* Ebræi, ad Ieſum deducti, omiſſa Hieroſolyma, conceſſerunt paullo poſt hanc ad eos ſcriptam Epiſtolam in oppidum Pellam trans Iordanem. Vox enim, humana major, inſonuit Hieroſolymis; ac ex adyto templi ingeminata fuit vox clamantis: *Excedamus inde.* Statim vero ſtrepitus auditus fuit excedentis Dei (d). Intra Hieroſolymam nulla ſupererat ſalus, nulla ſpes, nullum felicitatis veræ ornamentum durabile. Fruſtra litigabatur ad tribunal Procuratoris. Fruſtra ſupplices ei admovebantur preces. Hic enim ius dicebat nemini, niſi auro argentoque conductus. Ipſe opes omnium animo devoraverat, nec ſatiari poterat divitiis quibuscunque. *Ceſtium Florum* deſigno, quem Iudæi, in rabiem converſi, paullo poſt provincia ſua expulerunt. Quo facto, nulla amplius ſpes Ebræis Chriſtianis, Hieroſolymæ, vel in Iudæa, habitantibus, affulſit, nulla, inquam, ſpes recuperandi ademta & amiſſa. Exeundum erat ipſis Hieroſolyma, & probra, damnis ſociata, erant patientiſſime toleranda, ni mallent ipſi manibus ſuorum perire, vel ſicariis tradi. Merito proinde eis hanc inſtillavit præceptionem, ſeu adhortationem, divinus ille doctor hunc maxime in modum:

 Exe-

(d) *Tacitus Hiſt. V, 13, Joſephus de Bello Iud. VI, 5, 3, p. 388* edit. *Havercamp. Euſebius H. E. III, 5, Epiphanius Hæreſ. XXIX, 7, Joannes Clericus* in *Hiſt. Eccl. Seculi primi ad ann. 66 §. 13 p. 439 ſeq.*

Exeamus ad eum extra caſtra, extra illam arcis quadratæ & prætorii ſedem, *improperium ejus portantes.* Qui nativam vocum poteſtatem hic derelinquunt, ii neſciunt, quo ſeſe vertant, & quam potius translationis ſpeciem deligant. In *Brauniana* ſententia hic non niſi tenebræ & caligo, metaphoræ & allegoriæ, eæque nullo fundamento firmo ſuperſtructæ, dominantur.

XVIII. Et cur *Paulus* Ebræos ſuos docuit animum & mentem confirmare adiumento gratiæ? & ita quidem, ut negaverit, mentem cibis carnibusque victimarum reddi firmam, ac immotam? Nonne eo ipſo intelligitur, ipſos potuiſſe ad carnes victimarum ſimul edendas abduci? immo ipſos ſubinde eas in aliorum ſocietate ediſſe, ne viderentur ſacra Iudaica eis ſordere. Quid *Paulus* de hoc more ſentit? Subjungit ipſe tria palmaria dogmata. Primum eſt: Eſcis, ſeu carnibus victimarum, comeſtis animus hominis non emendatur, neque firmatur. Secundum eſt: Ex altari noſtro licet nobis ſumere cibum, ex quo ſacerdotibus Leviticis haud datur edere, qua talibus, & tabernaculariium ſacrorum cura prægravatis. Proviſum eſt Chriſtianis de altari, de cibo, de victima. Tertium eſt: Non habemus hic manentem civitatem; Hieroſolyma mox diruetur. Cur, quæſo, *Paulus* diſſuaſiſſet Hebræis ſocietatem & cibum carnium victimariarum, niſi hi in eo loco verſati fuiſſent, ubi a Iudæis victimæ in honorem Dei ter Optimi Maximi immolabantur? Ipſe *Ioannes Harduinus*, Ieſuita, ad *Cap. XIII v. 9*, & ad hæc verba: *Optimum eſt, gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non*

pro-

profuerunt ambulantibus in eis, ſic commentatus fuit: „Non eſcis. Non carnibus victimarum, quas„ Iudæi in templo Hieroſolymitano mactant. Has„ enim retineri oportere contendebant ii, ad quos„ ab iſto errore revocandos ſcripſit *Paulus* hanc„ Epiſtolam.„ Fruſtra adhibuiſſet *Paulus* hanc diſſuaſionem apud homines, longiſſime Hieroſolymis diſiunctos. Nullum enim erat periculum, ne Iudæi, intra Thraciam, vel Africam, habitantes, carnibus victimarum ibi veſcerentur, vel ne Ebræi, ad Ieſu doctrinam adducti, in Illyrico, vel ad Rhodanum, habitantes, carnibus victimarum edendis ſeſe accingerent. Admonet tandem *Paulus* ſuos Ebræos, ne, aliis ſacrificiis in regno Meſſiæ locum eſſe, atque ſacrificiis laudum ac gratiarum actionis, exiſtimarent. In locis, Hieroſolyma ſat remotis, hæc admonitio haud erat admodum neceſſaria. Nemo enim Ebræorum extra Hieroſolymam immolavit victimas, nemo alibi ex eis edit. Fruſtra diſſuadetur uſus corvorum alborum eis, qui Germaniam habitant, vel Ararim bibunt. Accedit, quod *Paulus* demonſtrat, et præſentes deſignat, τὺς ἐν βρώμασι περιπατήσαντας, τὺς τῇ σκηνῇ λατρεύοντας, *eos, qui cibis carnibusque victimarum apparandis operati fuerant, & adhuc operabantur*, nec non *eos, qui iſti tabernaculo ſacro deſerviebant*, *Ebr. XIII, 9, 10.*

XIX. Verſatur iam in manibus *Ioannis Harduini Commentarius in Novum Teſtamentum*, Hagæ Comitum in forma folii regalis A. 1741 publicatus. In eo reponitur *p. 646 Ioannis Braunii* ſententia inter alias multas paradoxas opiniones hunc

hunc in modum: *Scriptam fuiſſe Epiſtolam ad Hebraeos, tum ex titulo ſcimus, in quo quidem poſuiſſe Paulus tantum videtur*, Paulus Hebræis; *Eccleſia vero ſcripſiſſe, ut in reliquis, poſt Apoſtoli obitum*, Epiſtola beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos; *tum ex Apoſtolo Petro, qui ſcriptam dicit a Paulo fuiſſe ad eosdem; ad quos ipſe ſcribit ſuam utramque Epiſtolam, hoc eſt, ad Iſraelitas extra regnum Iuda, ad Iſraelitas, inquam, diſperſos in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia Proconſulari, & Bithynia*, 1 Petr. I, 1, & 2 Petr. III, 1. *Non ad Iudaeos ex aliqua una provincia tantum; praeſertim cum eo tempore plurimos e Iudaeis, qui Chriſtianam fidem amplexi fuerant, defeciſſe ab ea, recrudeſcente in ſingulis civitatibus a principibus ſynagogarum perſecutione, ex ipſiſmet huius Epiſtolae verbis haud obſcure colligatur; quos propterea revocare ad fidem Chriſti, blandiendo, hortando, minando, conatur Apoſtolus in hac Epiſtola.* Excludit vero *Harduinus* ab his Ebræis Chriſtianos, in Iudæa commoratos. *Petrum 2 Epiſt. III, 15*, reſpexiſſe ad *Ebr. XII*, 7, ſibi perſuadet *p.* 674, ratus, perſeverantiam in perferendis adverſis eſſe ipſam Dei longanimitatem, eccleſiæ Ebræorum ſalutarem. Quod autem quam longe petitum ſit, & in reliquas quoque *Pauli* Epiſtolas quadret, quilibet, me non monente, intelligit. Reſpondimus iam ſupra §. *VIII* ad hoc argumentum, dummodo id hoc nomine poteſt inſigniri.

XX. Reſtat, ut oſtendamus, Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, Eccleſiæ Chriſtianæ, e Iudæis Hieroſolymæ & provinciæ circumiacentis procurato-

toriæ incolis collectæ, miſſam eſſe. Conſulemus ſingula veritatis requiſita, ſupra §. V enumerata. Quæ ſi ad amuſſim huc congruunt, non amplius de opinionis noſtræ fundamento dubitabimus. Iudæi, de quibus dixi, erant 1) Ebræi, quod, excepto *Harduino*, nemo unus inficiari audet. Inſtabat 2) tunc tempus obitus *Pauli*, quem Hieroſolymæ, quam alibi, maluiſſe mori, mihi facile perſuadeo. Ad hos 3) Iudæos, Ieſu aggregatos, *Paulus* cum *Timotheo* ire voluit, ubi erant βρώματα ſacra, altare, & σκηνὴ, nec non urbs, quam Iudæi ſtabilem fore exiſtimabant. Ad hos 4) quadrat ſalutatio fratrum ex Italia, qui ſe ipſi haud ſalutabant, quæ difficultas vulgarem premit, eamque *Braunianam*, opinionem. Hi 5) ab inſectatoribus magnam bonorum iacturam perpeſſi erant, teſte *Paulo 1 Theſſ. II, 14*, ibi ſignificante, eccleſiam in Iudæa Chriſtianam admodum multa detrimenta accepiſſe a Iudæis. Viderunt 6) Chriſtiani in Iudæa venientem illum Ieſum, tum in aere per anni integri ſpatia apparentem, tum Hieroſolymis exitium immittentem. Ieſus per ſignum quoddam luculentiſſimum apparuit, quod ſupra Hieroſolymam gladii ſimilitudinem horridam exhibuit, teſtibus *Joſepho* (e), *Gorionide*, *Hegeſippo*, *Euſebio*, *Zonara*, aliis. Confer B. *Guſtavi Georgii Zeltneri Diſſ. de Aſtro Iudæis quondam ominoſo, ſub ſigno filii hominis dudum exhibito, ad Matth. XXIV, 30, Tomo II Theſauri Haſæo-Ikeniani p. 272 ſeq.* Dixi de hoc filii hominis ſigno complura in *Commentario*, adhuc inedito, *ad Apocalypſin I, 16, 17, XIX, 15*. *Ceſtio* autem

(e) *De Bello Iud. VII, 31.*

tem *Floro* in fugam coniecto, ſupererant tres anni cum dimidio usque ad excidium Hieroſolymorum. Iudicium Ieſu, in hanc urbem expromtum, afferebat Chriſtianis in Palæſtina levamentum. Et hoc ipſum *Paulus* illis promiſit, paſſim fractis, & indigna perpeſſis. Ad Chriſtianos, e Iudæis alibi per totum terrarum orbem ad doctrinam Ieſu deductos, hæc promiſſio & hoc levamentum trahi nequit, ſiquidem inter reliquas gentes Ebræi Chriſtiani haud æque affligebantur, ſiquidem ipſi ne quidem ex univerſo habitabant in imperii Romani complexu ac ambitu. *Brauniana* opinio ea laborat difficultate, ut, eandem ubique partium fuiſſe inter Ebræos Chriſtianos fortunam, ſtatuat illius auſpex. At quodnam, obſecro, judicium *veniens ille*, ſeu Meſſias, paullo poſt exercuit in omnes gentes, Romanis ſubjectas, & ultra eos commoratas? *Braunianorum* hic eſt, contrahere, vel ſubmittere, vela, aut ſeſe recipere ad commenta. Sed progrediendum eſt porro. Norat 8) *Paulus* doctores Hieroſolymorum Chriſtianos, *Jacobum* minorem & *Cleophæ* filium. Norat, *Jacobum* minorem anno æræ vulgaris LXII, tumultu Synedrii facto, lapidibus obrutum obiiſſe (f). Norat *Paulus* fidem & ſalutarem conſtantemque mortem eius. Et huc indubie reſpexit *Ebr. XIII*, 7, hortans: ***Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.*** Docet enim *Ioſephus*, non ſolum *Iacobum*, ſed eius quoque ſocios, eosque doctores Chriſtianos; contemtæ legis *Moſaicæ* inſimulatos, atque iuſſu *Anani*, Pontificis Summi, enecatos

tos fuiſſe. *Jacobo* minori ſucceſſit *Simeon*, teſte *Euſebio* (g). Hunc *Cleophæ* filium æque norat *Paulus* pariter ac reliquos ibi doctores. Ipſe enim Hieroſolymis fuerat ſæpe multumque verſatus, & inde continuo Romam tabellarii nuntiique veniebant. Fuerat 9) *Paulus* iterum iterumque Hieroſolymis, veluti in altera patria. Quare non eſt mirum, ſi is ſperavit, fore, ut eodem reveniret. Non poterant ipſum 10) fugere merita & diligentia fidesque doctorum, qui Hieroſolymis, ac in vicinia eorum, gregem Ieſu erudiebant ac firmabant. Ebræi, de quibus memoravimus, fuerant 11) delectui ciborum, carnibus victimarum, altari, ac œconomiæ Judaicæ, addicti; nec metus *Pauli* erat iniquus, verentis, ne Ebræi, ad Jeſum deducti, ad illud *Moſaicum* iugum ſubeundum redirent. Id vero Ebræis hiſce 12) fuit peculiare, ut in caſtra, ſeu arcem Antoniam, irent, cauſas ſuas oraturi, ac, *Ceſtio. Floro* fuſo a Judæis & fugato, portas Hieroſolymæ egrederentur, Pellamque ſe conferrent. Et quodnam momentum cuiquam in numero requiſitorum veritatis communium occurrit, quod ulla ratione cum ea, quam hactenus propugnavimus, ſententia pugnet, vel ei refragetur? Quamobrem non dubitamus, fore, ut Theologi, præcipue autem Critici, in poſterum huic, quam *Ludovico Capello* ex parte debemus, ſententiæ accedant, & *Braunianam*, quæ paſſim requiſitis enumeratis obſiſtit, iubeant valere.

XXI.

(f) *Joſephus Ant. Jud. XX, 8.*

(g) *Hiſt. eccl. III, 32.*

XXI. Corollarii ac mantiſſæ loco argumentum adiungam prioribus, plane novum. Illi, quibus *Paulus* Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, miſit, Evangelii doctrinam initio ſuſceperunt a Domino, ac ab eius diſcipulis in ea fuerunt confirmati, Deo eam ſimul teſtatam reddente ſignis & prodigiis & miraculis multis variisque, Spiritusque ſancti diſtributionibus, ſecundum ſuam ipſius voluntatem, *Ebr. II*, 3, 4. Quis ſibi perſuadebit, hæc ad univerſos Ebræos, Jeſu aggregatos, eosque per omnem terrarum orbem ſparſos, ſpectare & congruere? Quis hæc ad eccleſias Ponti, Cappadociæ, Galatiæ, Aſiæque Proconſularis, trahet? In Palæſtina, præcipue Hieroſolymis, Jeſus, eiusque initio auditores, ſemen Evangelii diſſeminarunt. Hieroſolymis illi μερισμοὶ πνέυματος ἁγίȣ, *illa munera Spiritus ſancti varie diſtributa*, in lucem exierunt. Ibi apparuerunt διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, *linguæ quaſi igneæ, varie diſtributæ*, *Act. II*, 3. Auditorum Jeſu erat, reſtare Hieroſolymis, usque dum ipſi induerentur vi ex alto, *Luc. XXIV*, 49. En verba *Pauli*: *Quomodo nos effugiemus* (fuga nos ſubducemus), *talem inſuper habentes ac vili æſtimantes ſalutem? Quæ, ex quo primum expoſita eſt per Dominum, ab auditoribus eius ad nos ſtabiliter propagata fuit,* (ἐβεβαιώθη,) *Deo ipſo una eam reddente teſtatam & corroboratam ſignis & prodigiis & variis miraculis & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundum illius benevolam voluntatem.* Diſſerit ubique *Paulus* in hac Epiſtola per figuram oratoriam, cui *communicationis* eſt nomen. Ipſe, de Ebræis ſuis, vel ad eos, loquens,

loquens, ſeu exhortando, ſeu dehortando, ſe ipſe nunquam non includit ac comprehendit, ne videatur eſſe dominationis in conſcientias ipſorum oſtentator. Conf. *IV*, *1*, *2*, *3*, *11*, *14*, *15*, *16*, *VIII*, *1*, *X*, *19*, *22*, *23*, *24*, *25*, *30*, *XI*, *40*, *XII*, *1*, *2*, *28*, *29*, *XIII*, *10*, *13*, *14*, *15*. Vox *βεβαιωθῆναι*, *firmiorem reddi*, denotat acceſſionem virium, non virium primordia. Cum vero ab auditoribus Jeſu doctrina Evangelii ſaluberrima in animis Ebræorum, ad quos direxit Epiſtolam doctor gentium præclariſſimus, augmenta & firmitatem virium nacta fuerit; conſequens ſane eſt & luculentum, Ebræos illos primordia virium Spiritus ſancti, ſeu doctrinæ cœleſtis, quæ illas gignit, ab ipſo Jeſu, principe ac conſummatore ſalutis, ſuſcepiſſe. Confirmata fuit illa in eorum animis doctrina multo ſaluberrima miraculis omnigenis, ac inprimis linguarum ex tempore acquiſitarum varia diſpenſatione, a Spiritu ſancto profecta. Quæ ſingula ita ſunt comparata, ut haud liceat amplius de Ebræis hiſce, Hieroſolymæ & in Judæa inveniendis, dubitare. At quidni aliis libertatem ſentiendi hic relinqueremus integram & intactam? Optent ii per nos, utrum malint. Licet in hac cauſa invicem diſſidere. Cum vero veritas una ferax & fœcunda ſit aliarum veritatum; eam ſententiam mihi licebit præferre, quæ requiſitis veritatis facit ſatis, & quæ in ſubſidium Epiſtolæ, ad Ebræos ſcriptæ, ſolidiusque exponendæ, tuto adſciſci poteſt. E contrario error etiam unus erroribus novis, inde pullulantibus, fœcundus eſt. Et hæc eſt cauſa, cur lectores velim maximopere oratos, ut varias, quas attuli, ſententias ſub examen vo-

cent, nec tamen ullam earum naſo ſuſpendant adunco, multo minus in aliorum obtrectationes, vel perniciosas machinationes, convertant. Verbum Domini nobiliore gaudet ſcopo, quam ut illo liceat uti ad technas, improbas deſtinationes, & famæ alienæ imminutiones, in effectum deducendas. Noſtrum eſt, reſervato, atque effectui dato, in Deum hominesque amore juſto & integro, univerſa explorare, at meliora retinere. Si quis vero malit alienas Commentatorum lambere quadras, vel *Braunii* cogitata transſcribere, ei ſumus autores & benevoli ſuaſores, ut ipſe ſuum experiatur Martem, ſuis nitatur meditationibus, ac e ſuo ipſius penu antiqua æque ac nova, quod Chriſti eſt præceptum, depromat. Sententiam *Braunii* expendere, & juſta argumentorum lance trutinare, e re mea duxi, ne cum ejus pullis, vel plagiariis, mihi res eſſet. Malim enim humanitate & manſuetudine animos mihi conciliare, quam pugnando & oppugnando mentem aliorum reddere averſam, faſtidientem, & vindictæ ſtudioſam. Valeat *Braunius*, valeant ejus cultores. Mihi ſola placet & placebit veritas, quæ mihi, ubicunque inventa, perpetuo curæ cordique erit. Gratius tamen illud eſt ſtudium, quo tum veritatem, tum humanitatem & manſuetudinis pulchritudinem, mihi ſimul licet & colere & venerari. Salvete itaque, & rebus utimini ſecundis, qui vel mecum ſtatis, vel a me diſſentitis. Cupio vobiscum æternum ſervari. Quidni itaque vobis (h) uni-

(h) *Joannes Antonius Vulpius* in *Præf. ad Joſephi Silii* librum, cui titulus: *Eſame critico*, Patavii, 1738, 8. editum, *pag. u: I veri Filoſofi abboriſcono nello ſcrivere*

unicam criticæ cauſæ diſſenſionem lubenti & æquo animo condonarem? Fortaſſis ad extremum concordamus, quamprimum æquitati & meditationi ſeriæ ac præcipue Divum illi reginæ, *Veritati*, locus ubique relinquitur. Et quid tandem? Licet hic impune diſſentire. Perplacent illa *Senecæ, de Ira* diſſerentis *III*, 24: *Dicat itaque quisque ſibi, quoties laceſſitur: Num quid potentior ſum Philippo? Illi tamen impune maledictum eſt. Num quid in domo mea plus poſſum, quam toto orbe terrarum divus Auguſtus potuit? Ille tamen contentus fuit, a conviciatore ſuo ſecedere. Quid eſt, quare ego ſervi mei clarius reſponſum, & contumaciorem vultum, & non pervenientem usque ad me murmurationem, flagellis & compedibus expiem? Quis ſum, cujus aures lædi nefas ſit? Ignoverunt multi hoſtibus: ego non ignoſcam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuſet, fœminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas, flaminem omniſcientia affectanda. Nunc primum offendit? Cogitemus, quamdiu placuerit. Sæpe & alias offendit? Feramus, quod diu tulimus. Amicus eſt? Fecit, quod noluit. Inimicus? Fecit, quod debuit. Prudentiori cedamus; ſtultiori remittamus. Pro quocunque illud reſpondeamus nobis, ſapientiſſimos quoque viros multa delinquere: neminem eſſe tam circumſpectum, cujus non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat: neminem tam maturum, cujus non gravitatem in aliquod fervidius factum caſus impingat: neminem tam timidum offenſarum,*

C 2 *qui*

e nel diſputare dagli ſcherni, e dal farſi beffe; perſeguitando eſſi gli errore, non le perſone.

qui non in illas, dum vitat, incidat. III, 25: *Nulla eſt tanta potentia, in quam non incurrat injuria.* III, 26: *Maxima eſt facta injuria pœna, feciſſe.*

II.

PETRI ZORNII
DISSERTATIO
DE RESVRRECTIONE IESV CHRISTI,
EX PSALMO XVI, 9, 10,
ET PROBATA, ET VINDICATA.

I.

Pſalmus hic *in perſona Chriſti* ita loquitur: *Caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis, Sanctum tuum videre corruptionem. Caro* ibi innuitur qua talis, id eſt, *corpus mortuum*, atque illud *in ſepulcro requieſcens*, communi mortuorum habitaculo, at *quieſcens* tamen ibi *in ſpe*, quod nunquam viſurum ſit corruptionem, ſed ſurrecturum inde ante illud tempus, quo alias corpora putreſcere ſolent. Vox Ebræa נפש, inquit *Hermannus Witſius*, (1) apud Pſalten ſignificat aliquando *animal, ſive brutum, Geneſeos I, 20, 21, ſive rationale, Geneſ. II, 7, 1 Corinth. XV, 40.* Huc ſpectant locutiones illæ, *qui-cun-*

(1) *Exercitatione XVIII in Symbolum Apoſtolicum* §. XIII.

cunque occiderit animam, Numeror. XXXI, 19; & *moriatur anima mea, Numeror. XXIII, 10, Jud. XVI, 30*, hoc eſt, *moriar ego*. Eodem ſenſu exponi poſſet: *non relinques animam meam*, id eſt, *me*. Sed preſſius *Nephes ſignificat etiam animal mortuum*, ſive *cadaver*. *Numeror. XIX, 11, qui tetigerit mortuum*, לכל נפש האדם, *quodcunque cadaver hominis*. *Verſu 13, omnis tangens* בנפש האדם, *mortuum, cadaver hominis, qui mortuus eſt*. Præterea parilia ſine numero: (2) quid igitur impedit, quo minus cum *Beza* in prima editione N. T. ſi non vertamus, ſaltem exponamus: *non derelinques cadaver meum in ſepulcro*. Nam, per *Nephes* aliquando *cadaver* notari, per *Scheol ſepulcrum*, ſatis conſtare arbitror. Satis de *Witſii* ſententia, quæ itidem arridet *Joanni Pearſonio*, (3) at, neglecta

(2) Conferatur liber noſter ſingularis *de Leſſibus Præficarum in funeribus Orientalium, præſertim Ebræorum, Capite XV §. II.*

(3) In *Expoſitione Symboli Apoſtolici p. 411: Vox Ebræa* נפש & Græca ψυχὴ uſurpantur pro *corpore hominis defuncti*. Vide LXX *ad Numeror. VI, 6*, ubi ita reddunt: ἐπὶ πάσῃ ψυχῇ τετελευτηκυίᾳ οὐκ εἰσελεύσεται. Sic *Numer. XIX, 13, Levit. XXI, 11, XXII, 4, Haggai II, 13. Maimonides* autem obſervat, non poſſe incurri pollutionem ſuper mortuo, antequam ſeparata ſit anima. נפש igitur ac ψυχὴ uſurpantur hic pro corpore poſt ſeparationem *animæ*. Vox Ebræa שאול & Græca ᾅδης aliquando nihil ſignificant præter *ſepulcrum*, ut *Geneſeos XXXVII, 35*. Ibi enim Targum Hieroſolymitanum, itemque Ionathanis, reddunt לבי קבורתא, *in domum ſepulcri*. Ac eodem ſenſu Perſica translatio בגור, nec non Arabica: *imo deſcendam ad pulverem mæſtus de filio.*

illa vocis נפש notione, aliam verba *Davidis* interpretandi viam ineunt *Petrus Kingius* (4) & *Samuel Bochartus* (5), quorum ſententiæ merito ſubſcribimus.

II. Quam-

Similiter *Geneſeos* XLII, 38, ubi rurſus Targum Hieroſolymitanum & *Ionathanis* לבי קבורתא & Perſica verſio בגור *in ſepulcrum*, Arabica אלי אלתרי *ad pulverem, ſive ad terram*. Ac annotatum eſt a Commentatoribus Iudaicis, errare eos Chriſtianos, qui vocem שאול reddunt *infernum* in verbis citatis *Iacobi* Patriarchæ, cum *Scheol* ibi nihil aliud ſignificet, quam *ſepulcrum*.

(4) In *Hiſtoria Symboli Apoſtolici p. 178: Actor. II, 27,* certe *anima* apud *inferos* ſubſiſtens *corpori* opponitur, *in ſepulcro* commoranti, cumque ab Apoſtolo Salvatoris noſtri accommodetur reſurrectioni, non alium ſenſum habet dictum iſtud, quam ſi hiſce verbis mentem ſuam expreſſiſſet: Chriſtus, mortuus licet fuerit, *animaque eius more ceterarum ad inferos tranſierit, communem omnium ſpirituum ſeparatorum ſedem:* corpus licet item in ſepulcro fuerit compoſitum, corpus tamen eius virtute divina a corruptione ſepulcri ſuſcitatum eſt, liberata a vinculis inferni anima, partibus iſtis eſſentialibus per mirabilem & glorioſam reſurrectionem coniunctis.

(5) In *Epiſtola ad Tapinum*, qua Symboli Apoſtolici articulus, *deſcendit ad Inferos*, explanatur: Probat *Petrus*, *Davidem Chriſti reſurrectionem prævidiſſe*, cum diceret: *non relinques* &c. Sed, quia Iudæi regerere poterant, *Davidem* de ſe ipſo agere, non de Chriſto, docet, hoc *Davidi* competere non poſſe, quia *David* mortuus eſt, & ſepultus, & eius ſepulcrum hodieque eſt inter nos, inquit. Vnde ſequitur, eius animam eſſe in Inferno, hoc eſt, in ſtatu mortuorum non damnatorum. Id enim ſup-

II. Quamvis autem vulgatum apud *Rabbinos* ſit diverbium, *vermem non comeſturum iuſtos*, reſpiciendo ſcilicet ad ultima verba *Eſaiæ LXVI*, 24, (*) (vide *Ioannem Pearſonium*, (6) *Ioannem Leusdenium*, (7) & *Theodorum Daſſovium*, (8)) at fatendum tamen ipſis eſt, nullam in ſepulcro

 pio-

pleri neceſſe eſt, ut ne ratio *Petri* manca ſit, & imperfecta. Relinquere igitur alicuius animam in inferno eſt eam relinquere in ſtatu mortis. Leve autem eſt, quod obiicitur, de Chriſti morte actum fuiſſe iam antea. Actum quidem fuerat *de morte*, ſed non, ut ita dicam, *de permanentia in hoc ſtatu*, quod ſcire plurimum intererat ad fidem, ut ne quis hic *momentaneam mortem & reſurrectioni contiguam* ſibi fingeret; quaſi indignum fuiſſet Chriſto, ut in morte degeret aliquandiu. Quo certe commento tota fides ſubverteretur.

(*) *Ialkut Rubeni fol. 126, 1: Iuſti in morte ſua dicuntur viventes*, propterea iuſti non polluuntur, & hoc *myſtice* indigitatur per illud, *quod caro ſancta nunquam corrumpitur. Midraſch Ruth in Sohar chadaſch fol. 65, 3: Poſtquam Deus iudicaverit corpus*, גוף נבקע, *tunc corpus diſſecatur, vermes vero & tineæ ſuper illud adſcendunt.*

(6) In *Expoſitione Symboli Apoſtolici p. 387.*

(7) In *Spicilegii Philologici Centuria IX Capite XLV Sect. XV p. 448: Negant Iudæi, piorum corpora ita ut impiorum incinerationi eſſe obnoxia;* iidem affirmant, cadavera piorum integra & incorrupta manere in ſepulcro, adeo, ut vermes nihil iuris habeant in eadem.

(8) In *Diatribe, qua Iudæorum de reſurrectione mortuorum ſententia ex plurimis, iisque magnæ apud illos auctoritatis, Rabbinis, tam veteribus, quam recentioribus, copioſe explicatur, examinatur, & illuſtratur, Capite VI §. VI p. 199.*

piorum & impiorum eſſe differentiam, & propterea *vermis* eo in loco aliquid ſignificet, neceſſe eſt, quam *corruptionem corporis*. Quamvis etiam ſcribat *Chriſtianus Schœttgenius*, (9) neminem ex *Iudæis*, quod ſciat, hunc *Pſalmum XVI de Meſſia* expoſuiſſe, ſarta tamen tecta erit veritas, dummodò hic audiamus *Petrum Allixium*: (10) *Petrus* beweiſet, daſs es nicht kœnne *von David* verſtanden werden, indem ſie ſehen, *daſs ſein Grab, das Zeichen ſeiner Verweſung, bey ihnen biſs auf denſelbigen Tag übrig geblieben wære.* Er hætte erſt ſollen beweiſen, daſs dieſer Pſalm von Meſſias rede, und alsdenn dargethan haben, daſs er den David nicht angehen kœnte. Allein *dergleichen Methode* war ſonder Noth, indem er *die unter den Jüden bekannte Maxime* gebrauchte, *daſs, welcher Pſalm an David nicht erfüllet worden wære, derſelbe von dem Meſſias verſtanden werden müſſe.* Atque ita *Petrus* bene ſecum reputavit verba illa Chriſti, diſcipulos ſuos alloquentis *Lucæ XXIV*, 48: ὑμεῖς δέ ἐςε μάρτυρες τέτων, *vos autem eſtis teſtes eorum*; ἐςὲ vero hic ponitur pro ἔσεσθε, ut liquet ex *Actorum I*, 8, ubi dicitur *fore ſibi teſtes* in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & ad ultimum terræ. Ceterum *Petri & reliquorum Apoſtolorum prior, eaque ingens*, ἀπιςία *bono noſtro literis eſt mandata.* Audiamus *Radulphum Ardentium Homilia LXIX* primæ editionis: Sed, fratres mei,

(9) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum p.* 415.

(10) In *dem Ausſpruch der Alten Jüdiſchen Kirchen wider die Unitarios p.* 44.

mei, *quare Dominus electos diſcipulos ſuos permiſit de ſua reſurrectione tam diu dubitare?* Non hæc fruſtra, ſed provida & utili hæc nobis permiſit diſpenſatione. Plus nobis quippe profuerunt illi, qui tarde, & vix, crediderunt. Creduli nempe facile credunt, etiam rei nondum probatæ; increduli vero contra rei multimodis probatæ vix credere volunt. Quis ergo non credat, quod etiam increduli credere non potuerunt? Quis non credat, quod *Thomas* & reliqui Apoſtoli (*Lucæ XXIV, 39,*) increduli viſu propiore, & attrectatu manus diligenti, credere compulſi ſunt? Quis non credat, quod *Paulus* incredulus & fidei perſecutor, a Domino ſibi loquente proſtratus, excœcatus, & poſt ab eodem reilluminatus, credere coactus eſt? *Credamus ergo, fratres, absque dubitatione, quod etiam increduli crediderunt, & agamus Deo gratias, qui ideo diſcipulos ſuos dubitare voluit, ne nos increduli eſſemus.* Hæc *Radulphus.* Ex his autem cognoſcere eſt, quo Apoſtoli ipſi ad credendum erant difficiliores, hoc oportere nos faciliores eſſe ad credendum. Nec enim fidem leviter habuerunt, ſed demum graviſſimis ac non dubiis argumentis convicti. Confer *Gerardum Ioannem Voſſium Harmonia Evangelica Libro III Capite IV* §. *VI.* Ceterum, quemadmodum *Petrus* in *II Epiſtola Capite I, 19, diligentem* commendat *ſcriptorum Propheticorum*, eorum cumprimis, quæ de Chriſto agant, *lectionem aſſiduamque meditationem*, ita nunc quoque *reſurrectionem Chriſti a Davide prædictam* commendat, ut Iudæis pervicacibus appareat, quantus *Prophetas inter & Chriſti Legatos* ſit conſenſus.

III.

M. IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS DISSERTATIO, EX NOTIONE PRINCIPIS AC DOMINI, ROMANIS VSITATA, QVAEDAM COMMATA BIBLICA ILLVSTRANS.

I.

Dum in eo ſumus, ut nonnulla ſacri Codicis commata luminibus, ex Latio petitis, illuſtremus, eamque notionem, quam Romani *Principum* ac *Dominorum* vocabulo, ubi Præſides reip. denotat, ſubiecerunt, ad ſacros transferamus uſus; primum curatius nobis inueſtigandum erit, quomodo his nominibus uſa fuerit Roma, quemque illis ſolennem & publicam quaſi tribuerit ſignificationem, eo potiſſimum tempore, quo Principibus ſubiecta fuit; &, quæ de his disputabuntur, explicandis deinceps ſacris oraculis adhibenda erunt.

II. Atque, ut ab illis ordiamur, quæ notiora forte et magis vulgata erunt, vix quemquam, niſi prorſus hoſpitem in Latio, fugiet, *domini* nomen reipublicae moderatoribus tributum, poſt eiectos Reges odioſiſſimum Romanis, invidioſum & moleſtum Imperatoribus modeſtis, viſum eſſe. Cum enim hac voce potiſſimum uterentur Latini cum reſpectu ad ſervos, eosque aliorum dicerent dominos, qui

qui mancipiis pro arbitrio ſuo imperare poſſent; indignum videbatur magnanimae genti, illos, quibus cura reipublicae incumbebat, dominos vocare, qua voce ſe ipſos ſervos, amiſſa etiam libertatis umbra & nomine, appellarent. Nec minus notum, qua inuidia etiam *regium* nomen laborarit, ut vel pro monſtro habitum a *Suetonio*, quod *Caligula* hunc titulum ſibi aſſerere voluerit (*): nec quidem eo ipſo ſeculo, quo Cæſares ſummum in republica faſtigium occupauerant, armataque manu tenebant, acerbiore vocabulo factum Imperatoris vulnerari poſſet, quam ſi regium vocares (**). Qua invidiæ flamma ne conflagrarent, qui re & auctoritate Reges erant Romanorum, placuit *Auguſto*, principis nomen ſibi induere, ut ciuium potius primus, quam dominus, videretur: nomen ne antea quidem Romanae ignotum ciuitati, &, quamvis alio paullulum ſignificatu, ſummam auctoritatem, atque tantum non ipſa reipublicae gubernacula, cum nulla prorſus dominii, ne magiſtratus quidem novi, umbra, illis conferens, qui *principes Senatus*, quia primi ſententias rogabantur, dici conſueuerant. Teſtis *Tacitus Annal. Lib. I Cap. 1*:

Qui

(*) In *Calig. Cap. 22*: *Reliqua ut de monſtro narranda ſunt. Compluribus cognominibus aſſumtis, - - cum audiret forte Reges, qui officii cauſa in urbem aduenerant, concertantes apud ſe ſuper nobilitate generis, exclamavit, εἱς κοιρανος εστω, εἱς βασιλευς. Nec multum abfuit, quin ſtatim diadema ſumeret.* &c.

(**) *Plin. Paneg. Cap. 7*: *Superbum iſtud, & regium, niſi adoptes eum, quem conſtet, imperaturum fuiſſe, etiam ſi non adoptaſſes.*

Qui (de *Auguſto* loquitur) *cuncta, diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit.*

III. Quam ſibi compellationem prudentiſſimo conſilio princeps facile Regum aſſeruerat, ea, ut ciuilis, populo Romano perplacuit, Imperatoribusque Romanis propria eſt reddita, qua ab Regibus, quorum faſtigium deſpiciebant, diſtinguerentur. En tibi pauca e multis loca Auctorum veterum, quæ diximus, probatura; nec alia, quam quæ diſerte domino ac regi principem opponunt: alia enim huc congerere, inanis foret induſtriæ, nemini ignota, qui ſcriptores ſeculi Auguſtorum vel primis labiis delibavit. *Suetonius Calig. Cap.* 22: *Nec multum abfuit, quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque* Principatus *in regni formam converteret. Verum admonitus,* & Principum (Romanorum) & Regum barbarorum *ſe exceſſiſſe faſtigium, divinam ex eo maieſtatem aſſerere ſibi cœpit. Plinius* in *Paneg. Cap.* 7: *Non enim ſeruulis tuis dominum, ut poſſis eſſe contentus quaſi neceſſario haerede, ſed* Principum civibus *daturus imperator. Cap.* 45: *Scis, ut ſunt diuerſa natura dominatio & principatus, ita non aliis eſſe principem gratiorem, quam qui maxime* dominum *grauentur. Cap.* 55: *Hic,* (Traianus,) regnum *ipſum, quaeque alia captiuitas gignit, arcet ac ſubmouet; ſedemque obtinet princeps, ne ſit* domino *locus.* Erat omnino illud nomen reip. Romanae dominatoribus adeo proprium, ut ſua aetate nullo magis proprio compellarentur: ita tamen, ut blandum, quod voci ineſt, crebro uſu non detereretur, ac ne abuſu quidem eius in tyrannis compellandis voci ſuaviſſimæ decederet. Placebat principi modeſto, principem dici: hoc nomen

men ab eius ſiue laudatoribus, ſive adulatoribus, identidem ingerebatur, & cum *patris* appellatione pari paſſu ambulabat, ut in iſto *Horatiano:*

Hic ames dici pater *atque* princeps.

IV. Periculum iam fiat, poſſitne ex hac *principis* apud Romanos notione aliquid lucis affundi, conimati inprimis, obſcuro dicam? an potius obſcurato? *Marc.* X. 42: Οἴδατε, ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, κατακυριεύουσιν αὐτῶν. καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. Οὐχ οὕτω δὲ ἔςαι ἐν ὑμῖν. Difficultas haud exigua ineſt in voce δοκοῦντες ἄρχειν, *qui videntur principes eſſe*, in qua exquirere ſolent interpretes, quid ſibi velit vox δοκοῦντες. Plurimi quidem, quem ſoluturos ſe deſperant nodum, enſe ſecant, profeſſi, vocem *videri* apud Graecos ſæpiſſime redundare. Vide interpretum, ita ſentientium, nomina apud B. *Wolfium* in *Curis* ad hunc locum. Minime quidem opinabile, voces integras, quæque, congenitum ipſis ſignificatum ſi ſpectes, totam orationis ſententiam mutaturæ eſſent, omnino redundare: quo tamen in numero noſtrum δοκοῦντες cenſendum, cum aliud prorſus ſit *eſſe*, aliud *videri*. Nec ea exempla, quæ fere pro pleonasmo huius vocis afferri ſolent, efficiunt, quod volunt interpretes. Accedit, quod, ſi quis accuratius conſideraverit, quæ §. *II*, *III*, expoſita ſunt, in eius vel inviti cogitationem ſe ingerat diſcrimen, ſeu potius oppoſitio inter τοὺς ἄρχοντας & κατακυριεύοντας, aevo noſtri Salvatoris omnino notiſſima, quorum unum ex rei veritate ſummis tribuat in rep. viris, alterum ſpecie tantum & δοκήσει illis contingere doceat.

Fuerunt

Fuerunt alii, quos inter *Boiſius* in *Collatione p. 129*, qui vocem δοκοῦντες illuc retulerunt, quod regna mundi fluxa ſpecie ſolam regni manſuri ſimilitudinem imitentur. Quae quidem imperiorum imago etiam Stoicorum mentibus ita oberrauit, ut *ſolum ſapientem vere regem*, reliquos ſolo nomine regnare, dicerent. Non ſpernenda, opinor, cogitatio; quam lubens amplecterer, ſi illuſtriora & orationis contextui aptiora deeſſent.

Non nimis hinc recedit *Wolfburgius* in *Obſ. ſacr. p. 135*, eos intelligens, qui, regno ſuperbius elati, ſatis ſe magnifice metiuntur, ſe regnare, ſe imperare, autumant. Quamvis eo nomine *Wolfburgiana* ſententia minus, quam prædicta, commendabilis videatur, quod civile iſtud & modeſtum *principatus* nomen cum ſuperbo *Regis*, aut *Domini*, titulo confundat. Bene quadrarent ea omnia in δοκοῦντες βασιλεύειν: at vero, *qui putant, ſe principes eſſe*, ex mente illius ſeculi ſunt, qui prorſus regiam ac dominorum mentem depoſuerunt, intelligentes, civium ſe eſſe non dominos, ſed parentes, non reges, ſed principes, ſeu primarios modo cives.

Nuper admodum A. 1739 *Ioannes Guyſe*, eccleſiæ in Britannia, quæ ſibi a *puritate* nomen duxit, miniſter, in *Paraphraſi 4 Evangeliorum* ita voces has accepit: *ye know, that in the ſeveral Nations of the Gentiles there is a mighty ſtrife for dominion and authority, and they are counted the greateſt Men, who get the Government into their Hands, and tyrannize over others by abſolute Will and Pleaſure*, id eſt, *Noſtis, quod inter gentes ingens vigeat contentio, qua ad imperia & auctoritatem nitun-*

nituntur: illique omnium habeantur maximi, qui, arreptis reipublicae gubernaculis, tyrannicas in alios pro lubitu dominationes exercent. Videtur illi τὸ δοκοῦντες ἄρχειν ſignificare tales, qui iudicio plebis magni & principes orbis terrarum viri habeantur: ita tamen, vt citra neceſſitatem faciat traiectionem ſubiecti & praedicati. Δοκοῦντες ἄρχειν enim, quod ſubiecti locum in verbis Chriſti obtinet, ab illo pro praedicato venditatur.

V. Quid vero in ambiguis erramus, cum duce Romana antiquitate in tuto pedem poſſimus collocare? Quid? ſi auctoritate quidem interpretum, non tamen, vt ſperare audemus, rei veritate deſtituti, hanc aptemus ſententiam Salvatori noſtro: *Noſtis, nec quidem ſubiecti Romano imperio ullo poteritis pacto ignorare, quod, qui videntur principes modo gentium eſſe, qui hoc ciuili nomine compellantur, externamque ſuſtinent principatus ſpeciem, rem ipſam ſi ſpectes, imperioſi ſint & crudeles domini: & quod maximi in republica ciues, armis & atra face ciues in poteſtatem ſuam redigant. Talia vero a vobis & ſanctiore veſtra republica omni opere abſint.* Videntur, ni falſa ſpecies oculis obiecta ſit, omnia prudentiſſimi Saluatoris verba, ſic reddita, luce ſua lucere: eadem illis ineſt oppoſitio principis & domini, quam §. *III.* ſatis familiarem aeuo Caeſarum vidimus. Sed reſtant nonnulla accuratius ediſſerenda.

VI. Orationem ducit Chriſtus a re notiſſima ſuo aevo, id quod voce οἴδατε, *noſtis*, hominibus quidem plebeiis & arcanorum reip. ignaris dicta, patet. Nec tamen cenſeri debet agere de republica

Judæa, eiusque rectoribus; taxat enim rectores non τοῦ λαοῦ, *populi*, quod vocabulum Iudæis deſignandis in ſacris literis fere adhibetur, ſed τῶν ἐθνῶν, *gentium*, quo nomine reliquas orbis terrarum nationes vtplurimum ſignificari conſtat. Ubi ergo commodius ſcenam fallacem, quam ſiſtit, collocabimus, quam in imperio Romano, cui Jeſus, eiusque diſcipuli, populusque Iudæorum, ſubiecti, cuius conditio vel plebi Judæorum notior eſſe poterat? Certe aliud nullum comparet ea tempeſtate gentium imperium, cuius formulam & indolem diſcipulis Ieſu innotuiſſe, vel ſuſpicari licet.

In hoc orbis terrarum theatro comparebant, qui ipſi audiunt οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, *qui videntur principatum gerere*. Aderat illis mite nomen principis, ne regio locus eſſet, deerat diadema, quique illud ſubſequi ſolebat faſtus orientalis, rempublicam ita adminiſtrabant, vt eo, externa ſpecie deceptus, non dominos, ſed primarios modo ſenatores, exiſtimares. Ex ſenatus ſententia non ſolum primos attollere faſces illis omen erat, eiusque precibus fatigatus viſus erat *Tiberius* incredibili oneri humeros ſubdere, ſed & tantum conſecuti faſtigium, ſenatum magni facere, ex illius ore pendere, eius pæne iuſſa exequi, rerum imperitis videri poterant. Id, quod loco ſupra citato *Suetonius Caligulæ* etiam ætate *ſpeciem principatus* vocat: idemque hoc loco eadem fere phraſi dicitur, *videri principatum obtinere.* Et illuſtrior quidem *ſpecies* iſta *principatus*, in principe, cui tunc cura reip. commiſſa erat, *Tiberio*, homine ad premenda animi ſenſa, immanemque ſæuitiam civili habitu & modeſta voce involvendam,

omnium

omnium forte Cæſarum longe aptiſſimo. *Suetonius Tib. Cap.* 24: *Principatum, quamvis nec occupare confeſtim, neque agere dubitaſſet, & ſtatione militum, hoc eſt, vi & ſpecie dominationis aſſumta, diu tamen recuſavit impudentiſſimo animo. Cap.* 26: *Liberatus metu, civilem ſe admodum inter initia, ac paullo minus, quam privatum, egit. Ex plurimis maximisque honoribus præter paucos & modicos non recepit. Cap.* 27: Dominus *appellatus a quodam, denuntiavit, ne ſe amplius contumeliæ cauſa nominaret. Cap.* 28: *Adverſus convicia malosque rumores & famoſa de ſe ac ſuis carmina firmus & patiens, ſubinde iactabat, in civitate* libera *linguam mentemque liberam eſſe debere. Cap.* 29: *Diſſentiens in curia a Q. Haterio, ignoſcas, inquit, rogo, ſi quid adverſus te liberius* ſicut ſenator *dixero. Et inde omnes alloquens: dixi & nunc, & ſæpe alias, P. C. bonum & ſalutarem* principem, *quem vos tanta & tam libera poteſtate inſtruxiſtis,* ſenatui ſervire debere, *& univerſis civibus ſæpe, & plerumque etiam ſingulis: neque id dixiſſe me pœnitet, & bonos & æquos & faventes* vos habui dominos, *& adhuc habeo. Cap.* 30: *Quin etiam* ſpeciem libertatis quantam *induxit, conſervatis ſenatui ac magiſtratibus & maieſtate priſtina & poteſtate: neque tam parvum quidquam, neque tam magnum, publici privatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur. Cap.* 31: *Quædam adverſus ſententiam ſuam decerni, ne queſtus quidem eſt. - - - tanta Conſulum auctoritate, ut legati ex Africa adierint eos, querentes, trahi ſe a Cæſare, ad quem miſſi forent. Nec mirum, cum pa-*

lam eſſet, ipſum quoque eis aſſurgere & decedere via. Viden' iſtam principis ſpeciem, quam eximia arte induebat mortalium callidiſſimus? Cuius omnes quaſi receſſus & conſilia *Tacitus* non ſine iucunditate legentis monſtrat.

VII. Eosdem tamen, qui ſpecie principes erant, *acerba dominia exercere*, ex verbis Salvatoris noſtri diſcimus: Κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Triſtiſſima vox Romanis auribus. Iam durum, κυριεύειν, *dominum agere*, qua voce in alio Chriſti ſermone reddendo utitur *Lucas XXII, 15*, οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν: at hæc noſtra longe ſeverior. Solet quippe τὸ κατὰ in compoſitis Græcorum verborum aliquid nimii, aut hoſtilis, indicare: quod, quamvis haud raro aliter ſe habeat apud LXX, quibus κατακυριεύειν nonnunquam nihil vitioſi indicat, hic tamen vel ex oppoſitione vocis ἄρχειν odioſi quid apparet, cui oppoſita dominatio ſemper in vitio ponitur. Quam exacte referat vocabuli atrocitas dira mala, quibus reſp. Romana vexabatur, dici vix attinet. Ille ipſe, ex nomine ſi iudicetur ac ſpecie, civium pater atque princeps, graviſſimis cædibus in innoxios, & exigua modo ſuſpicionis aura afflatos, ſæviebat, ampliſſima nocendi feneſtra delatoribus patefacta; eoque proceſſum, ut vel vocula minus honorifica in Cæſarem, vel ſervus ad ſtatuam Auguſti cæſus, & alia, quæ peccata putari minime debebant, capitalia haberentur. Is ipſe populus, qui orbi imperabat, ſuaque adhuc demens ſuperbiebat libertatis umbra, graviora ab importuno domino, quam ab exactis ante aliquot ſecula Regibus, patiebatur.

VIII. Hæc nos deducunt, preſſis quaſi orationis veſtigiis, ad intelligenda, quæ ſequuntur: *καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν.* Deſignantur *maximi & primarii in rep. cives*, quales ante occupatum imperium *C. Iulius Caſar*, *Octavius Auguſtus*, & ipſe *Tiberius:* qui non contenti auctoritate, quam inter cives obtinebant, violenta ratione, rempublicam in ſuam poteſtatem redegerunt.

Cui & iniuſtæ occupationi, & tyrannidi ſubſecutæ, omnino opponit optimus Servator diſcipulos, ſui regni adminiſtros, ac, ſi liceat dicere, principes: *Nec tamen ita ſit inter vos: ſed, quicunque voluerit eſſe magnus inter vos, ſit veſtrum miniſter; &, qui voluerit eſſe primus, omnium ſiat ſervus.* Quæ aurea effata, quo magis luceant, & oppoſita ſimulatis gentium principibus intelligantur, paucula quædam obſervare liceat, prætermiſſis, quæ alii feliciore & largiore manu adfuderunt dudum.

IX. Primatum in regno Chriſti, ſed falſum in imaginario & carnali, affectaverant *Ioannes* & *Iacobus* duce matre. Quos hoc dato reſponſo dimittit ſapientiſſimus magiſter: *Acerbitates illis ſubeundas, primatum vero in regno cælorum non a ſe, favore aliquo & molliore in cognatos affectu, tribui, ſed ex ſola patris voluntate pendere: ab illo, cuicunque deſtinatus ſit, ei tributum iri;* quæ eſt ſententia *commat. 38, 39.* Diſcuſſerat ergo male digeſtas preces, neque conceſſo, nec omnino negato, quod petebant. Quid enim concederet & promitteret, quæ nunquam concedenda erant, ſi ex mente *Ioannis* & *Iacobi* exiſtimarentur? Hi ſplendorem humani regni, quod

oculos feriret, deſiderabant: alienum a doctoribus Novi Fœderis faſtigium. Quid vero diſerte negaret, quæ certa ratione olim *Ioanni* & *Iacobo* conferre decreverat? Futurus erat aliquis in eccleſia Dei, non dominatus, ſed principatus; oportebat conſtitui rectores, qui cœtus Chriſto ſacros moderarentur, non ex ſua ſententia, ſed ad normam verbi divini, & ipſa ſuaviter conſentiente eccleſia. Hos inter eximii erant Apoſtoli, quorum in collegio primaria omnino ſubſellia *Ioannes* & *Iacobus* occupabant, erantque occupaturi. Hos, ſi verbis audacia detur, tanquam primarios regni cœleſtis adminiſtros, haud timeam amicis magni regis, dexteram eius & ſiniſtram tenentibus, comparare. Unde ſapienter, quæ certa ratione concedenda olim erant, in ambiguo relinquuntur.

X. Id vero male habebat reliquos diſcipulos, fuiſſe, qui principatum affectarent, & ſibi præferri geſtirent. Horum ignorantiam, cum naſcente livore coniunctam, corripit ſeverus arbiter caſtigatque. Edocet, nihil reliquis mali inde proventurum, ſive hic, ſive ille, in regno Dei ei prælatus ſit. Nullam inde tyrannidem, nullum reliquis iugum, imponi. Hominum merorum in rep. mitia quidem principum nomina ſævitiam dominationis ornare; at ſacra in civitate alios mores, aliam vitam, eſſe. In qua ſi quis princeps & primarius præ reliquis dicatur adminiſter, nihil illi in cives acerbius licere, nulla illi eſſe dominia in reliquorum mentes. Potius, ſi quis primus & maximus eſſe velit, oportere illum præ omnibus modeſto eſſe animo, reliquis omnibus ſervire, illorum in ſe

onera

onera ſuſcipere, & eſſe (quod egregium in paſtore eccleſiæ ſemper erit, modo non voce tantum & litterarum ductu, ſed totius vitæ morumque habitu, præferatur,) ſervum ſervorum.

Gaudebimus, ſi qua luce præſtantia tanti doctoris verba illuſtraſſe viſi fuerimus; cuius rei iudicium prorſus ſit apud alios, maiorem in explorandis his *ἀκρίβειαν* cum benevolentia & æquitate coniuncturos.

XI. Reſtat, ut eandem principis Romani ideam ſive enodandis, ſive illuſtrandis, aliis etiam ſacræ Scripturæ oraculis adhibeamus; in quo licebit eſſe brevioribus. Eſt *Danielis IX, 26: Et urbem, & ſanctuarium, perdet populus principis venturus,* (עם נָגִיד הַבָּא) Subſtruimus ex aliis interpretibus, ad quos lectorem hic ablegamus, ſermonem eſſe de excidio, Hieroſolymis reique publicæ Iudæorum per Romanos illato. Id modo monemus, hunc populum Romanum vocabulo prorſus proprio deſignari, cum dicatur *populus principis.* Alii orbis terrarum populo idem nomen non quadraret, ſive regibus, regale faſtigium profeſſis, ſubiecto, ſive libera utenti reip. forma. Sola Roma illis parebat, qui ſibi, inter cives ſi eſſent, *principis*, inter milites ſi verſarentur, *imperatoris*, nomen indiderant. Utrique reſpondet Hebræum נָגִיד & uſu, & vero derivatione ex veriverbio, eum ſignificans, qui eſt נגד העם, *ante populum*, qui populum præcedit, eiusque in pace conſiliorum princeps, in bello dux eſt & imperator.

XII. A *Ioanne* in *Apocalypſi I, 5,* Ieſus Chriſtus, magnificis aliis nominibus prægreſſis,

vocatur *ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, princeps regum terræ.* Phraſis primo oculorum ictu & coniectu non obſcura quidem, id tamen habens difficultatis, quod, unde petita ſit, vix certis veſtigiis explorare liceat. Remittimur ab interpretibus ad Orientis populos, quorum tyranni *reges regum* dici amabant. A quibus ſi hic ductus titulus, latebit quidem, qua cauſa inductus *Ioannes*, non *regem regum*, ut *XIX, 16*, ſed *principem regum*, vocitarit. Licetne ſuſpicari, & hoc petitum ex imperio Romano? Cuius rectores vere quidem erant reges regum, & faſtigia orientalium regum immani poſt ſe intervallo reliquerant; nec tamen reges, ſed principes, vocabantur: erantque vere *ἄρχοντες βασιλέων τῆς γῆς.* A ſummo ergo, qui in terris erat, regum domino petit *Ioannes* titulum, cœleſtem monarcham deſignaturum.

XIII. Conſiderandum porro, an non ſolenni Romanis ſignificatu adhibeatur a *Paulo* principatus nomen, *Tit. III, 1: ὑπομίμνησκε αὐτοὺς ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι, mone illos, principatibus & poteſtatibus obedire.* Magiſtratuum hic nomina, *ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι*: at quo diſcrimine? niſi *ἀρχαὶ principes Romanos*, id eſt, Cæſares, denotarint, *ἐξουσίαι* vero præſides provinciarum, qui *cum poteſtate* in provinciis erant. Nec minus ad principem Romanum reſpicere, eiusque ſimilitudine angelorum antiſtites exprimere, videtur, ubi in his enarrandis *principatuum* facit & *poteſtatum* mentionem: ut *Eph. I, 21: ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος*: ubi quatuor nominibus magiſtratus angelorum effert Apoſtolus,

ſtolus, ἀρχῆς, *principatus*, ducto a principe Romano tropo, & ἐξουσίας, *poteſtatis*, eos reſpiciens, qui cum poteſtate in provinciis erant: addit δυνάμεις, forte cum reſpectu ad dynaſtas barbararum gentium & κυριότητα, *dominationem*, quæ unde ipſi petita, addubitari poſſit, nec nobis iam vacat exquirere. Simile quid habes *Coloſſ. I, 15*, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες (a barbarorum regnis hauſta phraſi) εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι, cum reſpectu ad Romanos. Adderem *cap. II. 15*, niſi longioris eſſet iſte locus diſputationis, cui me iam non involvam. Nec tamen tempero, quin adſcribam *Rom. VIII, 38*: οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις.

XIV. Attentum tamen non ſine admiratione aliqua teneat ſacræ Scripturæ lectorem, ſi vocabulo & *regis*, & *domini*, quod Romanos principes ſummopere exhorruiſſe, ac fere expaviſſe, ſcripſimus, nonnunquam uſus videat ſcriptores ſacros in eiusdem imperii præſidibus ſignificandis. Quo referri debet *Act. XXV, 26*: περὶ οὗ ἀσφαλές τι γράψαι τῷ Κυρίῳ οὐκ ἔχω: *1 Petr. II, 17*, τὸν βασιλέα τιμᾶτε: *Io. XIX, 15*, οὐκ ἔχομεν βασιλέα, εἰ μὴ Καίσαρα. Nonnihil tamen hæſitationis lectori eximetur, modo cogitaverit, domini nomen a *Feſto* illa ætate adhiberi, qua Romanum imperium rectores iam viderat, ſpeciem etiam principatus cum forma dominii permutantes; quo in numero primus fuit *Caligula*, Dei dominique locum ſtolida audacia affectans. Regis vero vocabulum ex ipſo Romanæ reipublicæ uſu non omnino idem erat, ac Græcum, βασιλεύς: quo nomine compellari

 nulla

nulla Romanos principes verecundia ſubibat, uti vel ex *Herodiani* ſcriptis liquet. Quin *βασιλέως* nomen adeo Græcis honorificum, Romanisque principibus proprium, factum eſt, ut Conſtantinopolitani Imperatores illud ſibi ſolis vindicarent; reliquis omnibus Regibus (excepto ſolo Bulgarorum monarcha,) quin & Romæ imperantibus, ſolum *ῥηγὸς* titulum, ex Latino vocabulo *Rex* ortum, relinquerent. Cuius tamen rei nulla addimus teſtimonia, ne aliorum cogitata inutili opera iterum in chartam effundere videamur; cum *Suicerus* in *Theſauro eccleſiaſtico* ſub voce *βασιλεὺς* & *ῥὴξ*, aliique, dudum hunc Græcorum morem & phraſin illuſtrarint. Tantum!

IV.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI DE ALEXANDRO SEVERO, IMP. ROMANO, CHRISTIANORVM SACRIS PER GNOSTICOS INITIATO, EXERCITATIO.

I.

Res eſt, a Scriptoribus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ iam dudum obſervata, & extra omnem dubitationis aleam poſita, *Alexandrum Severum*, Imp. Romanum,

manum, Principibus optimis merito annumerandum, Chriſtianis, eorumque ſacris, impenſe fauiſſe, adeo, ut ex Imperatoribus Romanis, usque ad *Conſtantinum M.*(*) non fuerit quisquam, qui tot, tamque inſignita, benevolentiæ ac beneficentiæ ſpecimina ipſis præbuerit. Nihil dico, quod non eruditis cognitum ſit atque perſpectum; ſed id ipſum tamen paucis mihi repetendum, præmittendum, & in aliqua luce collocandum erit, quia ad probandum illud, quod nunc in me ſuſcepi, argumentum viam egregiam & commodam mihi ſternet.

II. Favoris, quo *Alexander* Chriſtianos complexus eſt, hocce indicium illuſtre eſt, quod, eos religionis cauſa malis affici, penitus noluerit. Id enim teſtatur (**) *Ælius Lampridius*, ſcriptor fide, ſi quisquam alius, dignisſimus, in eius *Vita cap.* 22: *Iudæis privilegia reſervavit. Chriſtianos eſſe paſſus eſt.* Ubi non negligendum puto, quod, de hoc *Lampridii* loco diſſerens, obſervavit vir de Hiſtoria

(*) Id quod ego de *Alexandro* hic affirmavi, de *Valeriano* pronuntiat *Euſebius Hiſt. Eccleſ. Lib. VII cap.* 10. Sed is videtur omnium eorum, quæ *Alexander* in gratiam Chriſtianorum fecit, prorſus ignarus fuiſſe.

(**) Nolim hic diſputare, utrum vitæ *Alexandri* verus & geminus auctor ſit *Lampridius* ille, cui in vulgaribus editionibus tribuitur, an vero potius illa reſtituenda ſit *Ælio Spartiano*, uti contendit *Salmaſius*, ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, aut *Capitolino*, quod mavult *Dodwellus* in *Prælectionibus Camdenianis*. Vide *Sectionem præliminarem III.* Ego nunc ſequor ſcripturam vulgatam noſtrorum Codicum.

Eccleſiaſtica præclare meritus,(***) *videri rem hanc, de qua teſtatur Lampridius, pretii exigui, verum de nullo tamen ex prædeceſſoribus Alexandri idem memorari, etſi inter illos tamen plures ſint, qui a perſecutione abſtinuerint: voluiſſe itaque Scriptorem illum procul dubio innuere, Alexandrum Chriſtianis libertatem religionis & conſcientiæ plenam indulſiſſe, idque Acta Imperatoris huius clare loqui.* Mihi, aliquando hac de re cogitanti, in mentem venit, fieri potuiſſe, ut inimici Chriſtianorum adverſus eos conſilia immitia Imperatori ſuggeſſerint, hic vero talia conſilia aſpernatus fuerit, & conſtanter reiecerit, idque potiſſimum *Lampridium* ſubindicare voluiſſe.

III. Verum intra hos limites favor boni Imperatoris in Chriſtianos minime ſubſtitit. Id, quod nunc *Alexandrum* in gratiam Chriſtianorum feciſſe monui, fecerunt & alii tum ante, tum poſt, Imperatoris huius tempora. Verum plus omnino fecit *Alexander*. Non tantum enim præterea paſſus eſt, ut Chriſtiani ædes haberent cultui ſuo peragendo conſecratas, & vulgo notas; verum etiam ius ipſorum in has ædes, ob rationes non religioſas, ſed civiles, in controverſiam vocatum, adverſus cives Romanos, aſſeruit. Teſtatur & hoc *Lampridius cap.49: Cum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra Popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit, melius eſſe, ut quomodocunque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.* Hocce Impe-

(***) *Memoires de Mr. de Tillemont ſur l'Hiſtoire Eccleſiaſtique Tom. III p. 250 edit. Paris.*

Imperatoris iudicium favorem quendam eius exquiſitum in cauſam & ſacra Chriſtianorum oppido luculenter prodit. Quin imo verosimile mihi etiam atque etiam fit, cultores Chriſti adverſus popinarios Romanos tale quid publice nunquam auſuros fuiſſe, niſi de indulgentia & benevolentia Imperatoris erga ſe aliquo modo certi fuiſſent.

IV. Talia porro Scriptor idem in *Vita Alexandri* de eo refert, ex quibus tuto nobis colligere licebit, Imperatorem noſtrum neque doctrinæ Chriſtianorum, neque diſciplinæ eorum eccleſiaſticæ, ignarum fuiſſe. Nam, quod ad doctrinam religionis noſtræ, eam præcipue, quae circa agenda verſatur, attinet, videmus iſta a Scriptore laudato literis conſignata *cap. 51: Clamabatque ſæpius, quod a quibusdam ſive Iudæis, ſive Chriſtianis, audierat, & tenebat: idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici iubebat:* quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Quam ſententiam usque adeo dilexit, ut & in Palatio, & in publicis operibus, præſcribi iuberet.* Quam bene porro diſciplina Chriſtianorum eccleſiaſtica Imperatori huic perſpecta fuerit, ea indicio eſſe poſſunt, quæ Auctor ille idem *cap. 45* in hæc verba obſervavit: *Ubi aliquos voluiſſet vel rectores Provinciis dare, vel Præpoſitos facere, vel Procuratores, id eſt, rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut, ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus, ſi non probaſſet, ſubiret poenam capitis: dicebatque, grave eſſe, cum id Chriſtiani & Iudæi facerent,* (*) *in prædicandis Sacer-*

(*) Conſulendæ ad hunc locum ſunt notæ *Caſauboni*, qui

cerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in Provinciarum rectoribus. Quis non, iſta perpendens ſerio, fateri cogetur, Imperatorem hæc, quæ toties in ore habebat, aut in ſacris noſtris voluminibus, aut in aliis noſtrorum ſcriptis, lectitaſſe, aut ex ſermonibus Chriſtianorum, quos familiari uſu cognitos habuerit, ſæpius audiviſſe, & memoria tenaci excepiſſe?

V. Poſtremum hoc, quod nempe *Alexander* Chriſtianis familiariter uſus fuerit, eosque de rebus ad religionem ſpectantibus diſſerentes libenter audiverit, ea ipſa, quæ modo ex *Lampridio* deſcripſimus, evidenter teſtantur, idque aliis inſuper documentis confirmare ac comprobari poteſt. Si fidem habere liceret vitæ *Alexandri* noſtri, quam ceu ab *Encolpio*, non ignobili Seculi III Hiſtorico, ſcriptam, &, uti iactatur, ex Græco Anglice verſam, Londini A. 1549 edidit *Thomas Eliotus*, (**) Imperator ille ardore videndi magni *Origenis* incenſus, eum Alexandriam ad ſe arceſſivit, & cum eo ſermones de religione plurimos habuit. Verum (***) fœtus ille adulterinus, Auctori bono peſſima fide ſuppoſitus, ab eruditis merito contemnitur, neque etiam adeo difficile eſt, (****) originem fabellæ, illic venditatæ, divi-

qui ritum hunc, de quo loquebatur Imperator, ex *Cypriani* Epiſtolis egregie illuſtrat.

(**) Vide *Seldeni Notas in Eutychium p.* 174, 175, & *Tillemontii Memorias Hiſtoriæ Eccleſ. Tom. III pag.* 524.

(***) Vide *Fabricii Bibl. Gr. Vol. III p.* 327 *ſeq.*

(****) Nempe fabulæ huic exſculpendæ anſam dederunt, quæ

divinando aſſequi. Sed iis tamen, quæ de familiaritate *Alexandri* cum Chriſtianis aſſerui, pleniſſime confirmandis ſufficere poterunt verba hæc *Euſebii Hiſt. Eccleſ. Lib. VI cap. 28* de *Maximino*, *Alexandri* in imperio Romano ſucceſſore, quæ ex verſione *Valeſii* adſcribo: *Qui gravi odio ſuccenſus adverſus familiam Alexandri, in qua plerique erant Chriſtiani, perſecutione excitata, ſolos Eccleſiarum antiſtites, utpote Evangelicæ prædicationis auctores, interfici iuſſit.* Ex his enim liquet, eos, quibus Imperator in ipſo Palatio ſuo quotidie familiariter uſus eſt, Chriſtianorum ſacris addictos fuiſſe, & *Maximinum*, cum fautores *Alexandri* e medio tollere vellet, in Chriſtianos, ac omnium maxime Epiſcopos, tanquam certiſſimos illius amicos, crudeliter ſæviiſſe.

VI. Quæ cum ita ſint, fieri profecto aliter non potuit, quam ut Imperator ille Chriſtianos diuturno uſu ſibi cognitos honoraret, doctrinam religionis ipſorum, cuius excellentiam perſenſerat, maiorem in modum ſuſpiceret, utque, quod ex his per ſe conſequitur, auctorem religionis adeo divinæ impenſe veneraretur, & cultum, quem talis religio præcipit, omni alii cultui longe anteponeret. Et, hanc fuiſſe re ipſa *Alexandri* mentem, *Lampridius*, toties iam in ſubſidium vocatus, teſtimonio non uno nos docet. Mitto, quod jam ſupra ex Auctore hoc obſervavi *§. III*, *Alexandrum* Imp. locum quendam publicum, adverſus popinarios Romanos, Chriſtianis

quæ de *Mamæa*, matre Imperatoris, retulit *Euſebius*. Vide huius *Exercit. §. XIII.*

nis addixiſſe, in quo Deum ſecundum religionis ſuæ præſcriptum libere & tuto colere poſſent, quanquam & id præſens hocce argumentum non parum illuſtret. Nam de nihilo non eſt, quod (†) viri quidam, in antiquitate eccleſiaſtica egregie exercitati, obſervare nos iubent, *Alexandri* demum tempore Chriſtianos Romæ Eccleſias publicas, ſoli huic uſui deſtinatas, habere cœpiſſe. Certe ante hanc ætatem vix ac ne vix quidem veſtigium rei illius certum oſtendi poterit. Sed a temporibus *Alexandri* hiſtoria nobis (††) exempla ſuppeditat plurima. Verum illud attentione noſtra cumprimis dignum cenſebunt mecum omnes, quod Imperator noſter cultum Chriſti publicum in ſedem imperii introducere, & auctoritate ſua communire, in animo habuerit. Ita enim apud *Lampridium* legimus *cap. 43: Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere — Sed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, repererunt omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda.* Credo ego, hoc ipſum, ut omnes Chriſtiani fierent, quæſiviſſe, & in votis habuiſſe, Imperatorem; ſed, cum id etiam præviderent ac timerent alii, quibus avita Romanorum ſacra curæ cordique erant, cultum Chriſto publicum obtineri non potuiſſe. Quæ autem fuerit in his vera boni Imperatoris mens & ſenten-

(†) *Memoires de Mr. de Tillemont ſur l'Hiſtoire Eccleſiaſtique Tom. III p.* 251, 274.

(††) Teſtimonia ea de re copioſa congeſſerunt *Ioſephus Medus*, & *Ioſephus Binghamus*, cuius poſterioris inprimis conſuli poſſunt *Origines Eccleſ. Lib. VII cap.* 1.

ſententia, omnium optime ex eo intelligitur, quod idem rurſus vitæ eius ſcriptor literis de ipſo prodidit *cap. 29: Matutinis horis in larario ſuo (in quo & divos Principes, ſed optimos electos & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, &, quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham & Orpheum, & huiuscemodi* (†††) *Deos, habebat, ac maiorum effigies,) rem divinam faciebat.* Nempe, etſi cultum publicum, legibus Romanis approbatum, Chriſto impetrare non poſſet, privato tamen ſtudio, & pietate domeſtica, ſacra ipſi facere voluit.

VII. Poſtremum hunc *Lampridii* locum paulo diligentius & accuratius conſiderandum eſſe arbitror. Et complura ſane hic ſeſe mihi offerunt, de quibus diſſerere operæ pretium fuerit. Quoniam vero, dum ipſum huncce paragraphum ſcribere aggredior, in partem primam *Voluminis tertii Novorum Miſcellaneorum Lipſienſium* incido, inque ea *num. IV* eruditam inprimis de hoc noſtro *Lampridii* loco Diſſertationem offendo, video, mihi in hoc argumento breviori multo eſſe licere, quam initio cogitaveram. Inveniet illic lector eruditus, quo ſitim ſuam reſtinguat. Ego paucis hiſce contentus nunc ero, quæ ſine inſigni cauſæ meæ detrimento prætermitti non poſſunt. Et 1) quidem obſervari id velim, *lararium Alexandri*, de quo *Lampridius* loquitur, & in quo Chriſtum Imperator coluit, fuiſſe lararium maius, conſecratum *Divis Principibus optimis & electis, atque animabus ſanctioribus*, quibus cul-

(†††) *Salmaſius* in Notis pro *Deos* mavult legere *ceteros*, me non diſſentiente.

cultus offerebatur plenus & ſupremus. Id enim Vir Clariſſimus in Diſſertatione, cuius modo mentionem feci, optime probavit §. *10.* Quod ipſum ex iis, quæ §. *IV* monita a me iam fuere, illuſtrari quoque & confirmari poterit. Uti igitur ſatis liquere arbitror, *Alexandrum* Imp. Chriſto domino cultum obtuliſſe ſupremum; ita tamen 2) ex *Lampridii* hac de re teſtimonio non colligi debere reor, *Alexandrum* illo ipſo tempore, quo Servatorem noſtrum coluit, idololatriæ manifeſtæ reum fuiſſe, id eſt, honorem, ſive eundem, ſive pæne ſimilem, tum Manibus bonorum Principum, tum animabus ſanctioribus *Orphei*, *Apollonii*, aliorumque, habuiſſe, quem Chriſto & ipſe exhibuit, & ab aliis exhiberi quoque enixe diſcupivit. Equidem larario in Palatio ſuo Princeps noſter, cum Reipublicæ Romanæ, & ſummus Imperator, & Pontifex maximus, eſſet, carere utique non potuit, idque ſtatuis & imaginibus Divorum, more Romano, ornatum eſſe oportuit. At vero, quidnam in larario illo rerum gereret, & quomodo rem divinam faceret, id, præter arcanorum participes, reliquos omnes ſtudioſe celare voluiſſe videtur. Obſervat certe non citra gravem rationem vitæ eius ſcriptor, eum *matutinis horis in larario ſuo rem divinam feciſſe.* Quid enim? An non ipſa hæc *matutina ſacra Alexandri*, quæ ab *antelucanis* & *nocturnis* Chriſtianorum non admodum diverſa fuiſſe cenſeo, religionem Imperatoris ſuſpectam reddunt? Sacra enim huius generis antelucana & nocturna, legibus Romanorum e civitate proſcripta, Seculo ſecundo & tertio Chriſtianis vulgo crimi-

ni

ni dari conſueviſſe, novimus. Qua de re pluribus diſſerentem quivis conſulere poteſt Illuſtrem *Bœhmerum Diſſertatione II Iuris Eccleſiaſtici §. 2, 3.* Rem eandem, ſed verbis contumelioſis, in muliere, (*) quam cœtui Chriſtianorum addictam fuiſſe, non temere ſuſpicor, *Apuleius* tangit & damnat *Metam. Lib. IX pag.* 223 edit. *Elmenh.*: *Tunc* mulier, *ſpretis atque calcatis divinis numinibus, in vicem certæ religionis, mentita ſacrilega præſumtione Dei, quem prædicaret unicum, confictis obſervationibus vanis, fallens omnes homines, & miſerum maritum decipiens, matutino mero* (merum, ſive vinum, intelligit euchariſticum, adeoque matutinis Chriſtianorum ſacris illudit,) *& continuo ſtupro corpus mancipat.* Quis hic non crimina ficta, Chriſtianis illa ætate toties impudentiſſime obiecta, illico agnoſcat? Vides igitur, Lector, ſacra matutina Chriſtianis ab *Apuleio* exprobrata. Et, talia fuiſſe quoque ſacra, quæ *Alexander* Imp. in larario ſuo, cum ſelecto, ut videtur, Chriſtianorum

(*) *Guil. Warburtonus*, celebris in Anglia ſcriptor, erudite obſervavit, *Apuleium* ſacris Chriſtianorum inſigniter fuiſſe infeſtum, eorumque cauſæ libris ſuis nocere voluiſſe. Ingenioſe idem monuit, *Æmilianum* illum, adverſus quem Apologiam ſuam direxit, inter cultores Chriſti nomen ſuum profeſſum fuiſſe. Vide *Silhouette Diſſertations ſur l'Union de la Religion, de la Morale, & de Politique, Diſſert. VII p.* 364, 365. Exemplo, quod illic *Warburtonus* protulit, iungas nunc licet alterum, quod hic dedimus.

rum domeſticorum numero, concelebravit, non ita gravate largietur, quisquis omnia hactenus dicta meditate penſitaverit. Neque profecto hanc de *Alexandri* religione ſuſpicionem eſſe plane novam, & nunc demum excluſam, fidem faciunt, quæ *Lampridius* de eo obſervat *cap. 28* fin.: *Antiochenſes, & Ægyptii Alexandrini, laceſſiverunt eum convitiolis, Syrum Archiſynagogum eum vocantes & Archiêrea.* Scio, hæc etiam in alium ſenſum exponi poſſe. Sed quid, quæſo, prohibet, quo minus eadem & ſententiæ meæ favere dicam?

VIII. Accedat ad priores illas obſervationes 3) nunc & iſta, videri *Alexandrum* in addiſcendis Chriſtianæ religionis præceptis uſum fuiſſe magiſtris, cœtui Gnoſticorum adſcriptis. Illius rei id mihi indicio eſt ſatis luculento, quod, cum Imp. Chriſtum ut Deum colere vellet, *Lampridio* teſte, eius ſive ſtatuam, ſive imaginem, in larario ſuo collocaret. Aperte hoc mihi Gnoſticorum ſectam redolere videtur. Etenim, Catholicos nullas ea ætate habuiſſe imagines Chriſti, (**) argumentis pluribus evinci facile poteſt. Ipſi potius talium imaginum & uſum & cultum Gnoſticis in acceptis ferre ſolent. Ita enim *Irenæus contra hæreſes Lib. I cap. XXV §. 6* edit. *Maſſueti: Gnoſticos ſe autem vocant, & imagines, quasdam quidem depictas, quasdam autem de reliqua materia fabricatas, habent, dicentes formam Chriſti, factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Ieſus*

(**) Præcipua hanc in rem argumenta expoſui in brevi Schediasmate Germanico, *de Origine imaginum Chriſti*, ante hos octo annos edito.

Ieſus inter homines. Ex *Irenæo* deſumſit *Epiphanius*, quæ eadem de re memoriæ prodidit *Hæreſi XXVII* §. 6 in hæc verba: *Habent porro Carpocratiani depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas, aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas eſſe Ieſu effigies affirmant: easdemque a Pontio Pilato ad Chriſti ſimilitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat.* Tangit quoque rem hancce *Auguſtinus* in libro *de Hæreſibus num.* 7. Et hæc quidem prima omnino eſt mentio imaginum Chriſti, quæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica occurrit. Quod de imagine ipſius Chriſti domini nunc dixi, nova quadam luce perfundetur, ubi animum ad alias imagines, quas *Alexander* ad imaginem Chriſti in larario ſuo adiunxit, appulerimus. Inveniemus namque imagines *Abrahami*, *Apollonii*, & *Orphei*. De *Abrahamo*, etſi poſſem, plura iam non addo. *Orpheum* vero, & *Apollonium Thyaneum*, in illa ſchola philoſophica, ex qua prodierunt Gnoſtici omnes, fuiſſe in veneratione prorſus ſingulari, multis modis teſtatum eſt, &, ſi operæ pretium ferret, extra omnem dubitationis aleam collocari nullo negotio poſſet. Et Gnoſticos quoque cum imaginibus Chriſti coniunxiſſe imagines Philoſophorum ac Poetarum, ſibi præ ceteris eximie carorum atque venerabilium, quales ſunt *Orpheus* & *Apollonius*, ſcriptores illi, quos iam ſemel, paulo ante, ad teſtimonium vocavi, pariter aſſeverant. *Irenæi l. c.* verba hæc ſunt: Imagines Chriſti *coronant & proponunt eas cum imaginibus mundi Philoſophorum — Pythagoræ, & Platonis, & Ariſtotelis, & reliquorum.* Earundem imaginum mentionem facit quoque *Epi-*

phanius, qui obſervat præterea, homines hos imagines ſuas occultas habuiſſe. *Auguſtinus* his imaginem quoque *Homeri* ſuperaddit. En imagines, illis, quas in lalario ſuo cum imaginibus Chriſti ſociavit *Alexander*, profecto ſimillimas. Neque vero mihi prætereundum hic eſt, quod iidem Auctores, ſemel atque iterum nunc laudati, obſervant, imagines tales Chriſti, Poetarum itidem & Philoſophorum, Gnoſticis uſitatas, Romam advexiſſe *Marcellinam*, mulierem diſciplina Carpocratianorum, id eſt, Gnoſticorum, imbutam, eamque temporibus *Aniceti*, Epiſcopi Romani, plurimos homines veneno doctrinæ ſuæ corrupiſſe. Ab eo igitur tempore, quod in medium Seculi II ingruit, Gnoſtici Romæ habuerunt cœtus ſuos, in quibus imagines Chriſti, & dilectorum ſibi Poetarum & Philoſophorum, gregalibus ſuis oſtendebant. Et poteritne cuiquam ſupereſſe adhuc dubium, quin ex iſtis Gnoſticorum cœtibus imagines, de quibus loquitur *Lampridius*, in lararium Imperatoris *Alexandri* fuerint translatæ?

IX. Cogitationibus his, etſi non inanibus, tantum tamen non indulſiſſem, niſi eas ſingularem in modum & confirmari, & illuſtrari, viderem per gemmam elegantem, quam e theſauro ſuo edidit Vir quondam ampliſſimus, *Iacobus de Wilde*, *num. CXXXVII*, quæ mihi totum huius rei myſterium clare aperire videtur. In gemma hac cernitur Monogramma Chriſti notiſſimum, hunc in modum effictum:

Inſcri-



Inſcriptio, quæ Monogramma iſtud ambit, in gemma talis legitur : SAL DON ALEX FIL MA LVCE. Eandem plane, ut credere par eſt, gemmam illuſtrare voluit vir illuſtris, *Carolus du Freſne*, in Diſſertatione de inferioris ævi numiſmatis, quam tamen, cum hæc ſcribo, evolvere mihi non licet. Sed bene eſt, quod in notis *Giſberti Cuperi*, Viri ſummi, in *Lactantium de moribus perſecutorum p. 239* iſta invenerim, ex quibus de ſententia illuſtris illius ſcriptoris Gallici iudicium ferri poteſt: *De Monogrammate autem Chriſti, in nummis expreſſo, agit illuſtris Du Fresne num. 24 Diſſertationis laudatæ, quæ ut elegantia ſunt, ita tamen puto, eum non recte explicare gemmam, in qua illud cernitur, & ſimul legitur:* SAL. DO. N. ALEX. FIL. LVCE. *Neque enim illa ullo modo referri poteſt ad Alexandrum, Mamææ filium, ſed ad Alexium, quo nomine varii poſterioribus temporibus Imperatores fuerunt, ſpectat; &* LVCE *æque commodo ſenſu exponi poteſt* LVCEBIT, *ut ita ſimul quaſi vota ſuſcipiantur pro Alexio, Imperatoris filio:*

quanquam nec LVCE *reſpuam, quia illud in aliis nummis* (*) *apud Choulium obviam eſt.* Ex hiſce viri doctisſimi verbis non poſſum non colligere, illuſtrem Gallum gemmam, de qua diſſeruit, ipſum oculis ſuis non ſubieciſſe. Nam literas has MA, ex quibus genuinus Inſcriptionis noſtræ ſenſus magna ex parte pendet, plane omiſit. Sunt autem illæ indicio certisſimo, nulliſque machinis eludendo, gemmam hanc ſculptam eſſe in honorem & memoriam *Alexandri Imp. Filii Mamææ.* Si literas has vidiſſet illuſtris *Cuperus*, pro incomparabili, qua pollebat, doctrina, rationes ſuas certe aliter digesſiſſet. Recte igitur *Du Freſnius* vidit, Inſcriptionem loqui de *Alexandro, Mamææ Filio;* ſed, quando verba hæc DON diviſim ita legit, DO. N. *Domino noſtro*, in quo tamen etiam *Cuperus* ſecutus eum eſt, verum eius ſenſum non percepit.

X. Vir ille amplisſimus, qui eximiam hanc gemmam ex theſauro ſuo integram edidit, & curate depictam nobis exhibuit, eam totam, rectisſime profecto, ita legit atque interpretatur: *Salus Donatæ Alexandro Filio Mamææ, Luce* α ☧ ω, *id eſt, Chriſti.* Quis iam neget, Inſcriptionem hanc iis verbis eſſe conceptam, quæ aliquam fidei in Chriſtum profesſionem, idque non obſcure, præ ſe ferant? Quis vitio verterit viro quondam erudito, & de

(*) Veroſimile eſt, *Cuperum* in mente habuiſſe illos apud *Choulium* nummos, qui exhibent LVCET. Vid. §. *XXI* huius Exercit.

de bonis literis egregie merito, *Tobiæ Eckhardo*, quod in *Collectione teſtimoniorum Non-Chriſtianorum de Chriſto*, poſtquam gemmam *Wildianam* attuliſſet, hæc ſubiunxerit *p. 157: Poſſit hæc gemma veriſimile præbere argumentum, fuiſſe hunc Alexandrum cum matre Mamæa clam religioni Chriſtianæ addictum, metu tamen etiam coluiſſe in larario profana Numina. Et cum propterea maxime, quod erga matrem unice pius eſſet, ut ſcribit Eutropius* Lib. II cap. XIV, *qui per annos XIV ſine ulla ſubiectorum querela, & ſine ſanguine, imperarat, Herodian.* Lib. VI cap. 9 *Maximini dolo fuerit interemtus, poſteaque Imperator Maximinus Chriſtianos, præſertim eorum doctores, in odium Alexandri Severi graviter vexarit, hinc etiam colligi poſſe videtur, quod opinio Chriſtianæ fidei occaſionem præbuerit rebellandi exercitui.* Quæ quidem tanto libentius adſcribere volui, quod iis, quæ ſupra pluribus adſtruxi, mirifice conſonent. Redit tum vir eruditus ad gemmam noſtram, deque ea hæc obſervat: *Chriſtiani enim hoc uſi ſunt ſigno; ſed, an ætatem Severi attingat, quod α & ω addiderint, exquirendum.* Operæ pretium puto, his nonnihil immorari, & verum gemmæ adeo memorabilis ſenſum in lucem protrahere.

XI. Ego in gemma noſtra non modo *argumentum veriſimile*, uti loquitur *Eckhardus*, ſed etiam indicia certa & omni exceptione potiora, invenio, *Alexandrum* Imp. ſacris Chriſtianorum clam initiatum fuiſſe. Documentum huius rei clariſſimum in medio gemmæ noſtræ conſpicitur, Monogramma nominis *Chriſti*, quale in nummis *Conſtantini*

M. & ſecutorum Imperatorum, uti nec minus in aliis Chriſtianorum monumentis, toties oculis noſtris ſeſe offert. Non equidem ignoro, quæ viri eruditi de origine, antiquitate, varioque uſu, figuræ illius, quam vocamus *Monogramma Chriſti*, diſputare ſoleant. Verum enim vero, quamvis libenter largiar, figuras quasdam, noſtro Monogrammati perquam ſimiles, reperiri etiam in monumentis ethnicorum, idque ante ipſius Chriſti in terra nati tempora, literæ tamen Græcæ, Monogrammati in gemma noſtra ab utroque latere additæ, α & ω, dubium hic omne penitus tollunt. His enim literis Monogramma noſtrum veluti communitum, in nummis Imperatorum Chriſtianorum, & in aliis pariter monumentis eccleſiaſticis, priſcæ ætatis, occurrere ſolere, norunt, qui deliciis hiſce capiuntur. Neque etiam obſcurus cuiquam poteſt eſſe integer Monogrammatis, talem in modum expresſi, ſenſus, qui hic eſt: *Chriſtus exiſtens* Α & Ω, ex *Apocal. I, 8, 11, XXI, 6, XXII, 13.* Tale igitur Monogramma, in gemma etiam noſtra ſpectandum, dubitare nos non ſinit, quin a Chriſtianis, & in uſum Chriſtianorum, ſculpta fuerit.

II. Citra omnem neceſſitatem vero ambigitur, utrum hæc Chriſtianiſmi teſſera α & ω, cum Monogrammate, ætatem *Alexandri* Imp. attingere credi posſit. Nam notæ huiuscemodi ſymbolicæ & ænigmaticæ fidei Chriſtianæ ætatem *Alexandri* non ſolum attingunt, ſed & ſuperant, quod, ne in aliis conquirendis argumentis nunc prolixior ſim, vel ex teſtimonio *Clementis Alexandrini* recte colligi poteſt. Is enim loquens de gemmis, quas etiam Chri-

ſtiani

ſtiani in annulis gerere ſolebant, talem fidei alumnis regulam commendat in *Pædagogi Lib. III cap. II p.* 246 fin. edit. Pariſ.: *Sint nobis ſignacula columba vel piſcis —— &, ſi ſit aliquis, qui piſcetur, meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur*, alludens ad *Matth. IV*, 18, 19. Quivis, lectis his verbis, per ſe illico intelligit, ſigna hæc, de quibus loquitur *Clemens*, teſſeras eſſe ſymbolicas fidei ac religionis Chriſtianæ, quibus in gemmis, aliave ſupellectile, uti tum ſolebant cultores Chriſti. *Columba* enim vel alludit ad columbam *Noæ*, folium olivæ ore præferentem *Gen. VIII*, 11, eoque typum oculis ingerit Chriſti domini, per quem Deus terræ pacem annuntiavit & largitus eſt; vel ſignificat deſcenſum Spiritus Sancti in Chriſtum, in baptiſmo factum, columbæ aſſimilati, quo emblemate maiores noſtros in primitiva Eccleſia frequenter uſos eſſe, novimus. *Piſcis* vero iiſdem ſymbolum erat frequentiſſimum & tritiſſimum fidei in Chriſtum, idque duas cumprimis ob rationes, quarum alteram ipſe *Clemens* nobis ſubminiſtrat, quando ait: *Meminerit puerorum, qui ex aqua* (nempe in baptiſmo) *extrahuntur*. Alteram explicet nobis *Tertullianus*, *Clementi* tempore æqualis, in libro *de Baptiſmo cap.* 1: *Nos piſciculi ſecundum* ἰχθὺν *noſtrum Ieſum Chriſtum, in aqua naſcimur*. Piſcis nimirum veteribus ſymbolum erat non tantum hominis Chriſtiani, per baptiſmum Servatori ſuo conſecrati, ac veluti ex aqua extracti, ſed ipſius etiam Chriſti domini, eo quod vox Græca, piſcem deſignans, ἰχθὺς, literas initiales nominis Chriſti continet, hoc modo:

 Ἰησοῦς.

Ι	Ἰησοῦς.	*Ieſus*
Χ	Χριστός.	*Chriſtus*
Θ	Θεοῦ.	*Dei*
Υ	Υἱός.	*Filius*
Σ	Σωτήρ.	*Servator*

Sæpe igitur in vetuſtis Chriſtianorum monumentis conſpicitur imago piſcis. Vide, ſi placet, *Antonii Boſii Roma ſotterranea* paſſim, cumprimis vero *p.514,515*, ubi occurrent tibi & *Monogramma* noſtrum  & *columba* etiam cum ramo oleagineo, & *piſcis* denique, omnia in aliquot monumentis ſive ſeorſim, ſive iunctim, efficta. Nempe hæc omnia æquipollent, & ideo in monumentis noſtrorum antiquis inter ſe permutabantur, ad ſignificandam fidem ipſorum & profeſſionem religioſam. Nonnunquam loco piſcis, ipſas has literas ΙΧΘΥΣ in eorundem monumentis expreſſas videas, quæ ſane liquido idem valent, quod Α Ω. Et, literarum expreſſarum uſum, crediderim ego, antiquiorem eſſe uſu figurarum, quæ rem eandem quidem, ſed multo obſcurius & prorſus ænigmatice, referebant, ubi tamen annulos ſemper excipio, quippe in quibus figurarum ſymbolicarum uſus eſt, ut norunt omnes, temporis antiquiſſimi. Uſus harum literarum omnium, de quibus nunc dixi, frequentior in Gemmis Gnoſticorum Abraxeis, uti vocantur, apparet, quam in monumentis aliorum Chriſtianorum. Et, cum gemmæ hæ ipſæ, certe quæ ex iis antiquæ & genuinæ ſunt, referentes etiam literas

ras has A Ω, ætatem *Alexandri* noſtri utplurimum antevertant, concedendum mihi erit, de antiquitate ſigni huius inter Chriſtianos dubitari iure non poſſe.

XIII. Poſtquam id ſemel idoneis argumentis evictum atque conſtitutum eſt, mediam gemmæ noſtræ figuram nihil aliud nobis exhibere, quam Monogramma Chriſti; ſponte conſequitur, inſcriptionem, quæ Monogramma in orbem circumdat, cum eo eſſe conjungendam, ut quæ ſic demum ſenſum facilem & plenum nobis offerat. Omnia igitur, quod monitum ſupra iam eſt, ita cum *Wildio* legenda eſſe cenſemus: *Salus donata Alexandro, Mamææ filio, luce Chriſti.* Non de nihilo eſt, quod, *Alexandrum* hic appellari, videmus, *Mamææ filium*, cuius rei pudere non poterat Principem, qui matrem ſuam usque ad vitæ finem incredibili veneratione, & maiori propemodum, quam decebat Imperatorem, proſecutus ſemper eſt. Itaque apud *Iulianum* Imp. in *Cæſaribus pag. 313 Silenus* temperare ſibi non potuit, quin hæc obiiceret *Alexandro*: ὦ μωρὲ, καὶ μέγα νήπιε, τηλικοῦτος ὤν, οὐκ αὐτὸς ἦρχες τῶν σεαυτοῦ, τὰ χρήματα διδοὺς τῇ μητρί. *O inſigniter ſtulte, qui, cum ad tanti imperii maieſtatem provectus eſſes, res tuas tamen gubernare non potuiſti, ſed omnes facultates tuas matri concrediaiſti.* Nota ſatis ſunt, quæ eandem in rem apud vitæ eius ſcriptores, *Herodianum, Lampridium*, aliosque inſuper, paſſim leguntur. In obſervationibus Gallicis illuſtris *Spanhemii ad Cæſares Iuliani pag. 99* numiſma viſendum eſt, in quo exhibentur capita, hinc *Alexandri*

dri Imp. illinc *Iulia Mamaea*, cum hac Inſcriptione: IMPERATOR ALEXANDER PIUS AUGUSTUS. IULIA MAMÆA AUG. MATER AUG. Cum igitur Imperator ipſe *Mamaeam* in nummis honoris cauſa appellari aut vellet, aut certe pateretur, *Matrem Auguſti*; mirum nemini videri debet, quod ipſe in gemma noſtra vocitetur *Mamaeae* filius.

XIV. Verum praeterea a ſcopo me non aberraturum eſſe puto, ſi dixero, Chriſtianos, qui gemmam hanc ſculpi curarunt in honorem & memoriam *Alexandri*, venerationem quoque, qua Imperatoris matrem, tanquam illuſtrem coetus ſui ſociam, proſecuti ſunt, una teſtari voluiſſe. Non ſine gravi ratione * eruditorum permulti ſibi perſuadent, foeminam hanc Auguſtam ſacris Chriſtianorum clanculum addictam fuiſſe, eorundemque amorem filio ſuo inſtillaſſe. Eius rei certe inſigne documentum dedit, cum ** ſub ultima vitae tempora, Antiochiae degens, *Origenem*, quo nemo inter doctores Eccleſiae Chriſtianae tum erat celebrior,

(*) Videri hic poſſunt *les Memoires ſur l'Hiſtoire Eccleſiaſtique de Mr. de Tillemont Tom. III p.* 524, uti & Diſſertatio *Frid. Spanhemii*, Fil. *de Iuliae Mamaeae temere credito Chriſtianismo*, in *Oper. Theol. Tom. II col.* 400, quanquam illic ſententiam hanc oppugnet. Neque quemquam poenitebit evolviſſe Diſſertationem Clariſſimi *Zeibichii*, ſupra iam laudatam, in *Novis Miſcellan. Lipſ. Vol. III Part. I num. IV* §. 23, 24, 25.

(**) Poſſunt & hic conſuli *les Memoires de Mr. de Tillemont Tom. cit. p.* 524. Adde Notas ad eundem *Tomum p.* 763, 764.

brior, ad ſe evocaret, ut cum ipſo de rebus, ad religionem ſpectantibus, ſermones conferre poſſet. Hæc mihi fuiſſe cauſa videtur, cur *Euſebius*, poſtquam *Alexandri* Imp. mentionem unico tantum verbo feciſſet, ſive quod de Chriſtianismo eius ipſi plane nihil conſtitiſſet, ſive quod eum communionis cum hæreticis hominibus ſuſpectum crederet, ad *Mamæam* illico tranſiens, eam laudibus hiſce condecorare æquum cenſuerit: *Porro mater Alexandri Imperatoris, Mamæa nomine, pia inprimis ac religioſa fœmina*, & quæ ibi ſequuntur, *Hiſt. Eccleſ. Lib. VI cap. 21.* Diceres, *Lampridium*, cuius, quantumvis cultoris idolorum, diligentiæ eximiæ præcipua Chriſtianismi indicia, quæ in *Alexandro* obſervavimus, debentur, hæc *Euſebii* verba præ oculis habuiſſe, cum de *Mamæa* in *Vita Alexandri cap. 14* fin. hæc ſcriberet: *Cum* Alexander *puer ad imperium perveniſſet, fecit cuncta cum matre, ut & illa videretur pariter imperare, mulier ſancta, ſed avara, & auri atque argenti cupida.* Equidem *Mamææ* virtutem & pietatem celebrarunt etiam alii ſcriptores exotici; ſed credi tamen non ſine magna probabilitatis ſpecie poteſt, *Lampridium* ea, quæ de propenſione *Alexandri* in Chriſtianos fere ſolus memoriæ prodidit, ſicuti & quæ ad commendandam memoriam *Mamææ* interſperſit, in gratiam potiſſimum *Conſtantini M.* cui vitam *Alexandri* dedicaverat, ſcripſiſſe.

XV. Pergimus ad alia, quæ nobis in gemma noſtra attentione videbuntur digniora. Excutiendum igitur nunc, quid ſibi velit in gemma *lux Chriſti*, qua ſalus *Alexandro* donata dicitur. Nam,

quae

quæ adverſus hanc lectionem obiici poſſent, & ab illuſtri *Cupero* re ipſa obiecta fuerunt, poſtea §. XXI melius examinabuntur. *Lucem* vero poni pro *die*, Scriptoribus Romanis uſitatum & perquam familiare eſt. Ita *Ovidius Lib. IV Faſtor. verſ. 625*:

Luce ſecutura tutos pete, navita, portus;

& *verſ. 629*:

Tertia poſt Veneris cum lux ſurrexerit Idus;

& *verſ. 901*:

Sex ubi, quæ reſtant, luces Aprilis habebit.

Erit igitur *lux Chriſti* idem, quod *dies Chriſti*, id eſt, dies honori & memoriæ Chriſti domini conſecratus. Nam, etſi *lux* Latinis Scriptoribus diem quemcunque generatim ſignificet, ſolent tamen voce hac libentius & frequentius uti, ubi ſermo eſt de diebus feſtis, ſacris, & religione conſecratis. Exemplo ſit *Propertius*, cuius hic eſt in *Lib. II Eleg. I verſ. 5*:

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator;

& *verſ. 29*:

Vina diem celebrent. Non feſta luce madere
Eſt rubor. — —

Palam igitur eſt, ſubinnui in gemma diem, quem Chriſtianorum pietas & religio ſacrum Chriſto domino eſſe voluit. Poſſet ſane haud incommode intelligi feria hebdomados prima, quam, præeunte Apoſtolo *Ioanne Apoc. I, 10*, κυριακὴν, ſive *dominicam*, appellare conſuevimus. Illa enim rectiſſime diceretur *lux Chriſti*, vel dies memoriæ Chriſti, ac ſpeciatim glorioſæ eius reſurrectionis, dictata. Sed crediderim tamen ego, & credent mecum, opinor,

opinor, alii quoque, feſtum hic deſignari aliquod prorſus ſolenne, adeoque anniverſarium potius, quam vertente quavis hebdomade recurrens, qualia in Eccleſia illo ævo celebrari iam ſolebant. Vero itaque ſimillimum videri poterit, intelligi hic Dominicam Paſchatis, qua ſolemus, redeunte quovis anno, recolere memoriam reſurrectionis Chriſti e mortuis, eamque veteres ſolent appellare *reginam dierum*, *Feſtum Salutis noſtræ*, quod gemmæ noſtræ, in qua *Salus* dicitur *donata Alexandro luce Chriſti*, pulchre convenire videtur. Vocatur & *Dominica gaudii*, *maxima dierum*, *prima & domina dierum*, *ſolennitatum domina*, & quæ alia huiusmodi congeſta reperiuntur in *Caſp. Suiceri Theſauro Eccleſiaſtico*, voce Πάσχα, *col. 622*, & in *Binghami Originibus Eccleſiaſt. Lib. XX cap. V §. 7.*

XVI. In hac ſententia tanto libentius acquieſcerem, quia ſolennitas Paſchalis in Eccleſia Occidentali erat quoque (***) baptismi adminiſtrandi tempus ſtatutum, niſi tot rationibus, quas infra *§. XVIII* &c. exponam, permotus, nunc certo intelligerem, gemmam noſtram ex officina Gnoſticorum prodiiſſe, & ritus ipſorum cœtibus proprios aperte præ ſe ferre. Illis autem, teſte *Clemente Alexandrino Stromat. Lib. I pag. 340*, dies XI menſis Ægyptiorum Tybi, id eſt, VI Ianuarii, longe erat ſanctiſſimus & maxime ſolennis, quippe quo

(***) Vide *Binghami Origines Eccleſiaſt. Lib. XI cap. VI §. 7.*

quo memoriam **** nativitatis & baptiſmi Chriſti, & aliorum præterea beneficiorum eius, religioſe celebrant, & cui etiam vigiliam nocturnam, lectione verbi Dei & precibus tranſigendam, præmittebant. Poſtquam vero dies hicce VI Ianuar. primo quidem a Gnoſticis, ac deinde etiam, ſucceſſu temporis,

(****) Videtur *Clemens Alexandrinus*, prima fronte, hanc memoriam, die VI Ianuar. celebrari a Gnoſticis ſolitam, ad ſolum baptiſmum Chriſti reſtringere. Nam, poſtquam dixiſſet de die Nativitatis Chriſti, hæc illico addit: Οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου, καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, *Baſilidiani vero eius quoque baptiſmi diem celebrant*, diem nempe XI Tybi, vel VI Ianuarii, uti mox deinde ſcribit. Verum recte ad mentem & verba *Clementis* attendenti, patebit facile, eum, re ipſa, memoriam nativitatis Chriſti, de qua modo in præcedentibus dixerat, minime excludere. Ait enim de Baſilidianis: καὶ τοῦ βαπτίσματος τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, quaſi diceret, Baſilidianos non *diem* nativitatis tantum, ſed etiam *baptiſmi, celebrare* d. VI Ianuar. Certum eſt præterea ex teſtimonio *Clementis*, Baſilidianos omnium primos ſolenniter in Eccleſia celebraſſe d. VI Ianuar. Et credibile eſt, ipſos ſolennitatem hanc peregiſſe ſolos, in uno ſuo coetu, ultra Seculum integrum. Deinde ab his demum & ſatis ſero diei huius ſolennitatem mutuata eſt Eccleſia Orientalis, idque paulatim, tota, forte quia credidit, conſuetudinem hanc ſolennem Gnoſticorum niti traditione antiquiſſima, in coetu ipſorum conſervata. Quia vero tota Eccleſia orientalis die hoc VI Ianuarii, quem a Gnoſticis certiſſime mutuata eſt, iunctim concelebravit memoriam & nativitatis & baptiſmatis Chriſti, videtur utique & hoc a Gnoſticis accepiſſe.

poris, a tota quaquaverſum Eccleſia Orientali, ut dies natalis Chriſti, celebrari religioſe cœpit, merito vocari potuit *lux Chriſti*; ita enim dies natalis ſpeciatim dici quoque conſuevit. Sic *Paulinus Nolanus*, loquens de die natali *Felicis Martyris* ſcribit *Carmine XXII pag. 575* edit. *Rosweydi:*

Iſta luce tamen nobis pia gaudia laetum
Ver faciunt;

et *Carmine XXIII* init.:

Ecce dies nobis anno revoluta peracto
Illuſtrem Felicis nomine lucem;

et *Carmine XXIV pag. 598*:

Lux huius natalis adeſt — —

Sicuti igitur *lux Felicis* hic idem eſt atque *natalis Felicis*; ita per *lucem Chriſti* quid vetat intelligi & huius natalem diem? Poſſumus quoque id adiicere, Eccleſiam Orientalem eundem huncce diem vocaſſe etiam ἡμέραν τῶν Φώτων, *diem luminum*, cuius denominationis rationem hanc reddit *Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIX*, poſt init.: *Etenim ſanctus luminum dies*, — *quem hodie divino beneficio celebravimus*, *initio quidem Chriſti mei*, *hoc eſt*, *veræ lucis*, *omnem hominem*, *in mundum venientem*, *illuminantis*, *baptiſmum habet: meam autem quoque purgationem* (nempe per baptiſmum) *operatur*. &c. Quam denominationem ſi dies hicce, quod mihi vero perquam ſimile videtur, a Gnoſticis accepit; intelligitur tanto melius, quam eleganter *lux Chriſti* in gemma noſtra nuncupatus fuerit.

XVII. Nunc iam facile perſpici poteſt, qualisnam ſit illa *ſalus*, quam *Alexandro* donatam fuiſſe

luce Chriſti, gemma noſtra teſtatur. Non enim hic cogitanda aut valetudinis priſtinæ recuperatio, aut alius cuiuscunque boni, corporalis, caduci, ac perituri, largitio; ſed ſalus, quam Chriſtus, in carne manifeſtatus, mundo peperit, & cuius credentes in eam, per fidem & baptismum participes fiunt, *Marci XVI, 16. Baptiſmum* igitur in aliquem *conferre*, eſt, ut ſtilo veterum utar, *ſalutem* alicui *donare.* Eſt enim baptiſmus ſecundum *Auguſtinum Lib. II contra Creſcon. cap. 13: Sacramentum novæ vitæ, ac ſalutis æternæ*, vel *ſecundum Cyprianum ad Donatum pag. 2* edit. Oxon. *lavacrum aquæ ſalutaris*, ex quo nempe eſt *nativitas ſalutaris Epiſt. XIII pag. 29.* Igitur *Cyrillus* Hieroſolymitanus *Catecheſi myſtagogica II num. VII pag. 314* edit. noviſſimæ aſſerit, ad baptizatos pervenire, *ſalutis non ſimilitudinem, ſed veritatem.* Hoc ipſum *Gregorius Nazianzenus* auditoribus ſuis continuo repetit, & ob oculos ponit, quando ipſis omni niſu perſuadere cupit, ut ad baptiſmi gratiam, ſublata quacunque mora, feſtinent, *Orat. XL pag. 644: Tibi ipſi, priusquam urgeat neceſſitas, medere; tui ipſius miſerere; — tibi ipſi re vera ſalutare medicamentum adhibe.* Et *pag. 654: Eſto tardus ad omne malum, celer vero feſtina ad ſalutem.* Et *pag. 656: Temporis occaſionem arripe: — baptizare, & baptizatus, ſalutem accipe. — Salutem conſequere, qua nihil ſublimius præſtantiusque eſt.* Neque vero minus magnifica ſunt, quæ de ſalutari gratia Baptismi ſolent prædicare Gnoſtici, quod nos abunde docent Excerpta ex *Theodoto Valentiniano* & Doctrina Orientali,

quæ

quæ Operibus *Clementis Alexandrini* ſubiici ſolent, & ex illius *Hypotypoſeon* libris deſumta eſſe creduntur, in editione *Fabricii (Bibl. Græc. Vol. V p. 174, 176, &c.) §. 76, 77, 78*. Ea igitur fuit *ſalus donata Alexandro*, cuius monumentum gemmam noſtram exſtare voluerunt Gnoſtici. Quam non bene *ſalus* illa convenit *luci Chriſti?* Hæc veteribus dici conſuevit, quod monitum iam eſt, **ἡμέρα τῶν φώτων**, *dies luminum*, illa φωτισμὸς, *illuminatio*, quod in Orationibus *Gregorii Nazianzeni XXXIX* & *XL* toties legitur. Et erat in Eccleſia Orientali lux Chriſti natalis, ſive dies VI Ianuarii, ſolenne baptismi adminiſtrandi tempus, quod in Orationibus, modo laudatis, *Gregorius* plus ſemel nos docet. Videtur autem Eccleſia illa & hoc accepiſſe a Gnoſticis, uti ab iisdem univerſam diei huius ſolennitatem mutuata eſt. Exſtant in gemmis Gnoſticorum Abraxeis teſſeræ horum hominum baptismales, de quibus alio loco magis opportuno plura diſſerere animus eſt, in quibus diei huius, qui modo, more Romanorum, d. VI Ianuarii ab ipſis appellatur, modo vero etiam ſtilo Ægyptiorum d. XI Tybi, mentio occurrit ſatis luculenta, ſed tamen non niſi adhibito labore diligenti eruenda.

XVIII. Teſtatur itaque gemma noſtra, *Alexandrum* Imp. baptismo ſacris Chriſtianorum initiatum fuiſſe. Sed paſſim iam, ubi ſe occaſio forte obtulit, in ſuperioribus monui, cœtum Chriſtianorum, ad quem ſe adiunxit, fuiſſe hæreticorum Gnoſticorum. Quod cum quibusdam videri fortean poſſit maiori adhuc luce indigere, argumenta,

quæ id mihi perſuaſerunt, ordine commemorabo, & in unum agmen congeram, ut robur, quod ipſis ineſt, tanto melius intelligi ab unoquoque & perſentiſci queat. Et primo quidem, ſi vel indicia huius rei, quæ nobis gemma offert, tantiſper ſeponamus, ea tamen nobis de Imperatore *Alexandro* refert nobiliſſimus vitæ illius ſcriptor *Lampridius*, ut vix aliis teſtimoniis opus eſſe putem, qua de re ſatis dictum eſt §. *VIII*, quibus nunc nihil addo.

XIX. Ubi deinde gemmam, quam præ manibus habemus, curatius & ſtudioſe contemplamur, illa, quæ medium locum occupat, figura Monogrammatis Chriſti, cum additis *α* & *ω* novum documentum oculis meis ingerit. Non quidem neſcius ſum, quod ipſe ego §. *XI* pluribus urſi, notam hanc fidei Chriſtianorum in permultis eorum monumentis antiquis hodieque conſpici; ſed non potui tamen non ibidem monere, viris eruditis dubium videri, an literæ hae *α*, *ω*, quando teſſeram Chriſtianæ fidei referunt, reperiri poſſint in monumento, quod ætatem *Alexandri* Imp. attingat. Et certe, quamvis teſſeræ Chriſtianiſmi huius generis aliæ reperiantur, & in univerſum a genio illius ævi alienæ non ſint, neſcire me tamen libens fateor, utrum detur aliquod tantæ antiquitatis monumentum, ad Chriſtianos Catholicos pertinens, ubi literæ illæ, de quibus nunc diſputo, pictæ, aut ſculptæ, deprehendantur. Sed monumenta Gnoſticorum, ætatem *Alexandri* non modo contingentia, verum etiam excedentia, oſtendere bene multa poſſum, quæ literas has Α Ω complectuntur, & non ſine affectatione aliqua ſæpius repetunt. Verum

id

id quidem, ne in nimium excreſcat hæc Diſſertatio, alii loco & tempori me reſervare oportet. Et ſunt quoque Scriptores Eccleſiæ vetuſti, qui id obſervarunt, quique propterea crebriorem & affectatum quendam literarum A & Ω uſum Gnoſticis obiiciunt. Ex iſtis ſolum nunc eligo *Tertullianum*, *Alexandro* antiquiorem, cuius ea de re verba hæc ſunt ex libro de *Præſcriptione hæreticorum Cap. 50: Non defuerunt poſt hos Marcus quidam & Colarbaſus, novam hæreſin ex Græcorum Alphabeto componentes. Negant enim, veritatem ſine iſtis poſſe literis inveniri, imo totam plenitudinem & perfectionem in iſtis literis eſſe diſpoſitam. Propter hanc enim cauſam Chriſtum dixiſſe: Ego ſum* A *&* Ω. Addidit ibidem & hæc: *Denique Ieſum Chriſtum deſcendiſſe, id eſt, columbam in Ieſum veniſſe, quæ Græco nomine cum* περιϛερὰ *pronuntietur, habeat ſecundum numerum DCCCI.* Apparet ex his A & Ω ſignum fuiſſe Gnoſticis myſticum, idque non modo pictis ipſis his literis expreſſiſſe, ſed adhuc ænigmatice magis, picta columba, quia nempe vox Græca, columbam deſignans, περιϛερὰ, ſi ſingularum literarum valorem numericum computes, producit 801, quam ſummam efficit pariter A Ω. Poterit cum ſcriptore hoc conferri *Irenæus*, *Alexandro* quoque vetuſtior, *Lib. I Cap. III §. 2, Cap. XIV, XV, XVI, XX, §. 2,* & iunior *Philaſtrius de Hæreſibus Cap. 42.* Unum id obiter nunc addam, ſpectare quoque huc celebratiſſimum Gnoſticorum *Iao*, cuius nominis πολυθρυλλήτου veram rationem aſſecuti non ſunt eruditi. Nihil enim aliud, niſi hoc, ſignificat *Ieſus, qui eſt* A *&* Ω.

XX. Si nunc porro animum advertamus ad *lucem Chriſti*, cuius memoriam in gemma *Alexandri* celebratam videmus, an non ſponte ſua cuique talis oboritur cogitatio, per illam appoſite maxime intelligi natalem Chriſti, quo is primum mundi huius lucem adſpexit, & quo poſtea gaudii huius commemorationem inſtituere voluit Eccleſia. Cum vero certum & in confeſſo ſit, commemorationem hanc in Eccleſia Occidentali antiquiori non minus, quam Orientali, inſtitutam fuiſſe d. VI Ianuar. non minus certum & hoc eſt, diei iſtius ſolennitatem omnium primos celebraſſe Gnoſticos, quippe quod teſtantem *Clementem Alexandrinum* vidimus (*§. XVI*) eo tempore, quo ſolis adhuc Gnoſticis dies ille feſtus erat. Neque etiam credo, ullo idoneo argumento probari poſſe, tempore *Alexandri* Imp. præter Gnoſticos fuiſſe in Eccleſia alios, qui diem illum religioſa celebritate colerent. Uti vero ævo illo, quo ſculpta eſt gemma noſtra, Gnoſticis proprium adhuc erat, celebrare natalem Chriſti, & quidem d. VI Ianuar. ita ad illos quoque pertinuiſſe putandum eſt, credentibus eodem hoc die, ſeu luce Chriſti, *ſalutem donare*, quod in gemma legimus, id eſt, eos baptiſmo initiare. *Romæ* ceteroquin ſcimus, apud *Catholicos*, ſolennitati huic baptiſmali aliud ſtatutum fuiſſe tempus, feſtum nempe Paſchatis. Et, quanquam in Oriente mos ille, acceptus, ut auguror, a Gnoſticis, ut in feſto *Theophaniæ*, vel natalium Chriſti, baptiſmus ſolenniter adminiſtraretur, aliquamdiu ſeruatus fuerit; labente tempore tamen ſucceſſive ſublatus eſt, forte, quod hæc ſubiret animos cogitatio,


in-

inſtitutum id deberi hæreticis. *Leo M.* certe, cuius cum *Priſcillinianiſtis*, hominibus de grege Gnoſticorum & Manichæorum, certamina diuturna in Hiſtoria Eccleſiaſtica illuſtria ſunt, hac de cauſa videtur ſanciviſſe, ne poſthæc in Feſto Epiphaniæ Baptiſmus celebraretur *Epiſt. XVI p.* 462 edit. *Quesnell.* Denique nec id omittendum mihi eſt, me, perpenſis diligenter momentis omnibus, aliter colligere non poſſe, quam gemmam noſtram monumentum eſſe, conditum in memoriam Baptiſmi *Alexandri* Imp. ipſique poſtea eo fine donatum, ut eſſet teſſera fraternitatis ipſius & communionis cum Eccleſia Chriſtiana. Hanc eſſe veram indolem & ingenium proprium gemmarum, quæ dicuntur *Abraxeæ*, illarum certe, quæ ſunt antiquiores & genuinæ, in peculiari de Gemmis his Commentatione, ubi eam edendi copia facta fuerit, ad liquidum perducam. Eundem vero ritum inter Catholicos obſervatum conſimiliter fuiſſe, certo indicio comperire hactenus non potui, quamuis gemmæ ipſorum annulariæ, de quibus ex *Clemente Alexandrino* dictum eſt §. *XII*, ad baptiſmi gratiam alludere ſolerent.

XXI. Non inficias eo, præcipuum robur eorum, quæ in ſuperioribus adſtruxi, ſitum eſſe in lectione & interpretatione gemmæ noſtræ, quam aut ſecutus ſum, aut ipſe ſuppeditavi. Neque etiam me fugit, eſſe viros excellenti doctrina ornatos, qui verba gemmæ alio modo legant, & in ſenſum alium interpretentur. Ampliſſimum *Du Freſne* verba initialia gemmæ ſic legere: SAL DO N ALEX. id eſt, *Salus Domino noſtro Alexandro*, & hanc eius lectionem plane probari illuſtri *Cupero*, intelligi

 poteſt

poteſt ex §. *IX.* Idem quoque *Cuperus* vocem hanc LVCE interpretatur LVCEBIT, quæ lectio ſane omnes meas obſeruationes uno ictu evertit. Hæc igitur prius expedienda, & e medio tollenda, mihi eſſe video. Equidem, quia Diſſertatio ampliſſimi *Du Freſne* mihi ſcribenti præſto non eſt, dicere nequeo, an ad ſtabiliendam lectionem ſuam attulerit aliqua argumenta, & cuiusnam illa ſint generis. Sed, quicquid ſit, nihil certe pro firmanda lectione virorum doctorum melius, vel opportunum magis, adduci poſſe reor, quam inſcriptionem duorum nummorum *Conſtantii* & *Decentis*, qui a *Choulio* in libro *de Religione Romanorum p. 182* verſionis Belgicæ prolati cernuntur. In utroque nummo viſitur primo monogrammaChriſti,



medium locum occupans, adſcriptis ab utroque latere literis his Græcis A Ω. In margine vero nummi inſcriptio hæc Monogrammati in orbem adiecta legitur: SALVS DD. NN. AVGG. LVCET, quæ ſine dubio ita eſt legenda: *Salus Dominis noſtris Auguſtis lucet*, eaque multis videbitur, quod facile prævideo, clavis certiſſima explicandæ etiam gemmæ noſtræ. Verum ab illis ego non poſſum non diſſentire. Et primo quidem, quando in nummis adductis *Conſtantius* & *Decentius* nuncupantur *Domini noſtri*, id ad gemmam noſtram trahi omnino non poteſt. In hâc non legitur D. N. vel DO. N. id eſt *Domino noſtro*, ſed in ea, uti e *Theſauro Wildii* accurate depicta edita eſt, luculenter ſculptum exſtat SAL DON. id eſt,

Sa-

Salus donata. Teſtem porro habemus de *Alexandro* luculentum, *Lampridium*, qui in Vita eius *cap.* 4 ſcriptum reliquit: *Dominum ſe appellari vetuit.* Id igitur fieri *Alexander* paſſus non fuiſſet in nummis publicis, & omnium minime in monumento ſuæ ad ſacra Chriſtianorum initiationis. Et in univerſum obſervavit vir in literis his princeps, *Ezech. Spanhemius*, *primum*, qui in nummis ſe vocari ſiverit *Dominum noſtrum*, occurrere *Aurelianum* Imp. *Diſſ. VIII de præſtantia Numiſmatum p.* 729 edit. *in* 4. Manet igitur in tuto lectio gemmæ noſtræ *Wildiana*. Reliqua in Numis Imperatorum maiorem in gemma noſtra convenientiam præ ſe ferunt. SALVS AVGG. LVCET, quod in Impp. his utique nota eſt profeſſionis Chriſtianæ, uti & in *Alexandro*. Sed eſt tamen inſignis etiam inter nummos *Choulii* & gemmam *Wildii* diſcrepantia. In nummis enim de Impp. dicitur: Illis SALVS LVCET, quibus verbis reſpici videtur ad crucem, quæ *Conſtantino M.* in cœlo apparuiſſe, & vere luxiſſe, perhibetur. Sed de *Alexandro* legimus in gemma SALVS DON ALEX. LVCE, quæ conſtructio imperfecta & manca, ut quivis intelligit, ſenſum plenum tum demum accipit, cum in ſupplementum Monogramma additur, LVCE CHRISTI, QVI EST Α & Ω.

XXII. Superſunt adhuc difficultates quædam, quæ totam hanc rem, de Chriſtianiſmo *Alexandri* Imp. non mediocriter ſuſpectam, aut valde dubiam, reddere videntur, quæque in univerſum tacitus prætermittere non poſſum. Occurrit enim primo loco ſilentium in cauſa tanti momenti altiſ-

ſimum Scriptorum Chriſtianorum omnium, tam illius ævi, quo vixit *Alexander*, quam ætatis etiam inſecutæ. Quanta non eſt (*) teſtium antiquorum turba, qui perſuadere nobis conantur, *Philippum* utrumque, patrem & filium, Impp. Romanos, Chriſto nomen dediſſe, etſi, ea in re fidem ipſis adhibendam eſſe, minime cenſeam; ſed ne unus quidem hactenus produci potuit, qui de *Alexandro* tale quid aſſeveraverit. Præcipua Chriſtianiſmi, quem in *Alexandro* obſervamus, indicia ſubminiſtrat nobis ſcriptor vitæ eius ethnicus. Equidem id non diffiteor; ſed nec difficile adeo fuerit, cauſas ſilentii, quod in hac cauſa ſervarunt Scriptores Eccleſiaſtici, inveſtigare. Erat *Alexander* cœtui addictus Gnoſticorum, idque clanculum. Nihil impedit, quo minus dicamus, latuiſſe hoc Catholicos. Scimus enim ex teſtimonio veterum, Gnoſticos de re nulla tam ſollicitos fuiſſe, quam ut res ſuas celarent alios, utque illæ ſuis tantum cognitæ bene ac perſpectæ eſſent. Quodſi vero etiam de negotio hoc aliquid ipſis ſuboluiſſet, id omne tamen tale profecto erat, aut ipſis videbatur, ut æterno ſilentio premi longe ſatius putaretur. Mihi potius viciſſim ſilentium Scriptorum noſtrorum de Imperatore, qui tantam ſemper & Chriſti domini, & religionis, ab eo propagatæ, reverentiam præ ſe tulit, qui profeſſores religionis huius tot beneficiis ſibi devinxit, qui quavis occaſione tantopere ipſis favere de-

(*) Illos nominatos vide a *Frid. Spanhemio*, Fil. in *Hiſtoria Chriſtiana Seculi III col.* 701, & in *Diſſertatione peculiari de Chriſtianiſmo Philipporum* §. *III Oper. Theol. Tom. II col.* 406, 407.

deprehenditur, aliquid arcani, & neſcio quibus ſuſpicionibus obnoxii, alere videtur.

XXIII. Longe maioris momenti credi poſſit argumentum aliud, deſumtum a rebus ab *Alexandro* Imp. geſtis, & a nummis, nomine eius conſignatis. Nam, quod ad res ab Imp. hoc geſtas attinet, inter multa præclara eius facta, etiam talia commemorari videmus, quæ cum profeſſione fidei Chriſtianæ non bene conciliari poſſe exiſtimabuntur. In laudibus eius ponit *Lampridius Cap.* 22: *Pontificibus tantum detulit & quindecim viris atque auguribus, ut, quasdam cauſas ſacrorum, a ſe finitas, iterari & aliter diſtingui, pateretur.* Idem de eo & hoc refert *Cap.* 41: *Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens, gemmas viris uſui non eſſe: matronas autem regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum qua ſacrificium facerent.* Id vero Imperatorem de propria uxore intellectum voluiſſe, ut coronata Diis ſacrificaret, docent ea, quæ ibidem mox ſequuntur: *Imitati ſunt eum magni viri, & uxorem eius matronæ pernobiles.* Sunt & hæc Auctoris illius de *Alexandro* verba *Cap.* 43: *Capitolium ſeptimo die, cum in urbe eſſet, adſcendit, templa frequentavit.* Hæc profecto ineluctabili teſtimonio ſunt, *Alexandrum* templa Deorum populi Romani frequentaſſe, & ſacra eorum procuraſſe, cuius rei præterea hodienum exſtant monumenta nunquam peritura, nummi Imperatoris huius nomine ſignati. Apud *Choulium de Religione Romanorum pag.* 38 nummus exhibetur huius Imperatoris, cum effigie *Iovis* ſedentis

in

in templo, addita hac inſcriptione: IOVI VLTORI P. M. TR. *P. III. Coſ. II.* Similem relatum quoque videmus a *Vaillantio Tom. I pag. 142.* Eſt & alius *Alexandri* noſtri apud eundem *pag. 144*, inſcriptus MARTI • VLTORI, & in libro *Choulii* citato *pag. 58* alius itidem occurrit, IOVI PROPVGNATORI conſecratus, ne iam plura huiusmodi congeram.

XXIV. Nullus diffitebor, hæc, quæ modo in medium attuli, inſigni prorſus ſpecie iis abblandiri, qui, *Alexandrum* in caſtris gentilium vixiſſe, & usque ad vitæ exitum permanſiſſe, contendunt, eſſe etiam ita comparata, ut vel doctiſſimis quibusque id ipſum perſuadere queant. Sed, ſi tamen cum his priora, quæ ſupra diſputavi, confero, & omnia æqua lance expendo, aliter, quam ſic, iudicare non poſſum, *Alexandrum* Chriſto vere nomen dediſſe, & cœtus quoque Chriſticolarum religioſos frequentaſſe, ſed clandeſtinos, in domo ſua, noctu, aut horis, ſive antelucanis, ſive ſaltem matutinis, celebratos, de quibus *§. VII*, & interea tempus, quo id ipſum liberius & ſecurius facere poſſet, caute aucupatum fuiſſe, quod ſane ab ingenio Gnoſticorum haudquaquam abhorret. Quis non ex eo, quod Chriſto templum erigere publicum, eumque inter Deos Romanorum recipere, decreverit, ac ea de re ad Pontifices retulerit *(§. VI)*, ſubodoretur, eum animos Romanorum ſuper eo negotio pertentare voluiſſe? Dum igitur Imperator diſſimulare rebus ſuis, & forte etiam Chriſtianorum, conſultum adhuc duxit, ea, quæ ad religionem Romanorum avitam ſpectabant, negligere in univerſum haud

potuit,

potuit, niſi aut imperio decedere, aut capiti ſuo metuere, continuo vellet. Norunt enim omnes, a temporibus inde *Iulii Cæſaris* & *Auguſti* Imperatores Romanos cum maieſtate imperii tanti Pontificatum maximum ſemper coniunxiſſe, & ſacrorum populi huius non minus, quam reipublicæ, ſupremos moderatores fuiſſe. Ipſi Impp. Chriſtiani dignitatem Pontificatus maximi tanti ponderis, ſibique tam neceſſariam, iudicarunt, ut ad *Gratiani* usque tempora ea ſe abdicare non auderent. Habetur in *Cod. Theodoſ. Lib. XVI Tit. X* §. *1* Conſtitutio *Conſtantini M. de anno 321*, in qua ceu Pontifex Maximus quaedam circa haruſpicinam Romanorum ſancit, religioni & ſuperſtitionibus populi illius conſona, quamvis dudum ante ſacra Chriſtianorum probaſſet, & publice celebraret. Si id fecit *Conſtantinus* Chriſtianus, & pro tali ab omnibus agnitus; quis dubitare poſſit, feciſſe idem quoque, ſicubi res id exigeret, *Alexandrum*, qui tamen ceteroquin, uti in Vita eius obſervavit *Lampridius Cap. 60*, omnia vehementiſſime contemſit. Itaque a conſultationibus Pontificum de rebus ſacris abeſſe non potuit, ſententiam ſuam etiam dixit, ſed, quanti hæc omnia faceret, ſatis eo declaravit, quod ab opinione ſua in his diſcedentes animo æquiſſimo ferret, animadvertente & hoc *Lampridio Cap. 22.* Non magis licuit ipſi a Capitolio & ſacris ſolenniter celebratis abeſſe, etſi id, cum omnino religioni Romanorum dandum eſſet, facere conſueverit ſeptimo quovis die, quod utique ritus Chriſtianorum ſapere videtur. Multo minus prohibere potuit, quo minus nummi publica Senatus

aucto-

in templo, addita hac inſcriptione: IOVI VLTORI P. M. TR. *P. III. Coſ. II.* Similem relatum quoque videmus a *Vaillantio Tom. I pag. 142.* Eſt & alius *Alexandri* noſtri apud eundem *pag. 144*, inſcriptus MARTI • VLTORI, & in libro *Choulii* citato *pag. 58* alius itidem occurrit, IOVI PROPVGNATORI conſecratus, ne iam plura huiusmodi congeram.

XXIV. Nullus diffitebor, hæc, quæ modo in medium attuli, inſigni prorſus ſpecie iis abblandiri, qui, *Alexandrum* in caſtris gentilium vixiſſe, & usque ad vitæ exitum permanſiſſe, contendunt, eſſe etiam ita comparata, ut vel doctiſſimis quibusque id ipſum perſuadere queant. Sed, ſi tamen cum his priora, quæ ſupra diſputavi, confero, & omnia æqua lance expendo, aliter, quam ſic, iudicare non poſſum, *Alexandrum* Chriſto vere nomen dediſſe, & cœtus quoque Chriſticolarum religioſos frequentaſſe, ſed clandeſtinos, in domo ſua, noctu, aut horis, ſive antelucanis, ſive ſaltem matutinis, celebratos, de quibus *§. VII*, & interea tempus, quo id ipſum liberius & ſecurius facere poſſet, caute aucupatum fuiſſe, quod ſane ab ingenio Gnoſticorum haudquaquam abhorret. Quis non ex eo, quod Chriſto templum erigere publicum, eumque inter Deos Romanorum recipere, decreverit, ac ea de re ad Pontifices retulerit *(§. VI)*, ſubodoretur, eum animos Romanorum ſuper eo negotio pertentare voluiſſe? Dum igitur Imperator diſſimulare rebus ſuis, & forte etiam Chriſtianorum, conſultum adhuc duxit, ea, quæ ad religionem Romanorum avitam ſpectabant, negligere in univerſum haud potuit,

potuit, niſi aut imperio decedere, aut capiti ſuo metuere, continuo vellet. Norunt enim omnes, a temporibus inde *Iulii Cæſaris* & *Auguſti* Imperatores Romanos cum maieſtate imperii tanti Pontificatum maximum ſemper coniunxiſſe, & ſacrorum populi huius non minus, quam reipublicæ, ſupremos moderatores fuiſſe. Ipſi Impp. Chriſtiani dignitatem Pontificatus maximi tanti ponderis, ſibique tam neceſſariam, iudicarunt, ut ad *Gratiani* usque tempora ea ſe abdicare non auderent. Habetur in *Cod. Theodoſ. Lib. XVI Tit. X* §. *1* Conſtitutio *Conſtantini M. de anno 321*, in qua ceu Pontifex Maximus quaedam circa haruſpicinam Romanorum ſancit, religioni & ſuperſtitionibus populi illius conſona, quamvis dudum ante ſacra Chriſtianorum probaſſet, & publice celebraret. Si id fecit *Conſtantinus* Chriſtianus, & pro tali ab omnibus agnitus; quis dubitare poſſit, feciſſe idem quoque, ſicubi res id exigeret, *Alexandrum*, qui tamen ceteroquin, uti in Vita eius obſervavit *Lampridius Cap. 60*, omnia vehementiſſime contemſit. Itaque a conſultationibus Pontificum de rebus ſacris abeſſe non potuit, ſententiam ſuam etiam dixit, ſed, quanti hæc omnia faceret, ſatis eo declaravit, quod ab opinione ſua in his diſcedentes animo æquiſſimo ferret, animadvertente & hoc *Lampridio Cap. 22.* Non magis licuit ipſi a Capitolio & ſacris ſolenniter celebratis abeſſe, etſi id, cum omnino religioni Romanorum dandum eſſet, facere conſueverit ſeptimo quovis die, quod utique ritus Chriſtianorum ſapere videtur. Multo minus prohibere potuit, quo minus nummi publica Senatus aucto-

auctoritate, aut ex conſuetudine populorum, vel urbium, percuſſi, & indicia ſuperſtitionis Romanæ præ ſe ferentes, nomine eius ſignarentur. Hæc omnia neminem turbare, aut morari, poterunt, qui meminerit, *Alexandrum* fuiſſe eo ipſo, quod Imperator eſſet, religionis Romanæ etiam Pontificem maximum, & voluiſſe profeſſionem religionis ſuæ modis omnibus occultare.

V.

I. C. S.

EXPLANATIO EPIGRAMMATVM QVORVNDAM GRÆCORVM, A IO. IENSIO PRO ANEKΔOTOIΣ EDITORVM. *

Io. *Ienſius*, Vir literatiſſimus, Rotterodami A. 1742 edidit Epigrammata quædam Græca, a verſione Latina notisque pæne nuda, ac propter verborum quorundam corruptionem horridula, quæ nos hic, ope divina et artis criticæ ſubſidio freti, debitæ integritati reſtituemus, tum demum in Latinum convertemus, & annotatione ſuccincta illuſtrabimus, ne lectores diutius hæſitent, &, quod adhuc factum eſt, diſcruciatos ſe potius, quam adiutos ac delectatos, exiſtiment. Artis quidem criticæ pro-

(*) Etiam ab *Abr. Berckelio* Epigramma VII tanquam ineditum edi cœpit. Vide illud infra.

proprium eſt, explicare dubia, obſcura, involuta. Grammaticus certe nemini videbitur, ſi quis ex verbis *Plinii Lib. I Epiſt. 24 ſ. 2: Scholaſticis porro, ut hic eſt, ſufficit abunde tantum ſoli, ut relevare caput, reficere oculos, reptare per limitem, unamque ſemitam terere, omnesque viticulas ſuas noſſe, & numerare arbuſculas, poſſint*, eám partem, quæ de *limite* agit, de intercapedine areolarum intelligi velit; ſi quis *Ciceronis* in *Or.* pro *Quint. cap.15* verba: *Continuone verum fuit poſtulare*, interpretetur per *aequum fuit*; ſi quis apud *Cic. Verr. II cap. 1* homines *paratos* Tribunos plebis eſſe opinetur. Hunc igitur ſcopulum, ſi ſieri poteſt, ſubterſugiemus.

Epigramma I ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ *de Mola.*

Ἴσχετε χεῖρα μυλαῖον ἀλετρίδες, εὕδετε μακρὰ:
  Κῆν ὄρθρον προλέγῃ γῆρυς ἀλεκτρυόνων.
Δηὼ γὰρ νύμφαισι χορῶν ἐπετείλατο μόχθους,
  Αἱ δὲ κατ᾽ ἀκροτάτην ἀλλόμεναι προχοήν,
Ἄξονα δινεύουσιν, ὃ δ᾽ ἀκτίνεσσιν ἑλικταῖς,
  Στρωφᾶται πισύρων κοῖλα βάρη μυλάκων.
Γευόμεθ᾽ ἀρχαίου βιότου πάλιν, εἰ δίχα μόχθου
  Δαίνυσθαι Δηοῦς ἔργα διδασκόμεθα.

Cobibete manum molis iniectam, molitrices, dormite diutius:
  Quamvis gallorum vox diluculum prædicat.
Ceres enim Nymphis chororum iniunxit labores,
  Quae circa ſupremam ſalientes profuſionem

Axem

Axem verſant, qui radiis volubilibus
Convertit quatuor molarium cava onera.
Deguſtamus antiquam rurſus vitam, quando citra laborem
Veſci Cereris operibus docemur.

Ισχετε κ. τ. λ.) Hoc Epigramma, ſi vetus eſt, ut probabile eſt, ad molarum, fluminibus oppoſitarum, originem pertinere videtur, *Plinii* temporibus non multo antiquiorem. Eum vide *Hiſt. nat. Lib. XVIII cap. 10: Maior pars Italiæ ruido utitur pilo: rotis etiam, quas aqua verſet obiter, & molat. Palladius Lib. I Tit. 42: Si aquæ copia eſt, fuſuras balnearum debent piſtrina ſuſcipere; ut ibi formatis aquariis molis, ſine animalium, vel hominum, labore frumenta frangantur.* Adde *Not. Gothofredi ad l. 10 C. de Aquæduct.*

Νύμφαισι χορῶν) Haec verba vel per hypallagen intelligenda ſunt, vel Nympharum choreas reſpiciunt, a Poetis celebratas. Nymphas autem pro *lymphis*, vel *undis*, vel *amnibus*, poni, ſatis apertum eſt. Nam tota gentium antiquarum Theologia Phyſiologia fuit, uti ex *Euſebii Præparat. Evangel. Lib. I, II, III*, & *Ciceronis Nat. Deor. Lib. II. cap. 24 ſeq.* conſtat. Eiusdem rei teſtis eſt *Apollodorus Biblioth. I cap. 1*, & *Heſiodus* in *Theogonia*.

Προχοήν) Sic alvei pars extrema, vel canalis, qui aquam in rotam profundit, appellari videtur. Nam aquæ ſubſilientes ab ipſa profuſione hic ſecernuntur, ſi modo mentem Auctoris ſatis capimus. Ceteroqui profuſio ipſa etiam eſt quoddam ſaliendi genus.

Πισύρων

Πισύρων μυλάκων) Hæc narratio diſcrimen noſtrarum & veterum molarum, ſeu, malis, molarium, declarat, ex machinarum natura facile ſuſpicandum.

Κοῖλα βάρη) En novam Hypallagen. Nam molares cavi ſunt, non gravitas ipſa. Frequens hæc eſt figura Poetarum propter metri commoditatem. Sic *Ovidius Metamorph. I, vers. 1:*

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora;

id eſt, ſtatui corpora, in novas formas mutata, deſcribere. Sic *Cæſar Germanicus Phænom. Arat. v. 9, 10:*

Si non parta quies, te præſide, puppibus æquor,
Cultorique daret terras, procul arma ſilerent?

Γενόμεθ' cet.) Hæc metaphora priſcis Græcis uſitatiſſima eſt. Vid. *Commentarios* noſtros *linguæ Græcæ N. T.* Vitam autem hominum antiquorum beatiſſimam fuiſſe, vulgus credit. Vid. *Cæſar Germanic. Phænom. Arat. v. 109-118,* & *Ovidius Metamorph. I, v. 89 ſeq.* Sed labores tamen priſtini, ſi cum laboribus antiquiſſimorum temporum compenſentur, multis videantur elevandi. Nam tanta inſtrumentorum varietas, quæ poſterioribus temporibus inventa ſunt, antiquis non ſuppeditavit. Ergo illorum vita moleſtior fuit. Conquiſitio certe herbarum & fructuum ſuaviorum, atque hortorum cultura, ſine multo ſudore intelligi non poteſt. Vacatio igitur, & otii perpetuitas, vetuſtiſſimis temporibus temere affingitur, neque otii dulcedo induſtriis & probis hominibus unquam perſuadebitur.

Epigramma II, ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΜΑΚΕΔΟΝΟΣ, *de Inſulis deperditis.*

Νῆσοί ἐρημαῖαι, τρύφεα χθονὸς, ἃς κελαδεινὸς
Ζωςὴρ Αἰγαίȣ κύματος ἐντὸς ἔχει!
Σίφνον ἐμιμνήσασθε καὶ αὐχμηρὴν Φολέγανδρον
Τλήμονες, ἀρχαίην δ᾽ ὠλέσατ᾽ ἀγλαΐην.
Ἦρ᾽ ὑμᾶς ἐδίδαξεν ἕνα τρόπον ἡ τότε λευκὴ
Δῆλος ἐρημαίȣ δαίμονος ἀρξαμένη.

Inſulæ deſertæ fragmenta continentis, quas perſtrepens
Cingulum Ægei maris in ſe continet!
Siphnum meminiſtis & ſqualidam Pholegandrum
Ærumnoſæ, vetuſtam autem perdidiſtis Aglaiam.
Omnino vos docuit unum modum alba quondam
Delus a deſerto Deo recta.

Νῆσοι ἐρημαῖαι) Dicuntur ita, quia, cum olim hominibus repletæ fuiſſent, ſenſim deſertæ iacuerunt. Quam rem de multis Aegei maris inſulis teſtatur *Iac. Sponius* in *Itinerario*. De nomine ἔρημος copioſe diſſerui in *Commentariis linguæ Græcæ.*

Τρύφεα χθονὸς) Antiquitas credidit, inſulas maris Aegei, reſiduas eſſe partes terræ quondam continentis, poſtquam *Hercules* Atlanticum mare infuderit intra Africam & Europam. * Idem nobis perſuadere auſa eſt de inſulis Cimbriæ & maris Tyrrheni. Vid. *Plinii Hiſt. Nat. III Proœm.*

Κελαδεινὸς) Hoc Epitheton magis verſus, quam proprietatis & elegantiæ, cauſa poſitum eſſe videtur.

* Vid. *Strabo I p.* 66 edit. *Almelov.* & *I p.* 100, 101.

tur. Hoc enim commune veterum Poetarum eſt vitium, & *Homero* ipſi crebro exprobratum. Neque enim maris Aegei ſtrepitus cum ceterorum marium ſtrepitu contendendus eſt. Memini tamen ſatis, promontoria quædam tempeſtatibus eſſe infamia, v. g. *Maleæ* apud *Strabon. Lib. VIII p. 580*, & *Capharei* apud *Virgil. Aeneid. XI, 260*, & *Pauſan. Meſſen. Cap. 36 p. 372, 373*. Adde *Not. Kühn.*

Ζωςὴρ) Belle cingulum tribuitur mari Aegeo, quia fines eius facile exquiri poſſunt; cum illi Oceani Atlantici & Indici minus cogniti fuerint.

Σίφνον cet.) De Siphno, Pholegandro, & Aglaia, videri poterunt *Stephanus p. 671*, edit. *Berkel.* & *p. 742*, *Strabo Lib. X p. 744*, *Cellarius Geogr. antiq. plen. Lib. II c. 14 §. 145 p. 1047*. Adde *Dionyſium Perieg.* & *Melam Lib. II cap. 7 p. 217*, edit. *Abr. Gronov.* Nam non dubito, quin Aglaia noſtri Epigrammatarii ſit Aegilia *Stephani* & *Melæ*. Quod ex Commentario *Iſ. Voſſii p. 511* magis apparebit. Aglaia quidem in Geographo nemine reperitur, ſi recte memini.

Εμιμνήσασθε) id eſt, præter memoriam parum ſupereſſe videtis. Nam, quia graviore verbo de Aglaia utitur, plus hic ſignificari vix poteſt. De formatione huius verbi grammatica conſulendi ſunt Grammatici.

Λευκὺ Δῆλος) Delus *alba* olim fuiſſe dicitur, quia & ipſa rupes eſt, & a marmoreo *Apollinis* templo, qui tum inſulæ cultæ præſidebat, *alba* nomen ſuſtinuit. De antiquo Deli ſplendore ſcribit *Cicero Manil. cap. 18*, & *Strabo Lib. X pag. 744*.

Αρξαμένη) Paſſivam habet ſignificationem, & præ-

præpoſitionem paſſivis uſitatam ſubintelligit. Quod utrumque minus crebrum eſt in ſcriptis veterum. Sed tamen κελευσάμενος *iuſſus* eſt apud *Philoſtratum* in *Vit. Apollon. V cap. 19.* Καθηράμενοι φιλοσοφίᾳ, *per philoſophiam purgati*, *Plato Phædon. p. 400. H.* Pariter διαλώσασθαι paſſive utitur *Plato Ep. 7 p. 715 C.* Et, quia aoriſtus medii eſt a futuro medii, futurum autem illud ſæpe paſſivam ſignificationem habet, mira indefiniti ſignificatio paſſiva videri non debet. Et, cum Deus hic, Deli præſes, etiam *deſertus* hic vocatur, ſatis conſtat, a Chriſtiano, ſaltem invaleſcentibus Chriſtianorum rebus, Epigramma hoc confectum eſſe.

Epigramma III, ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ, *de Origine tibiæ.*

Αὐλὸς τοῦ Φρυγὸς ἔργον Υαγνίδος, ἡνίκα μήτηρ
  Ἱερὰ τὰν Κυβέλοις πρωτ' ἀνέδειξε θεῶν.
Καὶ πρὸς ἐμὸν φώνημα καλὴν ἐνεδύσατο χαίταν.
  Ἔκφρων Ἰδαίης ἀμφίπολος θαλάμης.
Εἰ δὲ Κελαινίτης ποιμὴν πάρος οὐπερ ἀείσας
  Ἐγνώσθη: Φοίβου κοινὸν ἔδειξεν ἔρις.

Tibia Hyagnidis Phrygis opus, cum mater
  Sacra in Cybeleis prima oſtendit Deorum,
Et ad meum cantum pulcram induit iubam,
  Cum amens Idæi miniſtra eſſet thalami.
Si vero Celænæus paſtor antea canere
  Non eſt viſus: Phœbi eam communem eſſe oſtendit certamen.

Epi-

Epigramma tertium ipſi tibiæ, tanquam loquenti, affingi, credendum eſt: aliter ſententia commoda exiſtet nulla. Quanquam ne ſic quidem Epigramma ſatis ſibi conſtat.

Αυλὸς) *Ienſius* edidit αὐλοὶ. Sed, ſi extremum Epigrammatis verſum cum primo congruere velimus, neceſſaria fuiſſe noſtra correctio intelligetur. Quanquam alioqui, multos huiusmodi Solœciſmos in libris antiquis reperiri, meminerim.

Εργον) Artificioſa opera Græcis ſimpliciter ἔργα dicuntur, quæ alias τέχνας appellant; ut videre licet apud *Pauſan. Lib. VIII cap. 9 p. 616.* Et *Athen. Apolog. pag. 134* edit. *Rechenberg.*: Ο δὲ Πύθιος, ἔργον Θεοδώρȣ καὶ Τελεκλέȣς. Καὶ ὁ Δήλιος, καὶ ἡ Ἄρτεμις, Ἰδεκταίȣ καὶ Αγγελίωνος τέχνη. *Pythius autem Theodori opus eſt ac Teleclis, & Apollo Delius ac Diana Idectæi & Angelionis artificium.* Adde *pag. 136:* Η῾ Αφροδίτη ἐν Κνίδῳ ἑτέρα, Πραξιτέλȣς τέχνη· ὁ ἐν Ἐπιδαύρῳ Ασκληπιὸς, ἔργον Φειδίȣ. *Venus Cnidia altera eſt artificium Praxitelis, Epidauricus vero Æſculapius opus Phidiæ.*

Μήτηρ ἱερὰ) Mater Deum, quæ in Cybeleis templis ſacra primum oſtendiſſe memoratur, eſt notiſſima illa *Rhea*, vel *Cybele*, de qua, præter ſuperiores fabularum interpretes, *Montfauconius* in *Antiquit. illuſt. Tom. I Lib. I cap. 1* copioſe expoſuit, & *Euſebius Præpar. evang. Lib. II cap. 8.*

Χαίται) Hoc nomen ferarum magis eſt, quam hominum. Et tamen contextus orationis de iuba ferarum hic ſuſpicari nihil nos ſinit. Quamvis autem pantheræ, *Cybeles* currui iunctæ, muſica mitigari credantur, & iuba ſcite compoſita lenitatem in-

indicare videatur; adhuc tamen durius deſcripta putetur ferocia depoſita. Ergo ſatius eſt, ut verſum hunc de *Cybele* ipſa interpretemur, quæ disturbatum capillum ob muſicam compoſuerit.

Εκφρων) Amentia *Cybeles* ob *Adonidis* amores e ſcriptis veterum ſatis nota eſt. Hoc autem mulierculàrum genus ornatum capilli non ſemper ſatis meminit.

Ιδαίης) Ἴδα mons eſt Phrygiae minoris, circa quem *Cybele* potiſſimum verſabatur.

Αμφίπολος θαλάμης) Miniſtra thalami *Cybele* minus commode dici videatur nonnullis, quandoquidem ipſa Regina & Dea fuiſſe creditur. Sed, ut dixi, furor amoris miniſterium hoc minus ei decorum videri non patiebatur. Acumen igitur Poetæ hic agnoſcimus.

Κελαινίτης ποιμὴν) Celænæ, urbs Phrygiæ magnæ, a *Strabone*, *Xenophonte*, *Maximo Tyrio*, et aliis ſcriptoribus, ſatis celebrata eſt. Eorum auctoritates, inter ſe paulum diverſas, conciliavimus in Notis ad *Cellarii Geogr. Antiq. Lib. III Cap. IV §. LXXI.* Paſtor autem Celænæus *Marſyas* eſt haud dubie, *Hyagnidis* filius, a *Phœbo* tibiarum certamine victus & decoriatus. Quare *Lucanus III verſ. 206:*

Lugent damnatæ Phœbo victore Celænæ.

Fabulam exponit *Ovidius Metamorph. Lib. VI verſ. 383 ſeq. Pauſanias Lib. VIII cap. 9 pag. 616* edit. *Kuhn.* et *Lib X cap. 20 pag. 873, Philoſtratus Icon. I num. 20 pag. 794* edit. *Olear. Montfalconius Antiquit. illuſt. Tom. I Lib. III cap. 4 pag. 105*, ubi etiam *Marſyæ* figura exhibetur.

Πάρος) Sana hæc eſt lectio. De *Paride*, quod

Ienſius

ſenſus facit, cogitare nos non patitur aut verſus Poetæ noſtri, aut hiſtoria, aut urbs Celænæ.

Φοίϐȣ) id eſt, *Apollinis*, *Latonæ* filii. Res nota eſt ex Mythologia.

Κεῖνον) pro ἐκεῖνον, quod ε apud *Platonem* etiam interdum amittit. Sed nos, pronomen hoc nihil hic valere, putamus. Non enim, ſi *Marſyas* prior tibia non cecinit, idcirco *Phœbus*, *Marſyæ* æqualis, tibiam invenit. Inepta eſt talis argumentatio. Et, quia tibiam *Hyagnidis* inventioni Auctor tribuit, *Marſyæ* patris, *Phœbo* eandem inventionem tantummodo communem dicere potuit. Nam easdem res duo, vel tres, ingenioſi homines etiam eodem tempore invenire poſſunt. Quod curioſe demonſtravimus in *Plagio literar. cap. X §. XIII p. 151*. Res quidem & experientia doctiſſimum quemque veritatis huius quotidie convincit. Nobis ipſis idem eveniſſe, *Wolfius* demonſtrare conatus eſt in *Curis criticis* ad *2 Cor. XIII*, 4, & Auctor *Animadverſionis continuat. enarrat. libr. nov. & antiqu. Anni 1725 Faſcic. VI pag. 956 ſeq. & Anni 1726 Faſcic. VI pag. 1037*. Sed prior animadverſor meminiſſe debuerat, non, qui obſcure loquitur, & nihil probat, inventorem dicendum eſſe, ſed eum, qui perſpicue rem occultam exponit, & auctoritatibus firmat. Poſterior nihil egit, quia oſtendere nequivit, βιάζεϑαι a quoquam eorum, qui ante me *Matthæi XI*, *12*, explanarunt, allatis veterum locis ita expoſitum eſſe, ut *perſpicue docere*, *invicta ratione demonſtrare*, *contra quemvis adverſarium clare probare & communire*, ſignificaret. Nihil ergo nobis reſpondere potuit, niſi, quod Logici appellant, ignoran-

tiam elenchi cum decertandi cupiditate. Neque vero illud reſponſione noſtra dignum eſt, quod βιαςαὶ ſignificare non poſſint *perſpicaces veritatis doctores*, *invictos veritatis defenſores*. Contextus enim orationis pro tali interpretatione propugnat. Sed revertimur ad rem, de qua dicere cœperamus. Libellum enim prædictum, quem nos adoleſcentes ſcripſimus, augere iam poſſumus exemplis *Ioſ. Iuſt. Scaligeri* & *Andr. Schotti* ex *Epiſt. Scaliger. CCCLXXXI pag.* 727, & *Ep. CCCCXIV pag.* 769, ac *Tychonis* atque *Vlug Beii* ex vita *Io. Grauii*, *Operibus* eius, Londini A. 1737, 8, editis, præmiſſa, *pag.* 49, ac *G. G. Leibnitii* & *Iſ. Newtoni*, itemque *Donati*, occupatas opiniones execrati.

Epigramma IV, ΛΕΩΝΙΔΟΥ.

Immortalitatem Cæſaris optat.

Ὕδατα σοι κοτύλεια γενέθλιον ἦμαρ ὁρῶντι,
  Καῖσαρ, ἐπιβλύζοι σωρὸν ἀγησορίης.
Ὄφρα σε κόσμος ἅπας πάππον Αυγȣςον ἄγηται,
  Ὡς πατέρα τρίσσης ἐίσιδεν εὐτοκίης.

Aquæ tibi Heminariæ ſupremum diem viſuro,
  Cæſar, affundantur acervo loculi non terreni.
Vt te mundus omnis avum Auguſtum veneretur,
  Vt patrem tripli vidit partus.

Hoc Epigramma gratulationem *Cæſari* declarat verbis crebro corruptis, quæ nos integritati reſtituiſſe videmur, & iam ſigillatim explicabimus.

Totum

Totum quidem ad ineptam adulationem comparatum eſt, & verbis quidem noviter confictis ac parum idoneis, ſaltem paronomaſia Rhetorum intempeſtive conditis. Illud intelliges facilius, ſi ad ea, quæ dicemus, attenderis.

Ὕδατα κοτύλεια) id eſt, vino pretioſiſſima, quæ parce & minoribus poculis cum in conviviis bibebantur, tum ſepulcris ac tumulis affundebantur, ut mox dicemus. Ὕδατα autem hic appellantur, ut multæ res vel pretioſæ, vel honoræ, vocabulis exilibus & contemtis ſignantur in vita communi. Sic *vinum* in ſacris Deæ Bonæ *lac* dicebatur. Vid. *Macrob. Saturn. Lib. I cap. 12.* Ac vernacula noſtra pretioſiſſimos quoque liquores *Waſſer* vocat, & currus honeſtiſſimorum hominum *Wagen.*

Κοτύλεια) Cotyle exiguum fuit vaſculum, & Heminæ Romanorum proximum. Hoc menſuræ genus *Eiſenſchmidius* declarabit *de Menſuris Græcorum Sect. II cap. 3 pag. 77.* Sententia tamen Poetæ non eſt, ut vina præſtantiſſima, & idcirco parce bibi ſolita, tumulo *Cæſaris* parce affundantur; ſed liquores modo parvis vaſculis bibi ſolitos ad honorem defuncti vult adhiberi.

Γενέθλιον ἦμαρ) Hoc loco *dies natalis* eſt ſupremus & ultimus. Non enim ſolum extremus Martyrum dies, ſed communiter omnium hominum, ſic appellabatur, boni ominis, vel etiam ſuperſtitionis ac devitandæ offenſionis, cauſa, moris nationi Atticæ tantopere commendati. Vide, præter *C. Sagittarium de Natalit. martyr. primit. eccl. cap. 1 §. 6 pag. 7, 8,* etiam *Pollucem Lib. III cap. 19.* Sæpe

 tamen,

tamen, ut origo nominis docet, γενέθλιος natalem proprie dictum notat. Vide, quæ & ad *Olearii de Stilo N. T.* librum *pag. 282, 283*, adſcripſimus, & in *Commentariis linguæ Græcæ N. T.* tradidimus.

Αγηστορίης) Σωρὸν ἀκεστορίης nihili eſſe; doctiſſimus iam vidit *Ienſius*. Subſtituimus ἀγηστορίης, ut veritas poſtulat. Ita enim ſententiam habemus necopinato commodam, hoc eſt, *tumulum, ſeu molem, quæ loculum, ſeu capulum, terræ illatum, non habeat.* Scilicet ex Romanorum opinione animi Cæſarum ab aquilis e rogo, ubi cadavera concremabantur, ſubito rapti in cœlum deferebantur. De qua re ſcriptores antiquitatum Romanarum ad ravim uſque dudum clamarunt. Vid. *Herodian. Lib. IV cap. 2, Montfalcon. Antiquit. illuſtrat. Tom. V Lib. IV cap. 9 ſeq. pag. 157 ſeq.* Si ergo, quia de communi ceterorum animorum more non egebant vel lacte, vel vino, vel alio liquore, tumulum conſpergi illum quidem oportebat more communi, ſed ita, ut ipſa modo urna propter combuſtum cadaver pietate ſuperſtitum amicorum & propinquorum frui putaretur. Maxima enim corporis pars flammis in aerem ſuperiorem rapta, & cum animo ibi coniuncta, victimarum nidore ali & delectari credebatur, & credi poterat, propterea, quod tales hoſpites, in Deorum concilium tralati, eodem, quo Dii ipſi, oblectamento frui poſſent ac ſolerent. Ex *Luciani* quidem iocis de Diis ſacrorum odorem captantibus ſatis apparet, a vulgo id alimenti Deorum quoddam genus creditum fuiſſe. Adde *Athenagoræ Apolog. pag. 104, 238, 248. Democriti* ſaltem exemplo conſtat, odore ſuſtentari

tari

tari homines aliquamdiu poſſe. Vid. *Diogen. Laert. IX ſegm.* 43, & *Lakemacherus* in *Antiquit. Græc. ſacr. P. III cap. 1 §. 1.* Dii autem ac Dæmones ceteroqui etiam propria, non modo aliena, convivia frequentabant, ut ex *Homeri Iliad. A verſ. 423 ſeq.* noſcitari poteſt, ſi qui fabulis oblectantur. Philoſophi ipſi, quia fere animos hominum ex aere & igne conflatos putabant, eos ex corporibus evolantes in ea cœli parte verſari credebant, ubi propter aeris igne temperati conſortium tanquam librarentur. Vid. *Cic. Tuſcul. Quæſt. Lib. I cap. 19.* Præterea duo hic ſunt monenda. Unum eſt, compoſita quædam ex γῆ retinere η, v.g. γηγενέτης, γηγενὴς, γηλεχὴς, γήλοφος, γηοῦχος, γηπάτταλος, γήπεδον, γηπόνος, cet. Alterum eſt, nomen ἀκεσορίης etiam ex ἀκαισαρίης naſci potuiſſe. Eſt autem ἀκαισαρίη ſtatus Cæſaris poſt mortem, cum Cæſarea dignitas exoleſcit, & cum divina commutatur. Cæſares enim poſt obitum pro Diis coli ſunt ſoliti. Vid. *Plin. Panegyr. cap. 11,* & *Montfalcon. loc. cit.* Sed, quia nomen ἀκαισαρίης nimis ingratum futurum fuiſſet Cæſari, ad quem Epigramma ſcriptum eſt, præoptavi nomen ἀγησορίης, cui nec compoſitionis ratio, nec ſignificationis iniucunditas, repugnat.

Πάππον ἀυγάζηται) Verſus, ſi hanc ſcripturam ſequaris, imperfectus eſt. Lacuna igitur explenda fuit, quod ita commodiſſime fieri poſſe videbatur, ſi vocabulum ἀυγάζηται ex duobus Αὔγουστον ἄγηται conflatum eſſe diceretur. Cæſares quidem Auguſtos eſſe nominatos, nemo neſcit. Neque magis ignotum eſt, Auguſtum & Auguſtos, præſertim in

antiquis

antiquis Inſcriptionibus, AVG. & AVGG. ſcribi. Qualis ſcribendi ratio in titulis regum ac principum adhuc obſervatur ab iis, qui epiſtolas ad illos componunt. Recentior mos teſtimoniis non eget; antiquior ex inſcriptionibus & numis comprobari poteſt. Vid. *Gruter. pag. 226 n. 1, 8, p. 229, p. 280 n. 3, p. 286 n. 7.* Πάπτον autem ultima ſyllaba producta uti, cæſura excuſat, quæ ſyllabas breves ſæpe producit.

Αγηται) Eſt ex ἄζομαι, *admiror, veneror*, unde ἅγιος ortum eſt. Rurſus igitur ſic, ut in proximo ſuperiore verſu, paronomaſias quiddam conſectatur Auctor. Nam præſens ἄζηται rythmus etiam repudiat; ac fortaſſe in MSto quodam ζ ex Grammatici cuiusdam dictatis a malo diſcipulo ad marginem adſcriptum fuerat, unde in contextum orationis irrepſit.

Τρίσσης εὐτοκίης) Hæc verba Epigrammatis videri poſſint honori *Conſtantini* data, qui tres liberos habuit. Fuit autem in Italia quondam ſtirps trina rarior ac moleſtior. Quamobrem parentes ad gignendos & educandos liberos tres præmiis excitandi fuerunt; quæ tamen, ut fit, etiam cum iis ſenſim communicari cœperunt, qui tres liberos non haberent. Vid. *Plin. Lib. X Ep. 2 & 95,*

Epigramma V, τȣ̃ αὐτȣ̃, eiusdem.

Iocatur de donata Papyro.

1 τρία μοι βύβλων ἀλονότια σὺν καλάμοισι
Πέμπεις νειλορύτȣ δῶρον ἀπὸ προβολῆς.

Mȣσο-

Μυσοπόλῳ δ' ἀτελῆ, Διονύσιε, μηκέτι πέμπε
Οργανα. τίς τούτων χρῆσις ἄτερ μέλανος;

I, tres mihi byblos ſale humidas cum calamis
Mittis Niliaci donum oſtii.
Mihi *autem Muſis dedito inutilia*, *Dionyſi*, *ne amplius mitte*
Inſtrumenta. Quis enim *horum uſus ſine atramento?*

I) Pro ἴθι, vel ἴε, *apage te*. Nos in verſione *i* ad verbum expreſſimus, quia Latini verbum *ire* ſimiliter uſurpant. *Virgil. VIII, v. 425, 426:*

I nunc, ingratis offer te irriſe periclis,
Tyrrhenas, i, ſterne acies, tege pace Latinos.

ἴθι, vel ἴ, pro *apage* poni, ne nova quidem *Vigeri* editio, ab *Hoogeveenio* curata & perpolita, tradit. Sed pertinet huc quodammodo illud *Homeri Iliad. B. v. 8:*

Βάσκ' ἴθι οὖλε ὄνειρε θοὰς ἐπὶ νῆας Αχαιῶν,
Vade, apage te, pernicioſe ſomni præſes, ad celeres naves Achivorum.

Τρία βύβλων) τρεῖς βύβλους, ut nobis videtur, poſuiſſet ſcriptor Latinus. Sed Græci partitionum genitivos amant, quos Latini rarius ſequuntur.

Αλονώδεα) Eſt vocabulum nihili, pro quo ſcribe ἁλονότια, ſi me quidem audire velis. Significatio eſt clara nunc. Αλονότια enim Græcis dicuntur *humida ex aqua ſalſa*, vel etiam *mari*. Syllaba νο producta eſt propter metri neceſſitatem, quæ ex con-

antiquis Inſcriptionibus, AVG. & AVGG. ſcribi. Qualis ſcribendi ratio in titulis regum ac principum adhuc obſervatur ab iis, qui epiſtolas ad illos componunt. Recentior mos teſtimoniis non eget; antiquior ex inſcriptionibus & numis comprobari poteſt. Vid. *Gruter. pag. 226 n. 1, 8, p. 229, p. 280 n. 3, p. 286 n. 7.* Πάππον autem ultima ſyllaba producta uti, cæſura excuſat, quæ ſyllabas breves ſæpe producit.

Ἄγηται) Eſt ex ἄζομαι, *admiror, veneror*, unde ἅγιος ortum eſt. Rurſus igitur ſic, ut in proximo ſuperiore verſu, paronomaſias quiddam conſectatur Auctor. Nam præſens ἄζηται rythmus etiam repudiat; ac fortaſſe in MSto quodam ζ ex Grammatici cuiusdam dictatis a malo diſcipulo ad marginem adſcriptum fuerat, unde in contextum orationis irrepſit.

Τρίσσης εὐτοκίης) Hæc verba Epigrammatis videri poſſint honori *Conſtantini* data, qui tres liberos habuit. Fuit autem in Italia quondam ſtirps trina rarior ac moleſtior. Quamobrem parentes ad gignendos & educandos liberos tres præmiis excitandi fuerunt; quæ tamen, ut fit, etiam cum iis ſenſim communicari cœperunt, qui tres liberos non haberent. Vid. *Plin. Lib. X Ep. 2 & 95,*

Epigramma V, τοῦ αὐτοῦ, eiusdem.
Iocatur de donata Papyro.

1 τρία μοι βύβλων ἀλονότια σὺν καλάμοισι
Πέμπεις νειλορύτου δῶρον ἀπὸ προβολῆς.

Μουσο-

Μȣσοπόλῳ δ' ἀτελῆ, Διονύσιε, μηκέτι πέμπε
Οργανα. τίς τȣ́των χρῆσις ἄτερ μέλανος;

I, tres mihi byblos ſale humidas cum calamis
Mittis Niliaci donum oſtii.
Mihi *autem Muſis dedito inutilia*, *Dionyſi*, *ne amplius mitte*
Inſtrumenta. *Quis* enim *horum uſus ſine atramento?*

I) Pro ἴϑι, vel ἴε, *apage te.* Nos in verſione *i* ad verbum expreſſimus, quia Latini verbum *ire* ſimiliter uſurpant. *Virgil. VIII, v.425, 426:*

I nunc, ingratis offer te irriſe periclis,
Tyrrhenas, i, ſterne acies, tege pace Latinos.

Ἴϑι, vel ἴ, pro *apage* poni, ne nova quidem *Vigeri* editio, ab *Hoogeveenio* curata & perpolita, tradit. Sed pertinet huc quodammodo illud *Homeri Iliad. B. v. 8:*

Βάσκ' ἴϑι ȣ̓̃λε ὄνειρε ϑοὰς ἐπὶ νῆας Αχαιῶν,
Vade, apage te, pernicioſe ſomni præſes, ad celeres naves Achivorum.

Τρία βύβλων) τρεῖς βύβλȣς, ut nobis videtur, poſuiſſet ſcriptor Latinus. Sed Græci partitionum genitivos amant, quos Latini rarius ſequuntur.

Αλονώδεα) Eſt vocabulum nihili, pro quo ſcribe ἀλονότια, ſi me quidem audire velis. Significatio eſt clara nunc. Αλονότια enim Græcis dicuntur *humida ex aqua ſalſa*, vel etiam *mari.* Syllaba νο producta eſt propter metri neceſſitatem, quæ ex con-

concurrentibus ſyllabis brevibus unam producit, & recte producere iudicatur, ſi præſertim naturalis ſyllabarum accentus ei rei faveat. Sic *clavicula* producit antepenultimam apud *Caeſ. Germanic. Phænom. Arat. v. 195:*

> *Qualis ferratos obici clavicula dentes*
> *Succutit.*

Sic *Perſius IV, 19, Manil. I, 385,* & *Perſ. Satir. III, 5* & *49.* De reliquo ſatis per ſe notum eſt, papyrum humidam ſcriptioni minus eſſe idoneam, ac proinde, ſi pro dono eſſe debeat, pæne contemnendam.

Πέμπει) Emendavi *πέμπεις*, ut perſona ſecunda vocabulo I reſpondeat.

Νειλορύτου προβολῆς) Νειλορύτου propter metrum deſiderat alteram literam ρ. Mos ita fert Poetarum. Nomen προβολῆς MStus commutari vult cum nomine προχοῆς. Apertum eſt autem, *extremam Nili partem*, vel *oſtium*, ſignificari. Hoc enim quia undas in mare profundit, nomen προχοῆς præcipue meretur.

Δῶρον) id eſt, *effectus*, res, quæ Nilo debetur, res e Nilo producta, res a Nilo procreata. Nam, quicquid ab ulla re proficiſcitur quoquo modo, id *donum* eius dicitur tum Græcis, tum Latinis. *Cæſar Germanic. Phænom. Arat. v. 233, 234, 235:*

> *Eſt etiam propiore Deum cognoſcere ſigno,*
> *Deltoto, ſi quis donum hoc ſpectabile Nili,*
> *Divitibus generatum undis, in ſede notabit.*

Addatur huc *Grotius* in *Notis*, & *Strabo Lib. XII pag. 810 C*, & *Lib. I pag. 53 B*, & *pag. 61 B*, *Virgil. Georg. II. v. 454.*

Epi-

Epigramma VI, τοῦ αὐτοῦ, eiuſdem, *Ægyptiorum ſacrum memorat.*

Νεῖλος ἑορτάζει παρὰ Θύμβριδος ἱερὸν ὕδωρ,
Εὐξάμενος θύσειν Καίσαρι σωζομένῳ.
Οἱ δ' ἑκατὸν βουπλῆγες ἑκούσιον αὐχένα ταύρων
Ἡιμαξαν βωμοῖς οὐρανίοιο Διός.

Nilus feſtum agit iuxta Tyberis ſacrum flumen,
Cum voverit, ſacra ſe facturum Cæſari ſervato.
Hic centum victimarii ſpontaneam cervicem taurorum
Cruentarunt altaribus cæleſtis Iovis.

Hoc Epigramma *Abr. Berkelius* ad nomen Θύμβρις apud *Stephanum de Urbib. p.* 404 putat factum eſſe in honorem *Caji Cæſaris*, e bello Alexandrino Romam reverſi. Sed ego dubito, an Epigrammatis verba hoc innuere poſſint. Nam, cum *Nilus feſtum agere* dicitur, non triſtitia, nec dolor, de ignominia ſignificatur, ſed animi lætitia & gaudia effuſa. Num autem populus Nili accola lætari ac geſtire poterat, cum de ipſo Romæ triumphus agebatur? Neque, cum *Cæſar* de Alexandria triumphabat, gens Ægyptia ita iam ſervitio aſſueta erat, ut feſto celebrando dolorem, ex triumpho conceptum, diſſimularet. Satius eſt ergo, credere, poſterioribus demum temporibus Ægyptios Romæ feſtum diem celebraſſe. Quod fortaſſe imperante *Antonino Caracalla*, vel alio Cæſare, factum eſt. *Caracallæ* quidem irritatus animus cæde ſubita iuventutis Alexandrinæ nondum exſatiatus videri potuit, ac propterea gens Ægyptia feſti Romæ celebrandi veniam & petiit, & impetravit. Vid. *Herodian. Lib. IV cap. 6 Sect.* 1 *ſeq.*

ſeq. & iam ante *Cæſar Octavianus* Ægyptiis atque Alexandrinis clementiam declarare, quam iram & vindictam, maluerat. Quæ res feſtum diem ac lætitiam Ægyptiorum publicam merebatur. Vid. *Dio Caſſ. Lib. LI pag. 520* edit. *Steph.*

Νεῖλος) id eſt, natio Ægyptia, Nilo utrinque circumfuſa.

Εορτάζει) id eſt, lætitiam animi teſtatur ſacris faciundis, & feriis agendis atque ludis. His enim rebus feſta olim conſumebantur. Vid. *Roſin. Antiq. Rom. Lib. IV cap. 3*, & *Macrob. Saturn. I cap. 16.*

Θύμβριδος) Tiberim a Græcis ſæpe ſic appellari, notum eſt ex *Stephano*, *Pæanio VII cap. 18*, aliis. *Dio Caſſ. LV pag. 645 B, LVIII p. 732* A, cet. nomen Τιβέριδος retinet.

Ιερὸν ὕδωρ) Fontes & flumina ſacra & pro Diis, vel Deabus, habita eſſe, notum eſt cum ex ſimulacris eorum & ſacellis, tum ex Poetis. *Plin. VIII Ep. 8: Adiacet templum, priſcum & religioſum. Stat Clitumnus ipſe amictus ornatusque prætexta. Præſens numen atque etiam fatidicum. Ovidius Metamorph. V, v. 573:*

Quæ tibi cauſa fugæ? Cur ſis, Arethuſa, ſacer fons?

Auſonius Idyll. IX extrem.:

-- -- -- -- *Quod ſi tibi, dia Moſella,*
Smyrna ſuum vatem, vel Mantua clara, dediſſet.

Et mox:

- - *dominæ tamen ante Moſellæ*
Numine adorato.

Adde huc cumprimis *Ælian. Hiſt. Var. II cap. 33*, & notas *Perizon.*

Καίσα-

Καίσαρι σωζομένῳ) Si *Caracallæ* honori datum eſt & feſtum Aegyptium, & hoc Epigramma, vota fortaſſe nuncupata fuerant pro ſalute *Cæſaris*, ex Parthia feliciter redituri.

Εκατὸν) id eſt, *multi*. Nam, centum admodum fuiſſe, vix credibile eſt.

Βȣπλῆγες) id eſt, *popæ*, *victimarii*, *cultrarii*. Proſternebantur autem boves, Iovi ſacrati, vel malleo, vel tudite, vel ſecuri. Vid. *Montfaucon. Antiq. illuſtr. Tom. II P. I Lib. III cap. 6-11 p. 147-172.* Quare *Virgilius Aeneid. II v. 224*:

Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.

Εκȣ́σιον αὐχένα) Meditate Poeta hæc & per blanditias ſcripſiſſe videtur. Nam boni ominis erat, boves mactandos libenter ad altare accedere. Vid. *Macrob. Saturnal. Lib. III cap. 5, Plin. Hiſt. nat. VIII cap. 45.*

Ταύρων) Tauri gratum Iovi ſacrum erant, præſertim albi. Vid. *Roſin. Antiq. Rom. Lib. III cap. 39 pag. 322, Virgil. Aeneid. IV v. 63, Liv. Lib. XXII cap. 10,* & *Lib. XXVII cap. 40, Arnob. adv. gent. VII p. 225* edit. *Maire.*

Βωμοῖς) id eſt, in gratiam altarium. Nam altaria ſacris nimium diu vacua pæne inhonora fuerunt.

Ουρανίοιο) id eſt, Iovis, Deorum principis, cœlitum regis. Nomina enim multis communia ſæpe excellentiſſimum ſui generis ſignificant. Et, quia, ut alibi docuimus, Ioves dicebantur Dii cœlo quamvis ignoti, quos tamen homines magnificare ſtudebant, Iupiter ille Deorum hominumque pater nomen *cæleſtis* eximie meretur. Deos quos-

libet Iovis appellatione inſigniri, *Sponii* docebunt Inſcriptiones quamplurimæ. Deos autem fuiſſe multos cœleſtibus ignotos atque inviſos, vel *Luciani* Iupiter Tragœdus demonſtrabit.

Epigramma VII, τῦ αὐτῦ, eiusdem.

Donum natalitium mittit.

Καὶ λόγον ἱστορίῃ κοσμέμενον ἠκρίβωσας,
  Καὶ βίον ἐν φιλίῃ, πάππε; βεβαιοτάτῃ·
Τῦτο δ' ἑορτάζοντι γενέθλιον ἠριγένειαν
  Δῶρον ὁ Νειλαιεὺς πέμπει ἀοιδοπόλων.

Et librum hiſtoria ornatum accurate ſcripſiſti,
  Et vitam in amicitia, Ave, firmiſſima egiſti.
Hoc autem tibi natalem diem celebranti
  Donum mittit Neleus unus *ex Poetis.*

Λόγον) Et librum, & orationem, ſignat λόγος.

Ἱστορίῃ κοσμέμενον) *Liber hiſtoria ornatus* ambiguæ eſt interpretationis. Liberne indicatur, cuius decus ſit palmare hiſtorica veritas, an cui ornamentum acceſſerit ex pictura, hiſtoriam adumbrante? Nam librorum ornamenta multa iam olim fuerunt, quibus vel extrinſecus, vel intus, commendarentur. Exempla huius rei præbent codices ſacri, & alii, cum in Lugdunenſi Bibliotheca, tum alibi, ſervati. Adde *Iſr. Clauderi* & *Ch. G. Schwarzii* ſcripta ea de re, & huius quidem Diſputationes II *de Ornamentis librorum veterum*, & Diſp. *de Ornamentis codicum veterum.* Præoptaverim tamen interpretationem illam, quæ hiſtoriam eleganter ſcriptam indi-

indicare videatur. Sunt enim libri hiſtorici, præſertim ornatiores ac politiores, periucundi.

Πάππε βεβαιότατε) *Avus firmiſſimus* quis dicatur, vix intelligas; niſi forte bene ſanum & incolumem ſignari putes. Sed vitam agere in amicitia perpetua, minimeque interrupta, laudis eſt eximiæ. Cum contra firmitas corporis non tam ad laudem valeat, quam ad fortunam. Laudes autem avi prædicare voluiſſe videtur nepos, non fortunam, quippe qua præſtantes viros nequaquam metimur.

Γενέθλιον ἠριγένειαν) *Auroram natalem*, id eſt, *diem natalem*, proprie dictum. Neque enim diem mortis feſtum habere poterat. Ἠριγένεια *Lucina* reddi commode poteſt; cum aurora nubeculis fere conſtet, *Iunonis* inſignibus & involucris.

Δῶρον) Vel Epigramma ipſum donum hoc eſſe poteſt, vel aliquid doni huic carmini fuit adiunctum.

Νειλαιεὺς) Hoc nomen ferri utcunque poteſt. Sed tamen Νηλαιεὺς præoptem. Nam αι nomini huic intruſum eſſe videtur tantum metri cauſa. Ceteroqui *Neleus* notiſſimum eſt nomen, præſertim Dei illius marini.

Epigramma VIII, Εἰς Γνωστικοὺς, *in Gnoſticos.*

Ἠέλιον νίκησε τεὸς νόος ἡδὺ φαείνων,
Αἰὲν ἀπαστράπτων βροτοφεγγέα πάνσοφον αἴγλην
Ἡδυφαῆ, χαρίεσσαν, ἀπαστράπτουσαν ἀδύτως.

Solem vicit tua mens blande lucens,
Semper emittens hominibus lucentem ſapientiæ omnis
plenum ſplendorem
Blande coruſcum, gratioſum, nunquam occiduum.

Εἰς Γνωςικὸς) Titulus non reſpondet carmini, nec carmen titulo, niſi γνωςικὸν legeris, vel τεὸς convertatur in θεός. Nam, ſi maxime εἰς pro *dè*, vel *quod attinet ad*, poſitum exiſtimes, obſcurior tamen erit ſententia & ſatis inepta. Epigrammatis quidem Auctor Gnoſticus etiam ipſe fuiſſe videtur, ac proinde Deum ſuum *Valentinum* primo ſtatim verſu allocutus non minoris feciſſe intelligitur, quam Epicurei ſuum illum ſapientem, qui menti eorum ſemper obverſabatur, quamvis non nominaretur. Vid. *Lucret. I v. 67 ſeq.* & *III v. 1 ſeq. Cic. Nat. Deor. Lib. I cap. 16.* Pythagorei eodem admirandi ac prædicandi more utebantur, cum magiſtri ſui dicta referrent.

Τεὸς νόος) Τεὸς pro σὸς poeticum eſt. Θεὸς tamen magis mihi probatur, quia νόος eſt unus quidam ac poſtremus quidem, ex creatoribus & effectoribus mundi. Veruntamen, cum mirum non ſit, νὂν illum Deum ſoli præſtare ſplendore, retinenda erit particula τεός. Erit igitur ſententia primi verſus iſta: Tua iſta mens, *Valentine*, Gnoſticorum parens, imago illius mentis, quam in Aeonibus multo poſt Propatora poſitam pro una & proxima de cauſis mundi antiquiſſimis prædicas, longe ſuperavit ſplendorem ac lucem ſolis. Inſanias *Valentini*, quia longiores ſunt, quam quæ in tanta brevitate noſtra locum inveniant, ex *Ire-*

nai

nai Lib. I cap. 1 & *5* repetat, qui volet. Addi poterit B. *I. F. Buddei Diſſertatio de Valentin. §. V-XII*, & *Epiphan. Hæreſ. XXXI pag. 168* epiſtola *Valentini*. Nam cetera magis turbat, quam explicat, *Epiphanius*.

Πάνσοφον) Hoc epitheton vel menti, cauſæ rerum mundanarum efficienti, vel perſpicientiæ *Valentini*, belle tribuitur, ſi hæc cum ſplendore ſolis, per ſe nihil ſapientiæ habentis, comparentur. Vel πάνσοφος αὔγλη eſt ſapientia mentis, e mundo elucens. Hæc enim interpretatio convenit proximo ſuperiori vocabulo βροτοφεγγέα. Nam αὔγλη, quæ in Aeonibus *Valentini* numeratur ab *Epiphanio*, hic fortaſſe non innuitur.

Απαςράπτουσαν ἀδύτως) Mens, ſeu ſapientia, providentiſſima, cum in rebus mundanis ſemper inſit, & tanquam luceat, hactenus ſoli etiam anteponi poteſt. Sin de *Valentini* mente ſplendor ille inocciduus prædicetur; perpetua *ſapientiæ Valentini* promittitur auctoritas, ſole occiduo hactenus præſtabilior.

Epigramma IX, ΜΑΚΚΙΟΥ.
De Torculari.

Αυτὸς, ἄναξ, ἔμβαινε θοῷ πηδήματι, ληνοῦ
  Λακτιςῆς ἔργου τ' ἥγεο νυκτερίου.
Λευκῶσαι πόδα γαῦρον, ἐπιῤῥῶσαι δὲ χορείην,
  Λάτριν ὑπὲρ κούφων ζωσάμενος γονάτων·
Ευγλωσσον δ' ὀχέτευε κενοῦς μάκαρ ἐς πιθεῶνας
  Οινον ἐπὶ ψαιςοῖς καὶ λασίῃ χιμάρῳ.

Ipſe, rex, ingredere celeri ſaltu torculari
Conculcato præſide & operi nocturno.
Denuda pedem ſuperbum: fac invaleſcere choream
Cultricem ſupra levia cingens genua.
Fæcundum autem infunde vacua in dolia
Vinum in detonſa & hirſutam pellem hædi.

Hoc Epigramma continet allocutionem ad *Bacchum*, torcularia proſperantem.

Ἀναξ) Rex appellatur *Bacchus*, quod vineis & vindemiis & omni rei vinariæ præſidet. Nam gentium antiquarum Dii tam erant imbecilles & bruti, ut ſinguli pæne ſingulis modo præeſſent, & præeſſe poſſe viderentur, operis, opificiis, artibus. *Mars* enim bello, *Minerva* liberalibus artibus, *Vulcanus* fabrorum officinis, præfectus credebatur; *Mercurius* vero furtis, commerciis, eloquentiæ, & *Apollo* medicæ arti ac ſcientiis reliquis, item ut peſtilentiæ, cet.

Θοῷ πηδήματι) id eſt, celeri ac crebra infuſione botrorum, ex vineis allatorum, ac ſimul larga profuſione muſti in vaſa capulatoris.

Ληνȣ̃ λακτιςῆς) In torcularibus conculcatas olim uvas fuiſſe, vel ex Scripturis ſacris conſtat, *Ieſai. LXIII, 2, 3,* & *Apoc. XIV, 20.* Hinc ergo torcularis epitheton intelliges. Adde *Columel. XII cap. 41,* & *Phurnut. Nat. De. cap. 30.*

Εργȣ δ', κ. τ. λ.) Malui ſcribere ἔργȣ τ', & tollere colon, quod *Ienſius* vocabulo λακτιςῆς adſcripſit, ut ſententia ſit: *Præſide torculari, & operi nocturno.* Nam nomina Ληνȣ̃ λακτιςῆς cum nomine ἄναξ conſtruere nolim: quando vocabula

iſta

iſta nimium inter ſe diſtant, neque cum propioribus commode cohærere poſſunt. Noctem autem quaſſandis uvis tributam eſſe, ex hoc loco ſatis apparet, neque illius rei cauſæ obſcuræ ſunt. Dies enim vindemiæ ſunt breviores, ut noctis pars operi huic contribuenda ſit, & hominum cupiditas muſti accelerari opus iubet: ſimul nox intempeſta concurſitationem egentium vicinorum & impudentium flagitatorum cella torcularia excludit. Atque ipſa *Bacchi* feſta cum propter temulentiæ & furoris *Bacchici* turpitudinem noctes potiſſimum quærerent, (*Liv. XXXIX, 13, 15,*) operæ torculariæ, quippe fere cum inſaniis laſciviæ coniunctæ, eidem tempori reſervatæ ſunt.

Πόδα γαῦρον) Pes *ſuperbus* hic memoratur, propterea, quod ſuperborum propria eſt pedum ſupploſio, tanquam indicium iræ & cupiditatis opprimendorum hoſtium. Sin pedem exultantem indicari malis, non repugnaverim. Amat enim torcularium opus crebritatem ſupploſionis pedum, qualis exultantium eſt, & opus ipſum accelerat. *Virgil. Georg. II v. 7, 8.*

Χορείην) Videntur in ipſo opere torculario laudes *Bacchi* decantatæ fuiſſe, quibus choreæ & excitabantur facile, & continuabantur: cum præſertim nulla pæne ſacra Deorum citra choreas celebrarentur. Vid. *Memoires de l'Academie des Inſcriptions Tom. I ſec. Mem. pag. 153,* & ſcriptores ceteros antiquitatum ſacrarum pariter ac profanarum. Adde *Virgil. Georg. II v. 380 ſeq.*

Λάτριν) Hoc nomen referri poteſt ad *choream,*

vel inde abſtrahi, & hominibus ad torcular deſtinatis attribui.

Μάκαρ') Deos gentium antiquarum *beatos* ac *bonos* dici, ſatis notum eſt. Ac, *Bacchum* hîc ita appellari, eo minus mirum, quod dona eius gentibus antiquis lætitiæ ac beatæ quietis & ſecuritatis certiſſimæ cauſæ credebantur. Res longiore diſputatione non eget, nec percuſſorum Icarii pœnitentia, aut *Virgilii*, *Nonni*, *Ovidii*, *Horatii*, teſtimonio. Vid. *Not. ad Cæſ. Germ. Phæn. Arat. v. 90*, *Virgil. Georg. Lib. II v. 455*, *Ovid. Amor. Lib. I v. 59, 60*, *Horat. Carm. Lib. II Od. 19*, & *Lib. I Od. 7*, *Epod. XIII v. 17*, *Homer. Odyſſ. Ξ v. 464 ſeq.*

Ψαιστοῖς) Scil. ἀλεύροις, vino & oleo conditis. Malim tamen legere ψηστῇ καὶ λασίῃ χιμάρῳ, ut ſententia exiſtat: *Diffunde vinum in coriis, vel pellibus, hædinis per dolia.* Nemo enim neſcit, etiamnum vina per canales quosdam coriaceos, vel alios, e vaſis in vaſa transfundi.

Λασίῃ χιμάρῳ) *Hædus hirſutus* hoc loco ſignat *utrem*, e pelle caprina factum. Utris figuram exhibet *Montfaucon. Antiq. illuſtr. Tom. I Tab. CLXX Fig. 3*, quam tamen etiam facile imaginari quisque poteſt ex more noſtro decoriandi lepores. Eundem enim Itali ſequuntur in conficiendis utribus e pellibus hircinis & aliis. Sunt hodieque per Galliam & Italiam, atque alibi, utres in uſu. De utribus vid. *Matth. IX, 17*, & *Luc. V, 37, 38*.

Epigramma X, ΑΝΤΙΦΙΛΟΥ.
Meretrix amaſiorum illex.

Ἤμην καὶ προπάροιθε συνέμπορος ἀνέρι κέρδευς,
Ἡνίκα δημοτέρην Κύπριν ἐναυλολόγει.

Κεῖθεν

Κεῖθεν καὶ συνέπηξεν ἐμὴν τρόπιν, ὄφρα με λαύσσῃ
    Κύπρις τὴν ἀπὸ γῆς ἐκ ἁλὶ ῥεμβομένην.
Ἐστιν ἑταιραίοιος ἐμοὶ στόλος, εἰσὶ δὲ λεπ]ὰ
    Κάρβασα καὶ λεπ]ὸν φῦκος ὑπὲρ σανίδων.
Ναύ]ιλοι ἀλλάγε πάντες ἐμῆς ἐπιβαίνετε πρύμνης
    Θαῤῥαλέως: πολλὰς οἶδα φέρειν ἐρέτας.

Eram etiam ego prius conſectatrix cum mare lucri
    Cum Venerem vulgivagam nautis exquireret.
Deinde etiam conformavit meam carinam, ut me frueretur
    Venus de terra in mari errante.
Sunt mihi ſociales copiæ, ſunt etiam tenuia
    Carbaſa & tenuis fucus in aſſeribus.
At vos nauticæ rei periti omnes meam conſcendite puppim
    Fidenter: multos poſſum ferre remiges.

Συνέμπορος) Meretrix hic ſe commercii ſociam fuiſſe dicit, mox cum ipſa navi ſe comparat. Inſcite & impudenter.

Δημοτέρην) Venerem antiquæ gentes colebant duplicem, unam cœleſtem, alteram vulgivagam.

Εναυτολόγει) Cauſam non video, cur hoc verbum non hic etiam interpretari poſſimus *nautis inſidiari*, ſeu potius ſimpliciter *inſidiari*, cum ναυλογεῖν ſignificet *navibus inſidiari*.

Λαύσσῃ) Melior eſt ſcriptura, quæ nunc expreſſa eſt. Nam, ſi veterem ſcripturam λεύσσῃ retineas, dubitari poſſit, utrum a λεύω ſit, tranſlate poſito, an a λεύσσω.

Ετωιρέιοιος) Rarum vocabulum. Uti *Argo* ſodales habuit regii fere ſanguinis; ita meretrix gloriatur hic de multitudine vectorum, Deo, ſodalitii præſidi, devotorum.

Κάρβασα) Si veſtes tenues intelliguntur; ad meretricam hanc intelligendam ac reprehendendam ſatis eſt attuliſſe & legiſſe *Plin. Hiſt. nat. Lib. XI cap. 22*, & *Strabon. Lib. XV pag. 1047*; ſin, ut videtur, velum aliud: valeat iſta turpitudo & exulet, neque unquam interpretem reperiat. Carbaſa ipſa navium varii generis ac telæ fuiſſe, ex *Plutarcho*, mox citando, apparet, & *Plin. Hiſt. nat. Lib. XIX cap. 1 extrem.*

Φῦκος) Naves, præſertim præſtantiores, variis coloribus tingebantur, præcipue in puppi, quæ nonnunquam etiam auro exornabatur. Vid. *Plutarch.* in *Antonio p. 927 A.* Adde (nam nos brevitati ſtudemus,) *Plin. Hiſt. nat. Lib. XXXV cap. 6* & 7 & 10.

Epigramma XI, ΑΝΤΙΦΑΝΟΥΣ,
Senſus hominis voluptarii.

Ει τινα μὴ τέρπει λωτῦ χέλυς ἢ γλυκὺς ἦχος
 Ψαλμῶν, ἢ τριγέρων νεκ]άρεος Βρόμιος·
Η πεύκαι, κῦροι, ςέφανοι, μύρα, λιτὰ δὲ δείπνων,
 Λαθρόποδας τρωκ]ὺς, χερσὶ τίθησι τόκυς·
Ουτος ἐμοὶ τέθνηκε. Περίμνηςις δὲ παρέρπω
 Νεκρὸν ἐς ἀλλοτρίυς Φειδόμενον Φάρυγας.

Si quem non delectat teſtudo loto facta, aut dulcis ſonus
 Canticorum, aut pervetuſtum vinum nectareum,
Aut tæda, pueri, corona, unguenta, ſed tenues cœnas,
 Tardipedes arroſos ſuum, manibus facit uſurarios;

Hic

Hic mihi mortuus videtur. Huius rei memor ſub-
terfugio
Exanimem in aliena parcentem gutturа.

Λωτȣ͂ χέλυς) Lotus arbor inſtrumentis muſicis conficiendis ſerviebat, neque tibiis modo, ut quibusdam videri poſſit *Plin. Lib. XIII cap.* 17. Teſtudinis antiquæ forma e *Montfalcon. Tom. III Lib. V cap. 3 §.* 1 demonſtrari poteſt.

Ψαλμῶν) Qui hymnos, Diis cantari ſolitos, a ψαλμοῖς diſtinguunt, ii ſententiæ ſuæ præſidium hic reperiunt. Vid. *Commentarios* noſtros *lingu. Græc. N. T. pag.* 1350. Adde *Ez. Spanhem. ad Callim. pag.* 2, 3, 4.

Τριγέρων) Etiam apud Latinos *terque quaterque beati* dicuntur, qui non tergeminam, ſed ingentem, felicitatem conſecuti ſunt. Non igitur hic quisquam de terna ſenum ætate cogitabit, & eam ad vinum transferet.

Νεκτάρεος) Nectar Deorum commentitiorum potus credebatur, &, quia ſtatus illorum beatiſſimus videbatur, idcirco Nectar pro iucundiſſimo quoque potu accipiebatur. Νεκτάρεος igitur hic eſt *dulciſſimus, ſuauiſſimus.*

Βρόμιος) Fuit unum ex cognominibus *Bacchi.* Vid. *Phurnut. cap.* 30: Βρόμιός τε δὲ καὶ Βάκχος καλεῖται, διὰ τὸ τȣ̀ς πατȣ͂ντας αὐτὸν πρῶτον βρέμεσθαι (non χρῆσθαι). *Bacchus autem etiam Bromius vocatur, propterea quod calcantes uvas primum murmur edant.* Ergo vinum hic intelligitur. Vinum autem vetuſtum probatiſſimum eſſe, per ſe certum eſt etiam idiotis.

Πεύ-

Πεύκας) Sic *Ienſius* edidit, a quo nos diſſidentes, ſcripturam paulum immutavimus. Πεῦκαι autem multa hic ſignificare queant, præſertim *pugillares* & *tædas*. Ac *pugillares* quidem doctrina pleni haud dubie cordatos etiam delectant. Tales autem hic non intellexiſſe videtur Auctor, homo, ut ex Epigrammate toto conſtat, nimis voluptarius. Malim igitur *tædas* intelligi. Quarum uſus, etſi propter fumum inviſus eſt, tamen, quia ebrios convivas a periculis defendit, in conviviis nocturnis iucunditatem habet. Vid. *Lucret. II v. 24 ſeq. Virgil. Georg. II v. 24 ſeq.* Suſpicio eſt, obſcœniore verbo uſum eſſe Epigrammatarium, propter rariorem & ignotiorem uſum, ut fit, commutato. Suſpicioni favent proxima quæque vocabula. Πόρκοι quidem vetuſtiſſimis Græcis ſignabant naturam, qua mulieres ſunt. Vid. *Varron. R. R. Lib. II cap. 4 pag. m. 110.*

Κῦροι) Nefarius homo eſt Auctor Epigrammatis, ut iam dixi. Si κῦραι MSti lectio fuiſſet; turpitudo ſcriptoris tanta & tam nefaria non eſſet. Nam tibicinæ & aliæ fœminæ convivantibus fere aderant. Vid. Notas noſtras ad *Theophraſti Charact. cap. XI ſ. 9, cap. XIX ſ. 13,* & *Cic. IX Ep. 26.*

Στέφανοι) De coronis convivarum copioſe diſſerit *Car. Paſchalis* & *Petron. cap. 65, Ovid. de Art. am. I v. 582, Plin. Hiſt. nat. Lib. XXI cap. 3, Plutarch. Sympoſ. II ineunt.*

Μύρα) Vid. *Not. ad Theophraſt.* noſtrum, *cap. IV ſect. 2,* & *cap. V ſect. 17.* Omnino creber unguentorum uſus olim viguit, quod cum aliunde, tum ex multis eorum præparandorum formulis ac modis,

dis, conſtat. Videatur *Dioſcorides Lib. I cap. 53-77, Plin. Hiſt. nat. Lib. XIII cap. 1 ſeq. Cic. Offic. Lib. I cap. 42, Matth. VI, 17, XXVI, 6, 7.*

Τροκτὰς) Malui πρωκτὰς, ut intelligantur ſuum valde pinguium armi poſteriores, qui, pinguedinis gravitate & amplitudine diſtenti, naturalem ſuum velocitatem impediunt. Vid. *Varron. R. R. Lib. II cap. 4 p. 110* edit. *Commel.* Hæc enim fercula pauperum & tenuiorum hominum dapes ſolent eſſe. Erit igitur conſtructio verborum Auctoris ſimillima illi *Martialis Lib. XIII Epigr. 13:*

Vt ſapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ:
O quam ſæpe petet vina piperque coquus.

De reliquo confer *Plin. Hiſt. nat. Lib. VIII cap. 51: Neque alio ex animali numeroſior materia ganeæ.* Add. *Megareus* in *Ariſtophanis Acharnenſibus pag. 293* edit. *Froben.* Baſil.

Τόκους) Cibi plerique, & præſertim exſucci, manibus nihil relinquunt delingendum, quod ipſis tanquam uſura cibi apprehenſi adhæreat. Carnes autem ſuillæ hanc quaſi uſuram manibus relinquunt pinguedinem.

Εμοὶ τέθνηκε) Verba Græca nonnunquam de ſpecie modo ac ſimilitudine accipienda ſunt, ſicut Hebraica itidem ac Latina. Vita enim voluptatum expers voluptariis hominibus, quorum mores doctrina non correxit, vita eſſe non videtur. Hæc ceteroquin locutio Auctoris ſatis docet, ipſam fuiſſe olim creberrimam, & a *Paulo*, gentium doctore, ad meliores uſus translatam, *1 Timoth. V, 6.*

Περὶ μνῆστιν) Sic *Ienſius* edidit. Sed innovanda

no-

nobis videbatur lectio, ut commodior conflaretur ſententia. Hoc certe velle videtur Epigrammatarius: ſe, cum ſatis memor ſit, hominem, voluptatis inimicum, ſaltem expertem, iam mortuum quaſi eſſe, fugere manes, alienæ gulæ inſervientes. Περίμνηςις igitur ita formatur, ut a μαίνομαι μάντις, a πρίω πρίςις, a νε & ἧςαι, vel ἔδω, νῆςις, a quo λάτρις, κακόπατρις, & ſimilia, non multum diſcrepant.

Νεκρὸν) id eſt, inſtar mortui nihil iucundi appetentem.

Φειδόμενον) Videtur proverbialis locutio eſſe, qualis eſt in noſtra quoque vernacula. Nepotes quidem facile fiunt, quorum maiores parci fuerunt, aut etiam alienis acerbi, ut ſuis eſſent dulces.

Epigramma XII, ΓΑΙΜΙΝΟΥ.

De Paliuro.

Ει παλίυρ☉ ἐγὼ τρηχὺ ξύλον ἰὸς ἐν ἕρκει·
  Τίς μ' ἀφορῶν λέξει τὴν φορίμων φύλακα;

Si ego Paliurus aſper frutex, iaculum in ſepe ſum:
  Quis me auferens dicet rerum facile *diripiendarum cuſtodem?*

H) Vocabulum nihili in melius converti, ut nunc expreſſum eſt.

Παλίυρος) Ex *Virgil. Eclog. V v. 39* iam notum eſt, paliurum, ſpinis acutis præditum, altius excreſcere. Adde *Theophraſt. Hiſt. plant. Lib. I cap. 5 & 8 & 16.*

ὸς)

ἰὸς) Malim legere τρηχὺς ξύλυ ἰὸς, *aſperum iaculum ligneum.* Ita vitaretur duplex illa & ingrata appoſitio. Sed appoſitiones Græcorum, inprimis Poetarum, ſæpe ſatis licenter uſurpantur. Quodſi prior ſyllaba nominis ἴος, *ſolus*, longa fuiſſet; hoc nomen commodiſſimam ſententiam nobis dediſſet. Nunc prior ſyllaba brevis eſt *Iliad.* Φ.:

Ἐν δὲ ἴα ψυχὴ, θνητὸν δέ ἑ φασ' ἄνθρωποι.

Epigramma XIII, ΚΡΙΝΑΓΟΡΟΥ.

Pœnas. fruſtra vitari.

Κῆν μυχὸν Ορκυναῖον, ἢ ἐς πύματον Σολόεντα
Ἔλθῃς καὶ Λιβυκῶν κράσπεδον Ἑσπερίδων,
Καῖσαρ ὁ πυλυσέβας ὁμόπλοος εἴσιν ἐκεῖσε·
Πάντῃ Πυρήνης ὕδατα μαρτύρια.
Οἷσι γὰρ ὐδὲ πέριξ δρύτομοι ἀπεφαιδρύναντο,
Λυτρὰ καὶ ἠπείρων ἔσσεται ἀμφοτέρων.

Quamvis in ſinum Oritavorum, aut ad ultimum Soluntem,
Fugeris, & Africanarum ſimbriam Heſperidum,
Caſar multum venerandus ſocius navigationis vadit eodem:
Et fugam *nusquam non teſtantur aqua Pyrenaa.*
Quibus enim ne circumiecta quidem ſilva bilares ſe præbuerunt,
Hiſce *lavacra erunt utriusque continentis?*

Totius Epigrammatis ſententia eſt iſta: hominem ſceleratum, etiamſi deviandæ pœnæ cauſa ad ulti-

ultimas terrarum oras fugerit, *Cæſaris* tamen pœnas & vindictam effugere non poſſe.

Ορκυνεῶν) *Oritani*, ſeu *Orixi*, (ſic enim ſcribendum videtur,) ex Oria urbe appellati, ſunt natio Hiſpanica. Sinus ergo intelligitur is, quem Bætidis oſtium facit. Vid. *Cell, Geogr. Antiq. Lib. II cap. I ſect. 3 §. 77 p. 98.*

Σολόεντα) Σολόις eſt h. l. promontorium Africæ pæne extremæ, non Ciliciæ, nec Siciliæ. Vid. *Cell. Geogr. antiq. Lib. IV cap. 8 ſ. 2 n. 4 p. 946.*

Εσπερίδων) Heſperidum horti aureis quondam pomis celebrati fuerunt. Siti autem erant ad extremam pæne Africæ partem circa montem Atlantem. Vid. *Cell. Geogr. antiqu. Lib. IV cap. 2 p. 849*, & *Plin. Hiſt. nat. Lib. V cap. 1. Heſperides* ipſæ *Atlantis* fuerunt filiæ, quæ arbori pomorum aureorum circumduxerant lacum in ſerpentis gyrum. Qua ex re ſerpens eorum cuſtos creditus eſt. Poma plerisque putantur aurantia fuiſſe, aliis malogranada.

Αμα κλέος) Hæc edita eſt ſcriptura, quæ nobis nihili videtur. Ομόπλοος vero, *navigandi ſocius*, bonum eſt vocabulum, & huc accommodatum.

Εκείνῳ) Sic Cl. *Ienſius* edidit; ſed non cohærent ἔλθῃς & ἐκεῖνος.

Πυρήνης ὕδατα) hoc eſt, mare mediterraneum, quo Pyrenæi montes pæne alluuntur.

Δρύτομοι) Hoc nomen propter longam ſyllabam δρυὸς in verſu noſtro vix locum invenit. Et, ſi maxime ſyſtolen hic valere credamus, dubitatio tamen ſupereſt, δρυτόμοι legere malis, an δρύτομοι. Poſterius ego malim, ut intelligantur quer-

quercus in partes ſectæ, quibus hoſtiæ & piacula quævis concremantur. Verum verbum ἀπεφαυδρύναντο magis poſtulat δρυτόμους, ſectores quercuum, arborum, lignorum. Fortaſſe ſatius fuit τρίτομοι reponere, ut diſciſſa ligna felicia intelligantur, quorum uſus in ſacris fuit. Vid. *Macrob. Saturnal. Lib. III cap. 20.*

Λουτρὰ) Vel loci hic intelliguntur aquis, aut marinis, aut vivis, præditi, vel ipſæ potius aquæ vivæ, aut marinæ; quibus ſcelera impurorum hominum elui atque expiari credebantur. Vid. *Macrob. Saturn. Lib. III cap. 1, Diodor. Sicul. Biblioth. Lib. XVII pag. 528 A.*

Ἠπείρων ἀμφοτέρων) Africam & Europam, vel potius extremam utriusque partem, intelligit, quæ foris mari Atlantico circumdantur, intus mare mediterraneum pæne circumdant usquequaque. Res nota eſt; alioquin ad *Melam Lib. II cap. 6, Strabonem Lib. III p. 204* edit. *Almeloveen.* provocaremus.

Epigramma XIV, ΒΙΑΝΟΡΟΣ.

Cicada ab aucupe capta.

Καύματος ἐν θάμνοισι λαλίστατος ἡνίκα τέττιξ
Φθέγξατο διγλώσσῳ μελπόμενος στόματι,
Δυνακόεντα Κρίτων συνθεὶς δόλον εἷλεν ἀοιδὸν
Ἥρος οὐκ ἰδίην ἐξόβολον μελέτην.
Ἀξια δ' οὐχ' ἑτίης θήρης πάθεν· οὐ γὰρ ἔτ' ἄλλων
Πήξατ' ἐπ' ὀρνίθων εὔστοχον ὡς πρὶν ἄγρην.

Cum æſtu maximo ſub ramis loquaciſſima cicada
Caneret bilingui tripudians ore,

Arundineam Crito fraudem confingens cepit cantricem,
Quæſtum aëri non proprium & ſexobolarem.
Dignam autem is ſacra captione incurrit pœnam. Non enim iam, ut antea in aliis
Avibus, vafram inſtruxerat capturam.

Διγλώσσῳ ϛόματι) id eſt, utraque ala, qua mota, cicadarum ſonus exiſtit, qualem ora ceterarum volucrum & animalium edunt.

Δονακόεντα δόλον) *Arundinem ad dolum conſtructam & accommodatam.*

Ἀοιδὸν) *Cicadam canoram.*

Ἠέρος οὐκ ἰδίην) id eſt, aer ſublimis ad capiendas cicadas minus idoneus eſt locus.

Ἑξώβολον) id eſt, nullius pretii curam, contemtiſſimam artem, & viliſſimam & pecuniæ faciendæ inidoneam. Obolus eſt numus ſextæ partis drachmæ. Drachma eſt denarius Romanorum. Denarius exæquat tres groſſos Miſnicos. Ergo ſex peningi noſtri faciunt obolum. Vid. *Eiſenſchmid. de Ponderibus Sect. I cap. 3 pag. 50.*

Ὄχ') Hæc *Ienſii* eſt ſcriptura. Eam repudiavimus ut alienam. Poſſit aliquis ſuſpicari ὦχ' pro ὦχα, *celeriter.* Nam ὀχ' brevis eſt ſyllaba, quam tamen cæſura producere queat.

Ὁσίης) *Sacræ.* Videtur enim poſitum eſſe hoc nomen more *Virgilii Æneid. Lib. III vers. 56, 57:*

— — *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri ſacra fames?

Πήξατ') Pro ἐπήξατο. Poetæ augmentum verborum ſæpe negligunt.

Epi-

Epigramma XV, ΚΡΙΝΑΓΟΡΟΥ.

Corinthi miſeriæ.

Οἵους ἀνθ' οἵων οἰκήτορας, ὦ ἐλεεινὴ,
  Εὗραο! Φεῦ μεγάλη Ἑλλάδος ἀμμορίη!
Αὐτίκα καὶ γᾶς ἡ χθαμαλωτέρη εἶτε, Κόρινθε,
  Κεῖσαι καὶ Λιβυκῆς ψάμμου ἐρημοτέρη.
Ἡ τοίοις διαβᾶσα παλιμπρήτοισι δεθεῖσα
  Θλίβεις ἀρχαίων ὀςέα Βακχιαδῶν.

Quales pro qualibus oppidanos, o miſerabilis,
  Invenisti! Heu magnam Græciæ infelicitatem!
Iam etiam ſolo humilior iaces, Corinthe,
  Sive etiam Africana arena deſertior.
Quæ, talibus venditoribus, divaricatis cruribus ſtas vincta,
  Et premis antiquorum oſſa Bacchiadarum.

Οἵους ἀνθ' οἵων) Corinthus quondam florentiſſima oppidanos habuit ſplendidos, & magnificos, ſed, a *Lucio Mummio* everſa, tenues nacta eſt incolas, qui priſtinum ſplendorem aſſequi non potuerunt. Vid. *Strabon. Lib. VIII pag. 584 ſeq.* Hanc igitur commutationem & fortunæ iniquitatem miratur Poeta.

Μεγάλης) Inepta ſcriptura, ac proinde a nobis iure immutata.

Εἶθε) Hoc item vocabulum nihili merito improbavimus.

Κεῖσθαι) Una litera abiecta, ſanior cœpit eſſe ſententia.

Διὰ πᾶσα) Neque hanc ſcripturam ferre potuimus. Olim ſervos vendendos cruribus divaricatis in foro ſtetiſſe, & compedibus vinctos fuiſſe, ſatis notum eſt. Vid. *Diog. Laert. Lib. VI ſeg. 29.* Add. *Not. Iſ. Caſauboni* & *Kühnii*. Loca plura, unde conſuetudo apparet, vide apud *Laur. Pignorium de Servis pag. 347* edit. Amſtel. 1674. Διαβαίνειν autem *ſtare diſtortis cruribus* ſignat; uti *Budaeus* demonſtravit in *Commentariis*.

Παλιμπρήτοισι) Pro παλιμπράτοισι. Res ipſa proclivis eſt intellectu. Nam, ſervos veteratores atque improbos identidem venales ſtetiſſe, & melioribus compede adſtrictos fuiſſe, nihil habet addubitationis. Si enim captivi militibus hoc modo devincti fuerunt; multo magis ſervus ſervo compede alligatus fuit. Vid. *Act. XII, 6, & XXVIII, 16.*

Θλίβειν) Germana lectio Epigrammati iam ipſi reddita eſt, neque hic repetenda. Res ipſa intelligetur ex contrariis formulis: *Sit tibi terra levis, molliter oſſa cubent,* cet. quae in antiquis Inſcriptionibus identidem occurſant, ſi vivi mortuis bene vellent, ac bene precarentur. Corinthii ergo, qui a Romanis ſcelerate atque inhumaniter tractati erant, antequam in exilium abirent, Bacchiadarum veterum tyrannorum ſepulcra calcabant acerbiſſime, ut declararent, quanto Romani Bacchiadis haud diſſimiles digni eſſent Corinthiorum odio, vel reſpicitur a Poeta direptio ſepulcrorum Corinthiorum Romana. *Strabo Lib. III p. 585 ſeq.*

Βακχιαδῶν) Bacchiadae fuerunt ſplendidiſſima Corinthi gens, quae patriam ducentis fere annis

tyran-

tyrannide oppreſſam tenuit. Vid. *Strab. Lib. VIII pag. 580, Ovid. Metamorph. vers. 407*, & *Pauſan. Lib. II cap. IV pag. 120.*

Epigramma XVI, ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.
Hortatur ad bellum Parthicum.

Στέλλευ ἐπ' Εὐφράτην Ζηνὸς τέκος. εἰς σὲ γὰρ ἤδη
Ἠῷοι Πάρθων αὐτομολεῦσι πόδες.
Στέλλευ ἄναξ, δήεις δὲ φόβῳ κεχαλασμένα τόξα
Καῖσαρ· πατρῴων δ' ἄρξαι ἀπ' ἀντολέων.
Ῥώμην δ' Ὠκεανῷ περιτέρμονα πάντοθεν αὐτὸς
Πρῶτος ἀνερχομένῳ σφράγισαι ἠελίῳ.

*Proficiſcere ad Euphratem, Iovis fili, nam ad te iam
Parthorum, orienti ſubiectorum, transfugiunt pedes.
Proficiſcere, rex, invenies autem remiſſos metu arcus,
Caeſar: impera inde a patrio oriente.
Romam autem Oceano vicinam undique ipſe
Primus exoriente obſigna ſole.*

Εὐφράτην) Hic amnis fere Parthicum regnum a Romano imperio diviſit. Inde ergo in Parthicum excurrendum erat *Caeſari*, cum Parthis bellaturo. Vid. *Plin. Paneg. cap. 14.*

Ζηνὸς τέκος) Iovis filius hic appellatur *Caeſar*, vel quod omnes magni viri divinitus orti credebantur, (vid. *Diodor. Sicul. Biblioth. Lib. XVII p. 528, Liv. Lib. XXVI cap. 19*, add. *Lib. I cap. 4*,) vel quod *Elagabalus* a Deo, cuius ſacerdos fuerat, genitus putabatur. Vid. *Herodian. Lib. V cap. 3 Sect. 12 ſeq.*

Παῖσι — πόδας) Hanc lectionem quantopere probem, verſione mea declaravi.

Πάρθων) Horum hiſtoria & regio ſatis nota eſt ex antiqua Hiſtoria et Geographia. Vid. *Dion. Caſſ. Lib. XL pag. 141 ſeq. Curt. Lib. VI cap. 2.*

Αναξ) Imperatores Romanorum a Græcis ſæpe Reges appellantur; quia lingua Græca vocabulo carebat, quod eandem vim haberet, quam Romani Imperatoris nomini ſubiiciebant.

Τόξα) Arcus erant potiſſimum inſtrumentum, per quod Parthi equites victoriam conſequebantur. Militia enim Parthica maxime conſtabat equitatu, qui, telis in Romanos pedites emiſſis, velocitate equorum fretus, celerrime refugiebat, ut Romanorum tela evaderet, & gravi armatura oneratos fatigaret. Quod crebro repetitis inſultibus facile perſpiciebatur. Conf. *Dion. Caſſ. loc. cit. pag. 142, Xenophont. Expedit. Cyr.*

Πατρώων) *Oriens patrius* eſt hoc loco terra orienti ſoli iubiecta, et vel Imperatoris ipſius, vel patris eius, patria. Hæc ergo verba deſignant nobis vel *Elagabalum*, vel *Caracallam*, Imperatorem. *Elagabalus* enim in Oriente natus fuerat. Vid. *Herodian. Lib. V cap. 3 Sect. 6.* Et, quia *Caracalla*, eius filius, in Parthos exercitum modo duxit, oriens terra eius patria dici potuit ob ortum parentis. Expeditio autem in Parthos ab Epigrammatario pro omine accepta eſt imperii Romani inde ab oriente ſole ad occidentem continuandi. De reliquo ἀντολέων poſitum eſt pro ἀνατολῶν, qui caſus Atticis ex Ionica literæ ε interpoſitione natus eſt. Ανατολὰς

autem

autem malunt Græci dicere, quam ἀνατολὴν, ob quotidianam ortuum ſolis varietatem.

Ῥώμην) id eſt, Romanum imperium, terras Romanis iam a longo tempore ſubiectas. Ipſa enim urbs Roma longiſſime ab Oceano remota eſt, ut omnes novimus.

Πρῶτος) Poſt recepta a Parthis Romanorum ſigna, quæ felicitas *Cæſari Octaviano* contigit, *Traianus* Parthos primus ſubegit, & partem regionis illorum Romano imperio adiunxit. Sed is ab Epigrammatario non indicatur, cum *Traianus* ex Italica Hiſpanica urbe oriundus fuerit. Saltem igitur adulatio, ſi non ignorantia, Epigrammatarii aperta eſt.

Epigramma XVII. ΑΔΔΑΙΟΥ.

Peuceſtæ victoria de Tauro.

Ταύρῳ φρικαλέον νάπος ἐκβαίνοντι Δοβήρου
 Πευκέστης ἵππῳ κάρτερος ἠντίασεν.
Ἀλλ' ὁ μὲν ὡρμήθη πλείων ἅτε, τοῦ δ' ἁπαλοῖο
 Παιονίδας λόγχην ἧκε διὰ κροτάφων.
Συλήσας κεφαλῆς δὲ διπλοῦν κέρας, αἰὲν ἐκείνου
 Ζωροποτῶν ἐχθροῦ κόμπον ἔμυ θανάτῳ.

Tauro, horrendum Doberi ſaltum egreſſo,
 Peuceſtes equo validus occurrit.
Sed iſte quidem irruit tanquam potior; at pinguis tauri
 Per tempora Paeonius lanceam traiecit.
Cumque detraxiſſet capiti utrumque cornu, tade illius
 Hoſtis gloriolam in perpetuum inde bibens compreſ-
 ſit merum.

ταύρῳ) Ut certaminis huius gravitas intelligatur, tenendum eſt tauri & bovis diſcrimen. Quod cum neglexiſſet *Harduinus* ad *Plinium*; in errorem incidit. Feritas ipſa taurorum Pæoniorum cognoſcenda ex *Pauſan. Lib. X cap. 13 pag. 828, 829.* Antiquiſſimis autem temporibus viri fortiſſimi ſæpe cum tauris pugnaſſe leguntur. Talia quidem *Plutarchus* de *Theſeo*, *Strabo* de *Hercule*, *Acheloum* vincente, *Cæſar* de adoleſcentibus Germanis, *B. G. Lib. VI cap. 28 ſeq.* alii de aliis, memorant. Nec hodie in Hiſpania & alibi mos iſte exolevit.

Δοβήρῳ) Doberus oppidum eſt Paeoniæ illius, quæ Macedoniæ pars eſt ſecundum *Ptolemæum* & *Strabonem* & *Pauſaniam Lib. V cap. 1 p. 376.* Doberi ſitum *Cellarius* iam ſignavit in *Geogr. antiq. Lib. II Cap. 15 §. 26*, nec pœnitet me nomen Doberi in *Notis ad Cellarium* e *Zoſimo* propoſuiſſe; quando nomen illud ignotius eſſe video literatis. Oppido autem illi ſaltum adiacere, quis dubitet?

Πευκέτης) Suſpicabar primum, legendum eſſe Τιθείδης, qui ab avo ita nominaretur, ut *Hercules* & alii a Poetis ſæpe ex avorum nomine appellati ſunt. Opinabar enim, hoc tauri certamen ad *Theſeum* pertinere, cuius avus *Titheus* vocabatur. Sed *Theſeus* cum tauro ad Marathonem pugnavit, quo ille ex Creta per Peloponneſum & Iſthmum perveniſſe narratur a *Pauſania Lib. I cap. 27 pag. 66.* Peuceſtes autem nomen Macedonibus uſitatum fuit, ut illud merito hic adoptandum videretur. Alioqui religioſum erat, in nomine proprio quidquam immutare, ne fortis viri memoria periclitaretur.

Ιππῳ χάρτερος) Homines equo adiutos ſuperiores

riores tauris exiſtere, facile per ſe quisque intelligit. Mos autem tauros vincendi ex equo iam ex Centaurorum fabula conſtat. Et *Cai. Iul. Cæſar* hoc pugnandi genus Romæ primus oſtendiſſe dicitur. Vid. *Plin. Lib. VIII cap. 45.*

ὁ μὲν) Taurus ille ferociſſimus.

Πρείων) Vocabulum nihil hinc exſtirpandum putavimus; cum præſertim immutatione tam levi commodiſſima emergeret ſententia. Nam πλείων ſæpe Græcis eſt *ſuperior*, *maior*, *præſtantior.*

Ἀπαλοῖο) Quia bruta *pinguia* ſunt *mollia*; alteram ſignificationem huius vocabuli pro altera ſubſtitui, mirum non eſt.

Παιονίδα) Hoc ipſum nomen, quia non ſolum de tauro durius fore videbatur, ſed etiam ſententiæ ipſi officiebat, paulum immutandum exiſtimavi. Nam tauro irruenti fortis pugnator Pæonius neceſſario fuit opponendus. Quod enim adhuc παιονίδα ſcriptum fuit pro παιονίδας, factum eſt ex confinio nominis ἀπαλοῖο. Sic apud *Senecam de Benefic. Lib VI cap. 16* propter viciniam particulæ *me* etiam *amicus* & *imperator* in quartum caſum commutata ſunt, & ſententiam corruperunt. Legi enim debuerat ita: *Itaque medico - - nihil amplius debeo: quia* me *non tanquam* amicus *vidit, ſed tanquam* imperator.

Εκεῖνα) Hanc *Ienſii* ſcripturam etiam refinximus, ut concordaret cum ἐχθρῷ, ne ſententia verſuum vacillaret.

Ζωροποτῶν) Homines ruſticos & impolitos vinum merum bibiſſe, vel ex *Theophraſto* meo intelligitur, quem vide. Et cornua pro poculis fuiſſe

ipſe quondam, nemo ignorat. Vid. *Cæſar. B. G. Lib. VI cap. 28 ſ. 6, Plin. Lib. XI cap. 37.*

Μὴ) Vocabulum nihili exterminavimus, non dubitantes, quin verum reſtituerimus. Quanquam enim frigidum eſt, ſuſpicari, taurum, ſi ei victoria contigiſſet, gloriola abſtinere non potuiſſe; tam frigidæ tamen argutiæ Poetis non ſunt raræ.

Θανάτυ) Cæſum tertium requirit ſententia Epigrammatarii. Quare nos, ineptias legere lectorem noſtrum, noluimus. Sed tamen, ſi pro μὴ legeris ἵμη Ion. pro ἵμας, *cupiebat*, retinere poſſis θανάτυ, ut ſententia ſit, *merum bibens cupiebat gloriolam cædis iſtius hoſtis.*

VI.

EZECHIELIS SPANHEMII ANIMADVERSIONES AD EDVARDI HERBERTI DE CHERBVRY LIBRVM DE RELIGIONE GENTILIVM, NVNC PRIMVM EDITÆ.(*)

Cap. IV. pag. 38: *Apollinem Solem eſſe monſtrat Plato.*) *Apollonius Soli* & *Apollini* vota peragit, tanquam diverſis Numinibus, *Philoſtratus Lib. VIII cap. 5 p. 414.*

Cap.

(*) Breves, ſed non ideo ſpernendæ, Notæ ſunt. Debes has, Lector, ſingulari de literis præclare merendi ſtudio *Io. Ludovici Uhlii*, Clariſſimi Iurium in Academia Viadrina doctoris, qui eas, a Perilluſtri *Iordano*, nuper magno literarum damno ex hac vita evocato, benigne ſecum communicatas, lubenter liberaliterque meis, aut eorum potius, quos lectores habent hæc *Miſcellanea*, uſibus conceſſit. MENCK.

Cap. VI pag. 43: Luna habet nomen cœleſtis Dea) VENVS COELESTIS eſt in nummo *Iuliæ fœminæ* in *M. D. 123.*

Ibid. p. 44: Fuit & Aſtarte) Ad Aſtarten hanc, vel Lunam, ſpectare videtur nummus *Elagabali* apud *Ligorium* ΑΝΘΕΜΟΥ ΣΙΛΗ, in quo Dea, ſed turrita cum Luna corniculata poſt humeros, & fuſo Parcarum in dextra, tympano cum leone ante Imperatorem. *In Elagabalo.*

Ibid. Huius figura vel tota piſcis) Hinc in Nummis *Syriis* paſſim figura occurrit, ſuperne mulier, inferne piſcis, media in aquis.

Ibid. p. 45: Sicut inter Romanos Flora olim fuit) Ita templum πόρνας Ἀφροδίτης, & templum Λεαίνης & λαμίας Ἀφροδίτης eſt apud *Athenæum.*

Ibid. p. 48: Et divini honores illi decreti). Luna enim proprio nomine Romanis culta. Hinc in *Nummis* paſſim: LVNA LVCIFERA.

Cap. VII p. 56: Fuit & Venus victrix) In Nummis figuræ & inſcriptiones VENERIS VICTRICIS, GENITRICIS, AVGVSTAE, item VIRILIS et ARMATAE in Nummis *Cypriorum*, quæ Ἀφροδίτις dicta. Videatur *Heſychius, Servius.*

Ibid. p. 62: Inter aves vultur & pica) In *Gemmis Theſauri Palatini p. 14* picus columnæ inſiſtit, adſtantibus militibus, quod Autor ad Martis oraculum apud Aborigines refert, adducto in rei fidem *Dionyſio Halicarn.*

Ibid. Martialis etiam Iupiter appellatus fuit) Imo *Iuno* etiam dicta Martialis apud Romanos. In *Nummis Treboniani Galli & Voluſiani:* IVNO MARTIALIS.

Cap.

Cap. IX pag. 80 ſeq.: Fortuna maxima in veneratione habita fuit) *Fortunæ* varia nomina: *Nemeſis*, *Fatum*, *Ceres*, *Pan*, &c. *Dio Chryſoſtomus Orat. 64 p. 594.* De Fortuna cum Cornu copiæ vid. *Ammianus Marcellinus Lib. XXII p. 219*, *Dio Chryſoſt. Orat. 64* & *65*, *Pauſanias* in *Achaicis*, *Arnobius cap. 6*, item *Prudentius Lib. I contra Symmachum*, *Plutarchus de Feſtis Romanorum.* Cum gubernaculo etiam exhibetur. Hinc Fortuna gubernatrix *Terentio* in *Eunucho Act. V Sc. 8.* Τὰ περὶ αὐτὴν αἰνίγματα habet *Dio Chryſoſt. Orat. 63.*

Ibid. p. 81: Apud veteres Fortuna bona) Eius varia ſimulacra apud veteres. Nummi ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ Νικαιέων, M. D. 134, in *Annæ Fauſtinæ*, & ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΤΕΡΕΒΙΝΤΙΝΩΝ ΚΑΡΧΗΔΟΝΙΩΝ in *Alexandro Severo* apud *Triſtanum*. Sic BONI FATI in *Valentiniano* apud *Goltzium*. Sic ΕΦΕΣΙΩΝ ΤΥΧΗ, in *Gallieno* Elect. Pal. & ΤΥΧΗ ΛΑΙΚΗΝΕΩΝ in *Commodo Triſtan.* Hæc mulier lunata cum pomo.

Ibid. p. 82: Tum bonum Eventum) Sic in Nummo *Antonini Pii* figura cum arcu & inſcriptione: BONO EVENTVI.

Ibid. Tum felicitatem) In numiſmate *Iuliæ* &c. paſſim in nummis: FELICITAS AVGVSTI, mulier cum caduceo & haſta, aut: FELICITAS TEMPORVM, PVBLICA, SAECVLI, REIPVBLICAE, PERPETVA, IMPERII, PROVINCIARVM, per triremem, aut quatuor anni tempeſtates. Nummus autem *Diocletiani* penes Pr. *Leopoldum*: FATIS VICTRICIBVS.

Cap. X pag. 96: Templa Vulcani inter Romanos plurima fuere.) Templum *Vulcani* videas in Nummo *Valeriani iunioris* cum inſcriptione: DEO VOLKANO. Alias idem occurrit fulgura Iovi fabricans, in *maximo Card. Buono;* aut arma ſuper incude fabricans, & *Pallas* adſtans, in nummo *Thyatirenſium Commodi* apud *Triſtanum;* aut cum malleo, aut forcipe, in *Denariis.* Sic caput eius pileatum paſſim videas in nummis *Liparæ* inſulæ.

Ibid. p. 98: Hoc etiam veteres quidam nummi probant) In nummis templum *Veſtæ* rotundum, ſex columnarum. In medio figura *Veſtæ* ſtans cum patera & haſta, ut in *Denariis gentis Caſſiæ,* item in *Nerone;* at 4 columnarum cum tribus figuris, in *Tito, Lucillo, Domitiano.* Sic ſacrificium ante templum, cum inſcriptione VESTA MATER, in *Iulio Severo* apud *Card. Buono;* item M. VESTAE AVGVSTAE templum cum ſacro foco. In aliis nummis paſſim *Veſta;* ſed cum Palladio & haſta, aut cum *Cupidine,* item cum patera & face, cum inſcriptione: VESTA P. R. QVIRITIVM in *Vitellio* apud *Triſtanum.* Sic VESTA FELIX, figurà ſtans, in *Salonino,* apud *eundem.*

Ibid. p. 99: Inter quæ Palladium fuit) Hinc Palladium paſſim in manu *Veſtæ,* ut ſupra notatum.

Ibid. p. 100: Cui virgines præſtabant.) Virgo eiusmodi Veſtalis iuxta aram accenſam cum patera & Palladio, item alias cum face, occurrit in nummis *Lucillæ* M. D. 93, & *Fauſtinæ* M. *Goltzii,* & *Vi-*

Vitellio Triſtani; item in *Denariis* gentis *Claudiæ*, Veſtalis virgo cum ſimpulo.

Ibid. p. 112: An ullibi Leviathan) De hoc vide *Bochartum* in *Animalibus ſacris*.

Ibid. p. 118: Atergatis, ſive Derceto.) *Atergatis* hæc partim mulier, partim piſcis, in nummis *Syrorum* frequens.

Ibid. Nomina aquis dabantur) Sic Luna & Lunus: Ἀφροδίτη & Ἀφρόδιτος, Bacchus Ἀνδρόγυνος & Ἀρσενοθῆλυς: omnes Dii *Servio* ad *Æneidos VI*, item ad *Aen. II v. 632*, ſecundum eos, qui dicunt, utriusque ſexus participationem habere Numina.

Ibid. p. 120: Servius eas aves) Atque tales occurrunt in priſcis Nummis *Sirenes*.

Ibid. p. 121: Titulo Iovis Clitumni) Sic Nilus Iupiter Ægyptius.

Ibid. p. 126: Dea Syria terram ſignificat) Hinc in Nummis Hierapolitanorum frequens effigies Deæ Syriæ, *Cybeles* habitu turritæ, nempe mulieris ſedentis inter duos leones cum tympano, ut vere, Syriam Deam eſſe *Rheam*, dixerit *Lucianus*.

Ibid. Corona enim turrita) Vide nummos eo habitu Deæ Syriæ.

Ibid. p. 127: Varia Rheæ fuerunt nomina) In Nummis Cybeles nomina occurrunt: MATRI MAGNAE, ſive MATRI DEVM SALVTARI.

Cap. XI p. 139: Herculem Marguſanum) Forte *Macuſanum*. Nummi: HERCVLI MACVSANO.

Ibid. p. 140: Cognomina Herculis) In eius Nummis ſunt: VICTORIS, DEFENSORIS, DEBEL-

BELLATORIS, [illegible]ANI, ARGIVI, LIBVCI, MACVSANI, DEVIONENSIS, COMMODIANI, GADITANI, HERCVLIS MVSARVM, & in Græcis nummis Thaſiorum: ΗΡΑΚΛΕΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. Illud *Pacifici*, & *Olivarii*, quod refert *Herbertus*, nullibi memini me vidiſſe.

Ibid. p. 241: [illegible]uem quendam) Vide Nummum *Antonini Pii*, cum hac hiſtoria anguis Epidaurii, & inſcriptione: AESCVLAPIVS.

Ibid. p. 143: Ante Quirinum) Aeneas hoc loco omitti non debuit inter Deos Indigetes, & quidem Iovis Indigetis nomine, iuxta quosdam. Vid. *Livius*, *Virgilius*, *Ovidius*, *Dionyſius Halicarnaſſ.* & alii.

Ibid. Quirinum vocari) In Nummis retentum ROMVLI nomen: ROMVLO CONDITORI, ROMVLO AVGVSTO, in Nummis *Hadriani* & *Antonini Pii*.

Ibid. p. 148: Sed fucus hic forſan lectoribus factus) At tales θεοποιίας non Chriſtiani ſolum, ſed & ſaniores gentiles, riſerunt, *Plutarchus* in Romulo, *Cicero* Philippica I, *Seneca* in Αποκολοκυντώσει, *Curtius Lib. V*, *Iulianus* in Cæſaribus, aliique. Vide mea *Excerpta*.

Ibid. p. 150: Quinam hi fuerint) Tales dicti *Communes Dii*. *Servius* ad *Virgilii Lib. VIII* communem vocat Deum.

Cap. XII p. 159: Ops Saturni) In Nummis Opis imago dextra ſceptrum, ſiniſtra velum, detrahens: OPI AVEI. In alia figura, ſed cum ſpicis: OPI DIVINAE.

Ibid. p. 163: Iovis Imperatoris) In Nummo

Se-

Severi fulmen, cum inſcrip[illegible]: IOVI IMPE-RATORI.

Ibid. pag. 164: Iovis fidii, ſeu Sponſoris,) In Nummis *Commodi* I. O. M. SPONS. SEC. AVG. id eſt, IOVI OPTIMO, MAXIMO SPONSORI SECVRITATIS AVGVSTAE.

Ibid. p. 165: Elagabalus) De origine & ſignificatione huius vocis vide *Notata* noſtra *ad Iuliani Caeſares.*

Ibid. p. 167: Iovis epitheta in nummis) GRAECA ſunt: ΔΙΟΣ ΑΓΟΡΑΙΟΥ, cum ara. ΑΚΡΑΙΟΣ cum Victoria & haſta, *Smyrnaeorum.* Circa templum hæc Acræi poſuit *Livius Lib. XXXVIII cap. 2:* ΘΕΟΣ ΑΜΜΩΝ capite cornuto. ΑΝΞΥΡΟΣ apud *Goltzium* ΖΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ, capite barbato, *Syracuſanorum.* ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ & ΚΑΤΕΒΑΤΟΥ: Iupiter, ſed cum haſta, Cyrraſtarum. ΖΕΥΣ ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ ΔΙΟΣ ΕΛΛΑΝΙΟΥ, capite imberbi, laureato, *Syracuſanorum.* ΖΕΥΣ ΒΟΥΛΑΙΟΣ. ΖΕΥΣ ΚΡΗΤΗΓΕΝΗΣ, ΔΙΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ, ΖΕΥΣ ΚΑΣΙΟΣ, cum templo. ΖΕΥΣ ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ, in *Auguſto, Seguinus.* ΖΕΥΣ ΦΙΛΙΟΣ, capite barbato. ROMANA ſunt: IO. AVEI ſig. cum Victoria, IO. CANTAB. i. e. IOVI CANTABRO. IOVI CRESCENTI, cum capra Amalthea, cui inſidet Iupiter. IVPITER CVSTOS, cum haſta & fulmine. IOVI DOMITORI ORBIS TERR. IOVI IMPERATORI cum fulmine; IOVI IVVENI TRIVMPHATORI; IOVI IVVENI, cum haſta & fulmine; IOVI FVLGVRATORI; IOVI PROPVGNATORI; ubi nudus cum fulmine & aquila; IOVI EX SVP. i. e. Iovi ex ſuperis; IOVI STATORI, ubi

nudus

nudus cum haſta & fulmine. IOVI SPONS. SEC. AVG. cum fulmine & ſceptro. IOVI TONANTI; ubi nudus, cum fulmine & aquila. IOVI VICTORI, cum Victoria & haſta. IOVI SOSPITATORI, Iupiter in templo. IOVI TVTATORI AVGG. IOVI VLTORI, Iupiter cum flagello. IOVI DEFENS. SALVTIS AVG. IOVI T. VICT. CONSER. DD. NN. AVG. & CASS. IOVI O. M. S. P. Q. R. Inſcriptio in *Meſſeniis*. IOVIS VEIOVIS cum ſagittis effigies in Nummis gentis *Caſſiæ, Egnatiæ, Fonteiæ, Liciniæ*. IOVIS ANXVRIS, in Denariis gentis *Vibiæ*. IOVIS TERMINALIS, cum aquila, in Denariis gentis *Cæciliæ, Terentiæ*. IOVIS AMMONIS, cornuto capite, in Denariis gentis *Antoniæ, Cornificiæ, Iuliæ, Lolliæ, Pinariæ*, & *Catanæorum* in Sicilia.

Ibid. p. 168: Statua eius) Scil. *Iunonis*. In Nummis mulier cum ſceptro & diademate ac adiacente pavone; velata etiam nonnunquam depingitur.

Ibid. pag. 170: Iunonis effigies & cognomina) In Nummis Græcis: ΗΡΑ ΑΡΓΕΙΑ, velata. ΗΡΑ ΓΑΜΗΛΙΗ, cum flammeo & lampade. ΗΡΑ ΕΦΕΣΙΑ, cum corvo. In Romanis: IVNO cum diademate & ſceptro. IVNO CONSERVATRIX. Mulier cum patera & haſta. IVNONI CONS. AVG. IVNONI LVCINAE, mulier cum puerulo & duabus figuris. IVNONI MARTIALI, figura ſedens, aut templum. MONETA SALVTARIS, mulier capite imberbi, & cum inſtrumentis monetalibus. IVNONI REGINAE, cum patera & haſta. IVNONI SOSPITAE, cum pelle caprina, haſta, ſcu-

tulo, calceolis repandis. I. S. M. R. id eſt, Iuno Soſpita, magna Regina.

Ibid. pag. 173: Apollinis & Solis cognomina & effigies) In Nummis Græcis: ΑΠΟΛΛΩΝ ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ, capite laureato, *Meſſancôn.* ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ, capite laureato, cum lyra, in *Lapith.*; APOLLO arcitenens, & Diana in bigis, *Selinuntiorum.* APOLLINIS Mileſii, nudi, capite radiato, cum circo, *Seguinus.* In Romanis: APOLLINI ACTIO, in *Antiſtia* citharoedi habitu, cum lyra. APOLINI AVGVSTO. APOLLINI CONSERVATORI AVEI. APOLLINI CONSERVATORI. APOLLINI MONET. APOLLINI PALATINO. APOLLINI PROPVG. nudus arcitenens. APOLLINI SALVTARI, figura nuda ſtans. SOLIS cognomina & figuræ in Nummis: SOLI ALAGABALO; SOLI INVICTO, figura radiata, cum flagello; SOLI INVICTO COMITI, figura ſtans, aut capite radiato; SOLI CONSERVATORI AVG. SOLI IVVANTI; ORIENS, caput radiatum, cum capillis ornatis; ORIENS AVGG. figura ſtans; SOLIS caput hedera coronatum, in Nummis *Rhodiorum.*

Ibid. Ex Iove & Latona nata) Latona in Nerinie apud *Triſtanum:* ΛΗΘΩ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Ibid. p. 174: Cervorum cornua). Hinc *Diana* paſſim cum adiacente cervo in Nummis.

Ibid. pag. 175: Diana cognomina & figuræ) In Nummis Græcis: ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΑ & ΕΦΕΣΙΩΝ: Diana πολύμαςος, & cum duobus verubus; ΒΟΡΕΙΤΑΝΗ, cum arcu & pharetra; ΛΕΥΚΟΦΡΥΗΝΗ, *Magnetum.* ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΠΕΡΓΑΙΗΣ, tem-

templum cum ara; ΠΕΡΣΙΚΗ, cum pharetra; ΣΩΤΕΙΡΑ, cum pharetra, ΑΡΤΕΜΙΣ ΚΛΑΡΙΑ, Diana Epheſina. In Romanis: DIANA, cum arcu & pharetra, & ad pedes canes, aut cervi. LVCIFERA. DIANAE REDVCI, in *Poſthumio*, *Goltzius*. DIANAE VICTRICI, *Goltzius*. DIANA PERG. CONSERVATRICIS AVG.

Ibid. p. 175: Mercurius etiam Cyllenius dictus) MERCVRIVS PACIFER in Nummis Romanis.

Ibid. Minervæ quinque fuere) Minerva frequens in nummis effigies cum Victoria, haſta, clypeo, noctua. *Palladis* nomen in iisdem nondum hactenus obſervavi.

Ibid. p. 176: Ubi noctua eius galeæ inſidet) Imo plures Nummi cum effigie *Palladis* & aliis ſymbolis, galeæ inſertis, ut petaſi, &c.

Ibid. pag. 177: Minervæ nomina & effigies) In nummis Græcis: ΑΘΗΝΗ ΧΑΛΚΙΟΙΚΟΣ, *Heracleaton*. In Romanis: MINERVA cum ſerpente, in Denariis gentis *Iuliæ*; cum haſta & bilance, in Denariis gentis *Vibiæ*. MINERVA AVG. cum clypeo & noctua. MINERVA FAVTRIX, figura ſtans, cum ramo, clypeo, haſta, PACIFICA, figura ſtans armata. RESTITVTA. SANCTA, ſtans. VICT. & VICTRIX.

Ibid. Mars) Barbatus, cum caſſide, haſta, & clypeo, paſſim in Nummis. Eius præterea cognomina & effigies in Nummis. Græcis: ΑΡΕΟΣ in Nummis *Merſeniorum*. In Romanis; MARTI CONSERVATORI; MARTI PACIFERO, figura cum ramo, laurea, ſcuto. MARTI PACAT. figura armata ſtans. MARTEM PROPVGNA-

Venere. *Calvus Lævinus*: Pollentemque Deum Venerem. In Romanis: VENVS utplurimum mulier ſtans, velum capiti detrahens, ſeu pomum tenens, item dextra manu Cupidinem prehendens, ſiniſtra haſtam. VENERI AVGVSTAE. VENVS COELESTIS. VENVS FELIX, ſive VENERI FELICI, mulier, dextra haſtam, ſiniſtra puerulum, vel dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam, tenens; item templum. VENERI GENITRICI, mulier tenens dextra velum, ſiniſtra pomum. VENERI VICTRICI. VENERIS PAPHIAE ſimulacrum pyramidalis inſtar, vide ſupra. VENERIS CYPRIAE BARBATAE, vide ſupra. VENERIS ARMATAE cum arcu & pharetra, *Cyreiôn Alexandrin.* VENVS ſub forma lapidis culta apud Arabes, *Triſtan. T. II*, 22. VENERIS caput galeatum in Nummo *Cyprio* M. D. 102. VENVS nuda arcitenens cum Cupidine & faſciis pendentibus, *Tyndaritarum.* VENVS cum Cupidine vecta, in *Iuliæ* 124. VENVS frequens cum columba in Nummis *Erycinorum*, cuius rei rationem alibi affero. VENVS ad *Anchiſen* veniens, in *Iuliæ* 124. VENVS VICTRIX, dextra Victoriolam tenens, in *Sevilliæ.* VENVS cum diademate & ſceptro paſſim.

Ibid. p. 184: Cupidinis formæ) In Nummis: CVPIDO arcitenens. CVPIDO hirco inſidens, in *Fonteiæ.* Supra delphinum vectus, in *Corneliæ*, *Lucretiæ.* In quadrigis, *Syracuſanorum*, M. D. 33. Cum Venere matre, *Tyndaritarum.* Cum clava & *Herculis* ſpoliis, in *ſtatuis antiquis.* Tigri inſidens.

Ibid. p. 185: Gratiæ nudæ ſunt) Nudæ, connexæ, tres Gratiæ; chorum velut ducentes, in Nummis *Apolloniatum* M. D. 7, item *Iuliæ Domneæ, Regis Chriſtianiſſimi.*

Ibid. p. 190: Bacchi cognomina & figuræ) BACCHVS imberbis, utplurimum comatus, hedera & pampino coronatus, cum botro, thyrſo, panthera, & trigride. In iisdem *Bacchi* nomen non occurrit, ſed *Liberi.* LIBERO PATRI, *Bacchus* nudus, cum thyrſo & panthera, in *Severo Triſtan.* LIBERO P. CONS. AVG. in *Gallieni Triſtan. T. II p.* 77. DIS AVSPICIBVS, *Hercules* & *Bacchus*, in *Severo.* Iidem iuncti ſine inſcriptione in *Severo* M. D. 125. DII PATRII, iidem *Bacchus* & *Hercules*, in *Severo* & *Geta.* ΔΙΟΝΥΣΟΣ ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ, in *Auguſto Triſtan.* ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ, *Maronitôn* & *Commodi.* ΔΙΟΝΥΣΟΝ ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ, *Goltzius.* BACCHVS ΚΤΙΣΤΗΣ, in quadrigis elephantorum, *Nicæorum.* BACCHI triumphus cum *Iſide* ſedentis, & a Centauris ducti, *Nicæorum.* Cum thyrſo, ſed averſus, in bigis tigridum, *Catanæorum.* BACCHVS inſidens tigridi, Tianôn, in *L. Vero.* Nudus, cantharum effundens, ſiniſtra cornu copiæ, *Aſſorum* I. Cum *Ariadne*, in *Fauſtinæ*, *Iuniæ*, & *Antonini Pii*, *Goltzius.* BACCHI ſacrificium, in *Medagl. Antonini Pii.* Barbati, *Catanaiôn, Naxiôn, Sicul. Theban.* M. D. 147. *Naxorum*, M. D. 30. *Olympiæ* M. D. 44, item *Theban.* 45, 127. BACCHVS & *Ariadne* in bigis pantherarum *Magneſiôn, Traiani.* Nudus cum Satyro, ΚΟΤΙΝΕΩΝ in *Caracalla, Triſtan.* Inter duos Satyros cum panthera; ΝΥΣΑΙΩΝ

in *Caracalla.* In bigis, cum ſatyris & tigridibus, *Hadriani*, *Medagl. Goltzii.* Cum thyrſo & panthera in *Severo*, *Triſtan.* LIBERI & LIBERAE, ut videtur, capita iuncta cum ſpicis, *Catanaeorum.* LIBERI caput velatum cum diademate, apud *Seguin.* Bacchantium & Satyrorum plures figuræ: in Nummo ΖΑΚΥΝΘΙΩΝ *Alex. Severi*, apud *Triſtanum*, Triumphus duorum Satyrorum rariſſimus, *Traiani*, *Farneſiæ.* Procul dubio *Bacchi.*

Ibid. Libera dicta Ceres) Liberæ caput cum ſpica & pampino frequens in Nummis *Siculorum*, maxime *Syracuſanorum*, apud quos ædes *Liberæ*, vel *Proſerpinæ*, celebris.

Ibid. p. 194: Cereris cognomina & figuræ) In Nummis *Ceres* paſſim corona ſpicea redimita, tædifera, & vecta in curru draconum, ut in Denariis gentis *Vibiæ.* CERES AVGVSTA, figura ſedens, in *Claudio*, *Galba.* CERES ANNONA AVIS, in *Nerone M. Goltzii* & *D.* CERES, mulier, ſuper caniſtrum ſedens, dextra ſpicas, ſiniſtra telam accenſam, gerens, *Fauſtinæ* M. D. 71. Cum papavere, ſpicis, & dracone, in *Memmia.* Gradiens cum duabus facibus, ſeu tædifera, in *Vibia Meſſaniorum Sicil.* 2; velata cum ſpicis, *Panormitanorum*, *Tyndaritanorum*, *Syracuſanorum*, *Leontinôn*, *Menaniôn*, Cum ſceptro & ſpica in *Pyrrho* 1. Cum face a tergo, *Syracuſanorum* 17. ΣΩΤΕΙΡΑ, cum facibus accenſis, *Apamaeôn.* CERERIS caput alias cum ſpicis obvium paſſim in Nummis *Syracuſanorum*, *Panormitanorum*, *Meſſaniorum*, *Ennæ*, *Entellæ*, *Hieronis*, aliiſque *Siculorum* Numiſmatibus.

Ibid.

Ibid. p. 195: Proſerpinæ figuræ & cognomina in Nummis) PROSERPINA ſpicis coronata, collo monilibus ornato, ΚΟΡΗ ΣΩΤΕΙΡΑ in *Cyzicorum* M. D. 73. Stans inter ſpicam & papaver, & veſtita peculiari cultu, cum calatho, *Sardianorum*, apud *Seguinum p.* 23. LIBERAE nomine cultam vide in BACCHO.

Ibid. Vulcani figuras in Nummis vide ſupra.

Ibid. p. 197: Neptuni cognomina & figuræ in Nummis) Vulgo nudus, barbatus, ſtans, cum tridente & delphino. NEPT. REDVCI, in *Veſpaſiano Triſtan.*; in *Hadriano Goltzius*. NEPTVNO CONSERVATORI AVG. idem. NEPTVNO TVTELARI, idem. NEPTVNI caput utplurimum cum tridente a tergo in *Lucretia*, *Naſidea*, *Pompeia*, *Rubria*, *Servilia*, *Statia*, *Valeria*, *Siculis*, *Panormitanorum*, *Solentinôn*, *Syracuſanorum*. NEPTVNVS dextra tridentem, ſiniſtra delphinum, tenens, in *Vipſania*; nudus cum tridente, & faſciis pendentibus, *Syracuſanorum*.

Ibid. p. 200: Genii figuras & nomina) In Nummis: GENIO AVGVSTI, figura ſtans ante aram, in *Nerone Goltzius*. GENIO CAESARIS, figura ſtans, in *Claudio Goltzius*. GENIVS EXERCITVS ILLYRICANI, figura ſtans, in *Traiano*, *Decio*. GENIVS ILLYRICI, figura ſtans, in *Traiano*, *Decio*. GENIVS POPVLI ROMANI, figura ſtans, in *Diocletiano*, *Maximiano*. GENIO SENATVS, in *Antonino Pio*, G. P. R. id eſt, Genius populi Romani, in *Cornelia* 85. G. T. A. Genius tutelaris Ægypti, aut Africæ, in *Cæcilia* 52, *Licinia* 152.

Ibid. Dii Penates) DII PENATES, in *Antia*.

Ibid. p. 201: Ap[illegible]inem & Neptunum) Macrobius Lib. III Saturn. cap. 4 diſputat, an Penates intelligantur *Apollo* & *Neptunus*, an in Samothracia Dii magni, an Dii patrii, *Virgilio* memorati, an *Iupiter, Iuno, Minerva.*

Ibid. p. 202: Hi ſinguli ſingulis familiis) LAR, aut LARES, in *Caſia* 54.

Ibid. p. 103: Lares Græcis H[illegible]) Hinc Lares & Genii Cæſarum culti etiam privata religione. Inſcriptiones veteres: LARIBVS AVGVT. item LARIBVS AVGVST. & GENIIS CAESARVM.

Ibid. Plutoni huic) PLVTO cum *Cerbero* & *Medea* in capite haſtam vibrans, in *Trallianorum Antonini Pii.*

Ibid. p. 206: Fanum Eumenidum) Furiæ tres, cum modicis in capite facibus, ſerpente, & flagello, ita, ut media facem utraque manu; dexterior dextra ſerpentem, ſiniſtra clavem; ſiniſterior dextra flagellum, ſiniſtra pugionem, teneret. ΑΝΤΙΟΧΕΝΩΝ. *Philipp. Iun.* apud *Seguinum.*

Ibid. Harpyæ) HARPYAE, in Denariis gentis *Valeriæ.*

Ibid. p. 208: Ter tantum a Romanis clauſum) Atque ſub *Nerone* etiam clauſum *Iani* templum conſtat ex eius Nummis, cum *Iani* templo clauſo, ac Inſcriptione: PACE TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT, aut cum ſola templi porta clauſa.

Ibid. p. 209: Iani figuras & nomina) In Nummis: IANVS bifrons, & in averſa parte navis, paſſim in Denariis gentium Roman. Cum modio in capite, in *Afraniæ* & *Sicil. Catanaiôn.* Cum flore, in

in *Appuleiæ Pinariæ*. Bifrons etiam ſæpe in Nummis Siculis *Panormitanorum*, *Naxiôn*, *Sicanorum*.

Ibid. p. 211 : *Flora) Floræ* Deæ caput videtur in Denariis gentis *Serviliæ* 260.

Ibid. p. 212 : *Hippona) Hipponæ* effigies cum modio in capite, dextra ervetum, ſiniſtra roſam, geſtans, in Nummo apud *Seguinum p.* 12, ubi vide loca *Apuleii* & *Martialis* de hac Dea.

Ibid. p. 214 : *Fortunæ effigies & nomina)* In Nummis Romanis *Fortuna* paſſim eſt mulier, dextra temonem, ſiniſtra cornu copiæ, tenens. FORTVNAE AVGVSTI, *Fortunæ* effigies. FORTVNAE MANENTI, figura cum equo & cornu copiæ, in *Commodo*. FORTVNAE MVLIEBRI, mulier ſedens, dextra globum virga tangens, ſiniſtra tenens Cornu copiæ, in *Fauſtinæ Iun. Triſtan.* FORTVNAE REDVCI, *Fortunæ* effigies, in *Veſpaſiano*, *Hadriano*, *Commodo*. FORTVNA OBSEQVENS, in *Antonino Pio*. FORTVNAE REDVCI, templum tectorio coopertum, in *Trai.* M. D. 42. FORTVNAE ANTIAT. in *Roſciæ*. FOR. RE. ibid. FORT. P. R. *Urſino* Fortitudo populi Romani; mihi Fortuna populi Rom. in *Liciniæ*. Apud Græcos & Aſiaticos *Fortunam* etiam cultam, conſtat vel ex ſequentibus Nummis: ΤΥΧΗ ΑΔΙΚΗΝΕΩΝ, mulier turrita, in *Commodo*. ΤΥΧΗ ΕΦΕΣΙΩΝ, in Gallica El. Palat. ΤΥΧΗ ΨΕΡΕΒΙΝΤΙΝΩΝ ΚΑΡΧΕΔΟΝΙΩΝ, in *Alex. Severo Triſtan.* FORTVNA inſiſtens rotæ, in Nummo ΣΑΓΑΛΑΟΣΣΣΕΩΝ, *Claudii*, *Goltzius* M. D. 100. ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, in *Ann. Fauſtinæ* M. D.

Cap. XIV p. 217 : *Plus porro utilitatis)* Eadem

cauſa cenſeri debet inducti tot Divorum cultus in Eccleſia Romana, utilitas nempe & emolumenta Sacerdotum.

Ibid. p. 240: Bonus piusque vir longe optimus videtur) Hæc omnia egregie in Divos Pontificios, eorum originem & cultum, quadrant.

Ibid. p. 253: Virtutis effigies & nomina) In Nummis *Virtus* dextra parazonium, ſiniſtra haſtam, tenet, aliquando virili, aliquando muliebri, habitu. VIRTVS capite galeato in Denariis gentis *Aquiliæ*, *Sulpiciæ*. VIRTVS cum Honore; HO. VIR. in *Fuſiæ*, *Mutiæ*; VIRTVTI AVG. figura ſedens ante tropæum, in *Antonino Pio*, *Commodo*. VIRTVS EQVITVM; *Hercules*; in *Poſthumiæ Triſtan.* VIRTVS ILLYRICI, eques ſuper navem, in *Maximiano*.

Ibid. p. 254: Pietatis effigies & cognomina. In Nummis PIETAS eſt per mulieres duas ſtolatas ſtantes expreſſa, quarum una florem dextra, ſiniſtra Cornu copiæ, tenet. Minor ante pedes dextram extendens, ſiniſtra laciniam veſtis tenet, in *Fauſtinæ fil.* 70. Ad *Pietatem* in liberos, rara *Pietatis* effigies, *Angelon.* 191. *Pietas* in Nummis pro cultu in Deos, & in parentes, ac in patriam, exprimendo exhibetur. In *Deos*: PIETAS, mulier eſt cum patera & vaſis ante aram, in *Lucullæ*. Alia figura ſtans iuxta aram in *Fauſtini ſen.* PIETAS AVG. per inſtrumenta ſacrificii, in *Commodo*; per templum, in *Fauſtin.* PIETAS AVGVSTAE, mulier ſtans iuxta aram, dextram extendens, ſiniſtra pyxidem tenens, in *Otaciliæ*. PIETAS, mulier cum ramo & haſta, in *Pompeiæ*, 217. In *Patriam*, aut

aut *Principem* : PIETAS AVGVST. in *Cæliæ omiſſ. 316.* PIETATI SENATVS, duæ figuræ, Senatus & Cæſaris, in *Gallieno*, *Antonino P.* & *Commodo*; *Principum inter ſe:* PIETAS MVTVA AVGG. duæ manus iunctæ, in *Pupieno*. In *Parentes:* PIETAS, *Æneas Anchiſen* ferens, in *Herenniæ*. Pii fratres Catanenſes, parentes geſtantes, in *Catanaiôn Panormitan.* In *liberos:* PIETATI, figura ſtans cum puerulis, in *Antonino Pio.* PIETAS ROMANA, mulier infantem ad ubera tenens, in *Theodoſio*. PIETATI AVGVSTAE, figura ſtans cum tribus pueris, in *Anton. Pio.* PIETAS AVG. mulier ambas manus ſupra duos puerulos extendens. PIETAS, mulier, cuius ante faciem ciconia, in *Cæciliæ*. In *fratrem:* PIETAS, capite velato, in *Antoniæ*, de *L. Antonio Fr. Antonius* Triumvir.

Ibid. p. 255: Concordiæ nomina & effigies) In Nummis CONCORDIA mulier eſt cum Victoria & cornu copiæ, in *Vibiæ*. Alias capite velato, in *Æmiliæ*, *Didiæ*, *Scriboniæ*, *Muſſidiæ*, *Viniciæ*. Alias mulier ſtolata, dextra florem, ſiniſtra Cornu copiæ cum globo, tenens, in *Fauſti fil.* CONCORDIA AVGG. tres manus iunctæ, in *Salonino*, *Valeriano*. CONCORDIA AETERNA, tres figuræ, in *Iuliæ Paulæ Triſtan.* CONCORDIA EQVIT. figura ſedens, in *Poſthumo*. CONCORDIA EXERCITVVM, figura mulieris, utraque manu ſigna militaria tenentis, in *Nerva* & *Hadriano*. Alias figura galeata, dextra ſceptrum, ſiniſtra vexillum, tenens, in *Vitellio*. Alias duæ manus iunctæ, cum ſigno militari, & roſtro navis, in *Nerva*. Alias ſine roſtro

navis,

navis, in *Nerva*. CONCORDIA FELIX, in *Plautilla*. CONCORDIA IMPERII, duæ figuræ, in medio puer, ſupra Victoria, in *Conſtant*. CONCORDIA MILITVM, mulier ſedens inter duo ſigna legionum, in *Didio Iuliano*. CONCORDIA PRAETORIANORVM, in *Antonio Goltzius*. CONCORDIA PROVINCIARVM, figura, dextra ramum, ſiniſtra cornu, tenens, in *Gallieno*. Concordia Civitatum inter ſe, Græcis OMONOIA, paſſim videtur in Græcorum & Aſiaticorum Nummis, alibi a me digeſtis.

Ibid. p. 256: Pacis figura in Nummis) PAX AVGVSTI, figura, tenens haſtam, fecialis, in *Veſpaſiano*, *Goltzius*. Alias figura ſtans, comburens ſpolia, in *Gallo Vitellio*. PAX AVG. in *Veſpaſiano Goltzius*, in *Antonino P. Triſtan*. PAX AVGVSTA, figura ſtans cum ramo olivæ in *Galba*. PAX AVG. PERP. in *Tiberio Triſtan*. M. D. 34, ubi ara, cum corona querna. PAX AETERNA, & PACI AETERNAE, in *Commodo*, *Hadriano*, *Gordiano*, *Philippo*, *Maxentio*. PAX EQVITVM, figura ſtans, in *Poſthumo*. PAX EVENTVVM, in *Veſpaſiano Savot*. AVG. IN PACE. figura ſedens, in *Salonino Triſtan*. PACATOR ORBIS, caput imberbe, radiatum, in *Severo*, *Poſthumo*, *Triſtan*. PAX PVBLICA, figura ſedens, in *Pupieno*, *Goltzius*. PAX ORBIS TERRARVM, figura ſtans, in *Othone aur. Leopold*. PAX ORB. TERR. AVG. in *Veſpaſiano Triſtan*. PACE TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT, templum *Iani*, aut porta, in *Nerone*; item figura ſedens Romæ, in *Nerone Medagl. Reg. Gall.* ARA PACIS, in *Nerone Goltz.*

Burm.

Burm. Triſtan. PAX FVNDATA CVM PERSIS, figura ſtans cum ramo olivæ, in *Philippo.*

Ibid. Pudicitiæ figura & nomina) In Nummis *Pudicitia* eſt mulier ſedens paſſim in Denariis Auguſtarum, *Fauſtinæ, Plotiæ, Iul. Otaciliæ. Her. Etruſcillæ.* PVDICITIA AVG. mulier ſedens ſtolata, dextram fronti admovens, ſiniſtra tenens ſceptrum, in *Herenn. Etruſcilla* M. D. 29.

Ibid. p. 258: Fidei figura & nomina) FIDES AVGVSTI, vel AVGVSTA, mulier dextra ſpicas, ſiniſtra caniſtrum fructuum, tenens, in *Plotina.* FIDES COH. mulier ſtans, dextra ſpicas, ſiniſtra labarum, tenens, in *Commodo.* FIDEI EXER. Imperator ſtans iuxta aram, ante eum quatuor milites armati cum ſignis militaribus, quorum primus dextram Imperatori porrigit, in *Vitellio, Commodo.* FIDES EXERCIT. in *Domit.* M. D. 40. Idem cum priori. FIDEI EQVITVM, in medio coronæ, in *Gallieno, Aurel.* & *Gallo.* FIDES EXERCITVVM, duæ mannus iunctæ, in *Veſpaſiano.* FIDEI LEG. figura ſtans, ſiniſtra haſtam, dextra inſtar pilei, tenens, in *Severo.* FIDES MILITVM, figuræ novæ inſtar allocutionis, tribus in ſuggeſto, ſex vero militibus infra ſtantibus, in *Severo.* Alias figuræ duæ, cum ſignis militaribus in *Macrino.* Alias figuræ tres, cum ara, in *Alexandro Severo.* FIDES MAXIMA, duæ figuræ cum globo ante aram, in *Probo.* FIDES PVBLICA in *Hadriano.* FIDES PRAETORIANORVM, in *Didio Iuliano.* FIDEI MILITVM in corona, in *Gallieno*, apud *Reg. Galliæ.* FIDES, in *Licinia.*

Ibid.

Ibid. Cartarius, neſcio ex quo autore,) *Cartarius* habet hoc ex *Servio*, qui diſerte id tradit.

Ibid. p. 259: Spei figura & nomina) In Nummis SPES eſt mulier, dextra florem inſtar lilii, ſiniſtra laciniam veſtis, tollens. SPES AVGVSTA, ut dictum, paſſim in *Claudio*, &c. Alias Imperator ante tres figuras in *Claudio*, *Med. Reg. Chriſtianiſſ.* BONAE. SPEI, in *Peſcennio Nigro Triſtan.* SPES FELICITATIS ORBIS, in *Philippo.* SPEI PERPETVAE, figura *Spei* ſupra dicta, in *Caracalla.* SPES PVBLICA, *Spei* typus, in *Æmiliano* 141. SPES PVBLICA, duæ figuræ, in *Valeriano Triſtan.* SPES PVBLICA, modius cum ſpicis, in *Gordiano*, apud *Reg. Chriſtianiſſ.*

Ibid. p. 261: Libertatis figura & nomina) In Nummis *Libertas* eſt capite velato, in *Caſia*, *Cornelia*, *Iunia*, *Lollia*, *Vibia*, gentis Denariis. LIBERTAS AVGVSTA, figura, dextra pileum, ſiniſtra haſtam, tenens, in *Galba.* LIBERTAS P. R. RESTIT. in *Iunia.* LIBERTAS PVBLICA, figura cum haſta & pileo, in *Gallo*, *Veſpaſiano*, *Nerva.* LIBERTAS RESTITVTA, figura ſtans in *Vitellio*, *Hadriano.* Alias figura Imperatoris ſedens, cum duobus pueris. ADSERTORI LIBERTATIS PVBLICAE, in corona, in *Veſpaſiano.* ADSERT. LIBERT. PVBL. S. P. Q. R. in *eodem.* OB LIBERTATEM RECEPTAM, figura Senatus togata ante Imperatorem, in *Gallieno.* LIBERTATIS CIVIBVS, mulier ſtans cum teſſera & cornu copiæ, in *Pertinace*, apud *Seguinum* 154. ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ ſtans, in *Nerva*, apud *Reg. Galliæ*, in *Othone*, apud *Goltzium.*

Ibid.

Ibid. p. 262: Salutis effigies & nomina) In Nummis SALVS eſt mulier, eſcam ſerpenti porrigens, in *Aciliæ*; SAL. & SALVS, caput mulieris, in *Pompeia, Iuniæ*; SALVS AVGVSTI, figura, dextra pateram, ſiniſtra haſtam, tenens, in *Veſpaſiano*; SALVS AVGVSTA, idem; SALVS GENERIS HVMANI, duæ figuræ, in *Commodo*; SAL. GEN. HVMANI, incert. 306. Alias mulier, ſiniſtra haſtam, dextra puerum, tollens, in *argent. Caracallæ*; SALVS PROVINCIARVM, Rhenus iacens, in *Poſthumii* apud *Triſtan.*; OB CONSERVATIONEM SALVTIS, figura P. R. ſtans ante *Auguſtum.*

Ibid. p. 263: Felicitatis nomina & effigies) In Nummis FELICITAS eſt figura ſedens, in *Iuliæ Mammeæ, Leopold.* FELICITAS AVGVSTA, mulier, dextra capricornum, ſiniſtra caduceum alatum, tenens, in *Antonino Pio.* Alias dextra tenens caduceum, ſiniſtra haſtam, in *M. Aurelio*, M. D. 68. FELICITATI AVG. triremis cum velis, in *Hadriano*; AETERN. FELICITAS AVG. lupa, lactans gemellos, in *Maxentio*; FELICITATI CAESARIS, triremis, in *Commodo*; FELICITAS IMPERII, in *Diadumeno, Goltzius*; FELICITAS PROVINCIARVM, in *Poſthumo, Goltzius*; FELICITAS PERPETVA, quatuor figuræ, in *Iuliæ Mammeæ, Patinus*; FELICITAS REIPVBL. figura ſtans, in *Caro, Goltzius*; FELICITAS SECVLI, quatuor pueri, tres nudi, in *Trebon. Gallo*, M. D. Alias duæ figuræ cum lectiſternio, in *Fauſtin. Iun. Goltzius*; FELICITAS TEMPORVM, quatuor figuræ: 1 Imp. 2 Victoriæ, in *Alex. Severo, Commodo, M. Aurelio, Fauſtina, Gordiano*; FELIX DA-

CIA, in *Aureliano, Triſtan.* FELICIA DECENNALIA, duo angeli cum corona, in *Conſtante & Gallo*; FELICIA TEMPORA, quatuor pueri nudi, cum floribus, in *Caracalla*; FELICITAS PERPETVA AVGEAT REM DOMINORVM NOSTRORVM, in *Conſtantino M. Savot.* FELICITAS SECVLI NO. mulier ſtans, dextra ramum olivæ, ſiniſtra haſtam, tenens, in *Criſpo*, M. D. INVICTA ROMA FELIX SENATVS, *Seguin.*

VII.

FRID. OTTONIS MENCKENII
SYMBOLA CRITICA
AD LIVII LIB. XXVII CAP. 8, ET LIB. XLII CAP. 32.

Fortunæ hoc, non meis facultatibus, tribuo, quod mihi liceat integritatem talium verborum *Livii* tueri, in quibus maculam ineſſe, nec Criticorum ille princeps, *Io. Frid. Gronovius*, nec, qui nuper feliciſſime edidit *Livium, Arn. Drakenborchius*, dubitandi habere ſibi cauſam viſi ſunt. Apparet enim hoc exemplo, etiam his, qui vulgo in arte critica excellentiſſimi habentur, niſi Auctorum veterum pæne omnium ita lectione ſint imbuti, ut horum ſive univerſum dictionis genus, ſive formulas modosque loquendi ſingulos, felici memoria cuſtodiant, facillimum eſſe, aliquando in emendando labi, nec raro ipſis in hac arte tironibus

bus hoc evenire, ut legentibus Auctores veteres eiusmodi ſe formæ Romani ſermonis ac figuræ offerant, quibus, tanquam forti quodam telo, impugnari, ac prorſus enervari, ea poſſint, quæ magni nominis Criticis fuerant cum inſigni quodam eruditi orbis plauſu obſervata. Eſt locus *Livii Lib. XXVII cap. 8: Inter maiorum rerum curas comitia maximi curionis, cum in locum M. Aemilii ſacerdos crearetur, vetus excitaverunt certamen; patriciis negantibus, C. Mamilii Vituli, qui unus ex plebe petebat, habendam rationem eſſe, quia nemo ante eum, niſi ex Patribus, id ſacerdotium habuiſſet. Tribuni appellati* ad Senatum reiecerunt. *Senatus populi poteſtatem fecit.* Quo in loco illud, *ad Senatum reiecerunt*, non editiones tantum, quæcunque exſtant vulgo, ſed Codices etiam MSti ad unum omnes, exhibent; certe nullam lectionum varietatem ab Editorum ullo memini notatam. At hæret tamen in his verbis *Gronovius*, negans, formulæ, *ad Senatum reiicere*, pro *rem ad Senatum reiicere* poſitæ, uſum aliquem in Latio fuiſſe. Ita enim in Nota ille: *Forte ad Senatum rem reiecerunt.* Nec hic diſſentire a *Gronovio Drakenborchius* audet, vel ſic robore aliquo coniecturam *Gronovianam* muniens, quod, fieri potuiſſe, ait, ut *rem*, vel *rē*, a ſequentis vocis ſyllaba prima ſit interceptum. Erroris igitur originem ſcimus, modo ſatis nobis de errore ipſo ſit compertum. Eandem emendandi rationem probari videmus *Gronovio* in illis eiusdem *Livii Lib. XLII cap. 32: Cum Tribuni militum centuriones, ſed primum quemque, citarent, tres & viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati*

Tribunos plebis appellarunt. *Duo ex collegio*, *M. Fulvius Nobilior & M. Claudius Marcellus*, ad Conſules reiiciebant: *eorum cognitionem eſſe debere, quibus delectus*, *quibusque bellum mandatum eſſet.* Eſt enim huic etiam loco Nota *Gronovii* ſubiecta: *Forte ad Conſules rem reiiciebant*, *vel eos reiiciebant.* At minus diſſimulanter *Drakenborchius: Non dubito, quin locus corruptus ſit.* Nec ſibi opponi idem *Drakenborchius* eiusdem locum *Livii* patitur *Lib. XLII cap. 33: Si quid in ea re dubium eſſet, ad Senatum reiicerent;* quod facile hic vel *id* ex *quid*, vel *rem* ex *re*, ſubintelligi poſſit. Nihil igitur dubitans, corrupta eſſe verba: *ad Conſules reiiciebant*, de uno hoc laborat, utra *Gronovii* coniectura præferri debeat, ſitne *rem*, an *eos*, ante *reiicerent* ponendum, quorum utrumque magnam ipſi habere veri ſpeciem videtur. Et quidem, ſi *rem* addendum ſit, hoc ipſum eliſum eſſe ſuſpicatur a prima ſyllaba vocis ſequentis *reiecerunt;* quo modo etiam corruptum *Livii* locum alterum, *Lib. XXVII cap. 8*, ſupra dixerat. Similiter hanc voculam a ſyllaba finali vocis præcedentis interceptam, ipſe docuerat, in loco *Livii Lib. XXV cap. 22: Sed tamen*, *quia Conſules*, *ubi ſumma rerum eſſet, ad id locorum* proſpere rem gererent, *minus his cladibus commovebantur;* ubi plurimæ editiones olim *proſpere gererent*, non addito *rem*, habebant. Sin excidiſſe verbis *Livii* vocula *eos* putetur, hauſta hæc eſſe, ex mente *Drakenborchii*, potuit a præcedenti *cos.* vel *coſſ.* quod idem eſſe ac *Conſules*, omnes ſciunt. Acute *Drakenborchius;* nec, ſi hoc certum ſit, emendatione opus eſſe verbis *Livii*, ulla unquam

quam emendandi ratio maiori digna plauſu, quam hæc *Drakenborchii*, putari debeat. Magnam igitur ingenii laudem, ſed, quod doleo, hanc unam, illa quantumvis ornata & expolita coniectura habet. Id ſatis ſcio, & ipſe ex parte *Drakenborchius* docuit, veteres non tantum *rem*, ſed etiam *homines*, *reiicere ad aliquem*, dixiſſe. Et quidem, *rem reiici*, patet ex hiſce locis *Livii:* Lib. II cap. 22: *De fœdere, quod prope in perpetuum negatum fuerat*, rem *ad novos magiſtratus* reiicerent; eod. Lib. cap. 27: *Senatus a ſe* rem *ad populum* reiecit; & cap. 28: *Si quod imperio conſulari exequendum eſſet*, invidiam *eius Conſules ad Senatum* reiicerent; Lib. III cap. 13: Id *ad Senatum* reiicitur; & cap. 36: *Cum* --- quædam, *quæ ſui iudicii videri poſſent, ad populum* reieciſſent; Lib. V cap. 20: *Ipſum Dictatorem fugere invidiam ex eo criminaque. Eo delegaſſe ad Senatum. Senatum quoque debere* reiectam rem *ad ſe permittere plebi;* & cap. 22: *Qui ad Senatum, malignitatis auctores quærendo*, rem *arbitrii ſui* reieciſſet; & cap. 36: Cognitionem *de poſtulatis Gallorum ad populum* reiiciunt; Lib. XXI cap. 31: *Huius ſeditionis peropportuna* diſceptatio *cum ad Hannibalem* reiecta eſſet; Lib. XXVI cap. 15: *Itaque Appius Romam ad Senatum* arbitrium *eius rei totum* reiiciebat; & cap. 16: *Si ei videretur, integram* rem *ad Senatum* reiiceret; & cap. 34: Signa, *ſtatuas æneas, quæ capta de hoſtibus dicerentur, quæ eorum ſacra ac profana eſſent, ad Pontificum collegium* reiecerunt; Lib. XXX cap. 12: *Victus deinde precibus Maſiniſſæ orantis, ut arbitrium, utrius Regum duorum fortunæ acceſſio Sophoniſba eſſet, ad*

Tribunos plebis appellarunt. Duo ex collegio, M. Fulvius Nobilior & M. Claudius Marcellus, ad Conſules reiiciebant: *eorum cognitionem eſſe debere, quibus delectus, quibusque bellum mandatum eſſet.* Eſt enim huic etiam loco Nota *Gronovii* ſubiecta: *Forte ad Conſules rem reiiciebant, vel eos reiiciebant.* At minus diſſimulanter *Drakenborchius: Non dubito, quin locus corruptus ſit.* Nec ſibi opponi idem *Drakenborchius* eiusdem locum *Livii* patitur *Lib. XLII cap. 33: Si quid in ea re dubium eſſet, ad Senatum reiicerent;* quod facile hic vel *id* ex *quid*, vel *rem* ex *re*, ſubintelligi poſſit. Nihil igitur dubitans, corrupta eſſe verba: *ad Conſules reiiciebant*, de uno hoc laborat, utra *Gronovii* coniectura præferri debeat, ſitne *rem*, an *eos*, ante *reiicerent* ponendum, quorum utrumque magnam ipſi habere veri ſpeciem videtur. Et quidem, ſi *rem* addendum ſit, hoc ipſum eliſum eſſe ſuſpicatur a prima ſyllaba vocis ſequentis *reiecerunt;* quo modo etiam corruptum *Livii* locum alterum, *Lib. XXVII cap. 8*, ſupra dixerat. Similiter hanc voculam a ſyllaba finali vocis præcedentis interceptam, ipſe docuerat, in loco *Livii Lib. XXV cap. 22: Sed tamen, quia Conſules, ubi ſumma rerum eſſet, ad id locorum* proſpere rem gererent, *minus his cladibus commovebantur;* ubi plurimæ editiones olim *proſpere gererent*, non addito *rem*, habebant. Sin excidiſſe verbis *Livii* vocula *eos* putetur, hauſta hæc eſſe, ex mente *Drakenborchii*, potuit a præcedenti *cos.* vel *coſſ.* quod idem eſſe ac *Conſules*, omnes ſciunt. Acute *Drakenborchius;* nec, ſi hoc certum ſit, emendatione opus eſſe verbis *Livii*, ulla unquam

quam emendandi ratio maiori digna plauſu, quam hæc *Drakenborchii*, putari debeat. Magnam igitur ingenii laudem, ſed, quod doleo, hanc unam, illa quantumvis ornata & expolita coniectura habet. Id ſatis ſcio, & ipſe ex parte *Drakenborchius* docuit, veteres non tantum *rem*, ſed etiam *homines, reiicere ad aliquem*, dixiſſe. Et quidem, *rem reiici*, patet ex hiſce locis *Livii:* Lib. II cap. 22: *De fœdere, quod prope in perpetuum negatum fuerat*, rem *ad novos magiſtratus* reiicerent; eod. Lib. cap. 27: *Senatus a ſe* rem *ad populum* reiecit; & cap. 28: *Si quod imperio conſulari exequendum eſſet*, invidiam *eius Conſules ad Senatum* reiicerent; Lib. III cap. 13: Id *ad Senatum* reiicitur; & cap. 36: *Cum* --- quædam, *quæ ſui iudicii videri poſſent, ad populum* reieciſſent; Lib. V cap. 20: *Ipſum Dictatorem fugere invidiam ex eo criminaque. Eo delegaſſe ad Senatum. Senatum quoque debere* reiectam rem *ad ſe permittere plebi;* & cap. 22: *Qui ad Senatum, malignitatis auctores quærendo*, rem *arbitrii ſui* reieciſſet; & cap. 36: Cognitionem *de poſtulatis Gallorum ad populum* reiiciunt; Lib. XXI cap. 31: *Huius ſeditionis peropportuna* diſceptatio *cum ad Hannibalem* reiecta eſſet; Lib. XXVI cap. 15: *Itaque Appius Romam ad Senatum* arbitrium *eius rei totum* reiiciebat; & cap. 16: *Si ei videretur, integram* rem *ad Senatum* reiiceret; & cap. 34: Signa, *ſtatuas æneas, quæ capta de hoſtibus dicerentur, quæ eorum ſacra ac profana eſſent, ad Pontificum collegium* reiecerunt; Lib. XXX cap. 12: *Victus deinde precibus Maſiniſſæ orantis, ut arbitrium, utrius Regum duorum fortunæ acceſſio Sophoniſba eſſet, ad*

Scipionem reiiceret; Lib. XXXI cap. 2: Conſultatio *de Macedonico bello integra ad Conſules, qui tunc in prælio cum Boiis erant*, reiecta eſt; Lib. XXXVI cap. 35: *Senatum eius rei iudicem fore. Integram ſe* cauſam *eorum Romam* reiicere; Lib. XXXVIII cap. 39: *De Pamphylia diſceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos cum eſſet, quia pars eius citra, pars ultra, Taurum eſt, integra* res *ad Senatum* reiicitur; Lib. XXXIX cap. 7: *De ea re* conſultationem *integram Senatus ad novos magiſtratus* reiecit; Lib. XL cap. 17: Cauſam *integram Romam ad Senatum* reiecerunt; & cap. 29: *Scriba ad Tribunos plebis adit: ab Tribunis ad Senatum* res eſt reiecta; Lib. XLI cap 6: Hæc legatio, *totumque, quod ad Sardiniam pertinebat, ad novos magiſtratus* reiectum eſt; & cap. 16: Id *cum ad Senatum relatum eſſet, Senatusque ad Pontificum collegium* reieciſſet; denique Lib. XLII cap. 18: *Belli* adminiſtratio *ad novos Conſules* reiecta eſt. His *Tullii* nonnulla iungo: Lib. X ad Diverſ. Ep. 16: *Tu, quanquam conſilio non eges, vel abundas potius, tamen hoc animo eſſe debes, ut* nihil *huc* reiicias: *neve in rebus tam ſubitis, tamque anguſtis, a Senatu conſilium petendum putes;* in Or. Phil. XII cap. 12: Omnia *ad Senatum mea ſententia* reiiciam, *quæcunque poſtulabit Antonius;* & Lib. II de Leg. cap. 27: *Sed videamus Platonem, qui* iuſta funerum reiicit *ad interpretes religionum.* Sed *homines* etiam *reiici*, hæc *Valerii Maximi* doceant Lib. VIII cap. 12 §. 1: *Q. Scævola, - - - quotiescunque de iure prædiatorio conſulebatur, ad Furium & Caſcellium, quia huic ſcientiæ dediti erant*, conſultores reiiciebat; & mul-

ta

ta *Livii* loca: Lib. VII cap. 20: *Ab Senatu* reiecti *ad populum, Deos rogaverunt, quorum ſacra bello Gallico accepta rite procuraſſent;* Lib. VIII cap. 1: *Ferro ignique vaſtantem agros legati Samnitium, pacem orantes, adeunt. A quo* reiecti *ad Senatum -- pacem ſibi ab Romanis, belliqve ius adverſus Sidicinos petierunt;* Lib. IX cap. 20: *Eo anno ab frequentibus Samnitium populis de fœdere renovando legati cum Senatum humi ſtrati moviſſent,* reiecti *ad populum, haudquaquam tam efficaces habebant preces;* & cap. 43: *Ab Senatu ad Marcium* reiecti, *cui Senatusconſulto permiſſum de Hernicis erat;* Lib. XXIV cap. 11: *Hannibal cum præſentium eam conſultationem eſſe reſpondiſſet, & ad Hannonem* eos reieciſſet, ab *Hannone nihil certi ablatum;* Lib. XXXIII cap. 34: Aetolos, *de Pharſalo & Leucade poſtulantes, ut ex fœdere ſibi reſtituerentur, ad Senatum* reiecerunt; & cap. 49: *Quoniam legatos Pharſalum & Leucadem, & quasdam alias civitates, ex primo fœdere petentes, Senatus ad Quintium* reiecit; Lib. XXXVI cap. 3: *Nam, cum cogerentur in claſſem, Tribunos plebis appellarunt: ab iis ad Senatum* reiecti; & Lib. XXXIX cap. 3: *Id Cenomani conqueſti Romæ apud Senatum,* reiectique *ad Conſulem Æmilium, cui, ut cognoſceret ſtatueretque, Senatus permiſerat.* His nonnulla *Tullii* accedant: Lib. II in Ver. cap. 24: *Adeunt Bidini; petunt hæreditatem; procuratores poſtulant, ut* ſe *ad leges ſuas* reiiciat, *aut ex lege Rupilia dicam ſcribi iubeat;* & cap. 25: *Idem illud poſtulare non deſiſtebant, ut* ſe *ad leges ſuas* reiiceret; & cap. 37: *Idemque hoc habuerit Verres ipſe in edicto, ut de his omnibus cauſis* ſe *ad leges* reiiceret;

& in Or. pro L. Corn. Balbo cap. 20: *Si Q. Scævola ille augur, cum de iure prædiatorio conſuleretur, homo iuris peritiſſimus*, conſultores ſuos *nonnunquam ad Furium & Caſcellium, prædiatores*, reiiciebat. In tanta exemplorum copia mihine, aut cuiquam alii, in mentem veniat, de formulæ, *rem*, aut *homines*, *reiicere ad aliquem*, integritate dubitare, aut ita exiſtimare, non potuiſſe *Livium*, ſi voluiſſet, in adducto paulo ante loco, pro ſimplici *reiicerent*, dicere *rem*, aut *eos*, *reiicerent?* Minime quidem hoc mihi, aut aliis, niſi prorſus ſimus inepti, veniat in mentem. Neque vero ideo, quod ita potuit dicere, re vera etiam ita dixiſſe putandus eſt *Livius*, nec ad id, ut pro ſimplici *reiicerent* legatur *rem*, aut *eos*, *reiicerent*, ſatis valet inde deſumta ratio, quod non ita frequens Auctoribus antiquis verbi *reiicere* abſolute poſiti, ſicut formulæ *rem*, aut *homines*, *reiicere*, uſus ſit, aut quod dicendi hoc genus illis ſummi nominis Criticis, *Gronovio* & *Drakenborchio*, prorſus ſit incognitum. Hanc mihi veniam dari velim, ut libere fatear, quod diſſimulari non poteſt: incidiſſe hic Viros doctiſſimos in commune quoddam Criticorum vitium, quorum plurimi ea ſtatim damnare, aut miniata cerula notare, ſolent, quæ ſuis peregrina auribus intelligunt, nec lecta ſibi in Auctoribus antiquis recordantur. De eo ſane dubitare non licet, ſi æque diligenter *Ciceronem*, ac *Livium*, aut veteres ſcriptores alios, eruditi illi homines legiſſent, vix de emendandis, quæ ſupra attuli, *Livii* duobus locis cogitaturos unquam fuiſſe. Quid enim? Eamne dicendi rationem proſcribendam Latio, aut exſpectari

ctari a *Livio* non potuiſſe, putemus, cuius exempla in *Tullianis* libris invenire tria, aut his fortaſſe plura, licet? Minime quidem ita ego putem; nec ita ipſe fortaſſe *Drakenborchius*, iudex iſtarum rerum peritiſſimus, putare auſit. Itaque amice ille ſe doceri patiatur, in *Oratione Tullii de Haruſp. reſponſis cap.* 7 hæc legi: *Aut vobis cognitio dabitur, qui primi de hac domo ſententiam dixiſtis, & eam religione omni liberaſtis; aut Senatus ipſe iudicabit, qui, uno illo ſolo antiſtite ſacrorum diſſentiente, frequentiſſimus antea iudicavit; aut, id quod certe fiet*, ad Pontifices reiicietur, *quorum auctoritati, fidei, prudentiæ, maiores noſtri ſacra religionesque & privatas & publicas commendarunt*; & ſimilia *Lib. III in Verrem cap. 60: Si ex provincia Sicilia tota ſtatuas idoneum iudicem, aut recuperatorem, nullum poſſe reperiri, poſtulat a te, ut* Romam reiicias; denique eandem dictionis formam eſſe in his eiusdem *Libri* & *Capitis*: *Hic enimvero tu exclamas, hominem improbum, qui poſtulet ibi de tua exiſtimatione iudicium fieri, ubi te invidioſum eſſe intelligebat. Negas, te* Romam reiecturum: *negas, de conventu recuperatores daturum: cohortem tuam proponis*. Hæc legentes, nec ullam in libris MStis varietatem lectionum obſervantes, quid aliud dicamus, quam *reiicere*, pro *rem*, aut *homines*, *reiicere*, bene ac Latine dici, nec maculæ quidquam exprobrari poſſe tali formulæ, a qua ipſe eloquentiæ Romanæ parens, *Tullius*, adeo ſibi abſtinendum non putavit, ut eam in libris ſuis ter, & eodem in *Capite* bis, legendam nobis dederit? Nam, ut ſingula hæc loca *Tullii* corrupta

vitio librariorum ſuſpicemur, vix, cum nulla ita ſuſpicandi cauſa ſit, a nobis contendet *Drakenborchius.* Quid enim tandem futurum eſſet de omni Romæ veteris ſermone, ſi, ut libitum cuique eſſet, ita ei in Auctores antiquos vim ac poteſtatem exercendi, &, quæ ex omnium conſenſu Codicum ſana & incorrupta putari debent, loco ſuo movendi, venia daretur? Hoc igitur relinquitur, ut verborum *Livii* lectionem hanc, quam vulgatiſſimæ editiones & Codices ad unum omnes exhibent, vere *Livianam* putemus, &, in emendanda ea magnum illud Criticorum par ingenioſe magis, dicamus, quam feliciter, verſatum.

VIII.

GISBERTI CVPERI
AD
THEODORVM IANSSONIVM AB ALMELOVEEN
EPISTOLAE,
TERTIVM CONTINVATAE.

EPISTOLA XVIII.

Arg. *Faſti Conſulares erudite non emendantur tantum, ſed augentur etiam. Pondera nonnulla, obvia in Inſcriptionibus antiquis, explicantur. Nummus quidam antiquus probabiliter ad gentem Thoriam refertur.*

Reſponſum debeo pereruditæ epiſtolæ, quam a. d. XI Cal. Aprilis proxime elapſi ad me dediſti; nec

nec puto, neceſſe eſſe, ut procraſtinationem hanc excuſem, quia non ignotum tibi eſt, me, caſtra ſequentem, eiusmodi rebus intentum eſſe non potuiſſe. Quin & domum menſe Decembri redux, tot aliis negotiis fui diſtrictus, ut mihi equidem ἀδύνατον fuerit, citius aliquid doctis literis tuis reponere.

Multum igitur tibi debeo, quod probes et laudes nonnulla earum animadverſionum, quas ultima epiſtola fueram complexus, et quidem præcipue, quia eas pulchre illuſtras, meque varia doces, quæ antea tam clara & perſpecta mihi non erant. Nam, quæ ad *Æthicum* notas, recte ſeſe habent; ſed neſcio, qui fiat, ut in Faſtis tuis anno 734 tribuas Conſules *C. Sentium Saturninum* & *Q. Lucretium Veſpellonem;* & in epiſtola loco ultimi recenſeas *L. Cornelium Veſpellonem;* cum tamen non gens *Cornelia*, ſed *Lucretia*, habuerit *Veſpellonis* cognomen, & *Q. Lucretius Veſpello* eo anno ab aliis dicatur Conſul fuiſſe. Atque, ſi *Cinna* eodem anno fuit Conſul ſuffectus, illuſtre exemplum habemus, Conſulem ordinarium & alterum ſuffectum nominari ad deſignandum annum, cuius tamen moris rationem nondum certam comminiſci poſſum; ſtatuendumque forte eſt, unum tantum fuiſſe ſuffectum, id quod factum eſſe, conſtat aliunde. *Frontino* etiam recte reddis *Peticum*, & *Petreius* nullo modo tolerari poteſt, quia duarum gentium, vel familiarum, uti ſunt *Sulpitia* et *Petreia*, nomina uni non tribuuntur illo tempore; & probo diligentiam tuam in aliis Coſſ. eidem Auctori reſtituendis.

Pol-

Pollionem ex Faſtis emendandum, illique reddendum eſſe *Antiochianum* pro *Atticiano*, iudicavit olim etiam πολυμαθέστατος *Reineſius p. 568 Epiſtolar. ad Rupert.* egoque facile viro tam ſagaci, nec non tibi, qui hac in materia excellis, album calculum adiicio.

Pondera, quæ apud *Sponium* reperiuntur, me olim exercuerunt etiam, & de iis neſcio cum quo erudito viro egi per literas; in quas ubi incidero, videbo, quid de iis ponderibus tunc ſtatuerim.

Puto autem, te recte 1 pondus referre ad Conſulatum *M. Aurelii* et *L. Veri*; 2 ad *Auguſti* tempora, & tecum credo, *Surdinum* fuiſſe Præfectum urbis, ſed antequam Conſul foret ſuffectus A. U. C. 782 ſub *Tiberio*. Vix enim mihi dubium, quin hæc verba AVG. TEM. deſignent *tempora Auguſti* Cæſaris. Sed tamen accipe, quid mihi, hæc ſcribenti, in mentem veniat, quod et video me annotaſſe olim in Collectaneis meis de Templis Urbis Romæ. Noſti, pondera, quæ normæ aliorum erant, in Capitolio et templis fuiſſe ſervata; inde in pondere apud Spon. 7: EXAC. IN. CAPIT. & ita forte in ſecundo deſignatur *Auguſti templum*, non ſecus ac in alio, in quo *Caſti* nomen legitur; & ita in 4 AD TRAIAN. AVG. TEMP. foret *templum*, in quo ſcilicet πρωτότυπον ſervabatur; & ex lapide antiquo apud *Caeſar. Malvaſ. p. 455 Marm. Felſin.* haud obſcure patet, Romæ in templo Herculis *pondera auraria et argentaria* poſita fuiſſe; unde & conſtare videtur utique, quare in alio lapide HERCVLES PONDERVM memoretur.

Quin-

Quintum & ſextum pondus mihi ludos faciunt. Neque enim capio, quid ſibi velit CVPR. V. REX. vel REX CYPR. & rex ille mihi plane tenebricoſus eſt; niſi ſtatuamus, Cyprum A. Chr. 344 & 368 regem habuiſſe, eumque pondera ſua ad Romanorum ponderum normam & regulam fieri iuſſiſſe temporibus *Conſtautini* & *Iuliani*, quæ tamen coniectura mihi ipſi nequaquam placet, vel blanditur; & ſpero, te, aliumve eruditum, hunc nodum ſolututum. Neſcio, an huc faciant, quæ notat *Lib. II cap. 21 Cypri Meurſius* de *Mabia*, qui ſub *Conſtante* inſulam eam occupavit.

Septimum pondus attribuis A. D. 540. Quodſi dominum noſtrum Ieſum Chriſtum intelligis, certe properantia leviter lapſus es, cum *Q. Fabius Maximus Verrucoſus IIII* & *M. Claudius Marcellus* Conſules fuerint A. U. C. 539, vel 540, ante natum Chriſtum 214, vel 213, uti ipſe in Faſtis notas.

Certe ne divinando quidem aſſequi aliquis poſſet, qui *domini noſtri* in octavo pondere laudentur, niſi conſtet, quis qualisve fuerit *Albinus*, & quo tempore vixerit. Ex Faſtis tuis doceor, *Albinum* Præfectum urbis fuiſſe Romæ anno 389 & 390, & *Baſilium* anno 395 poſt natum Chriſtum; ſed inde nullum argumentum ſumere auſim. In 9 in τῷ CONST. latet vel *Conſtantinus*, vel *Conſtans*, vel *Conſtantius*. In 10 D. N. IVLIVS NEPOS eſt Imperator, qui a *Zenone* Imp. fuit ſuffectus *Anthemio*, *Nepotiani* filius, de quo conſule *Hofmannum* in *Lexico*, & *Mediob. p. 553*, & *Du Cangium* in *Famil. Byzantinis*. Atque, uti tibi Imperatorem trado, ita absque dubio

etiam

Lollius Paulinus Valerius Aſiaticus Saturninus, & *Caius Antius Iulius Quadratus*? Certe, cum de ultimo ne dubitandum quidem videatur, veriſimile mihi; hoc etiam de altero eſſe ſtatuendum, id quod te examinare, & ita mihi lumen de tuo lumine accendere, velle, etiam atque etiam rogo; uti etiam me docere, an non apud *Whelerum* ſcribi debeat ΙΟΥΛΛΙΟΣ, quomodo certe legitur in verſione epigrammatis illius Gallica.

Annum 948 ſignant in Faſtis tuis Conſules *C. Domitius Dexter II* & *L. Valerius Meſſalla Priſcus*. In marmore apud *Capacium p. 98 Hiſtor. Neapol.* ultimus vocatur L. VALERIVS MESSALA THARSIA PRISCVS; & apud *Gruterum* ſcribitur THRASIA, quod puto verum nomen eſſe.

In *Martyrolog. Adonis p. 38* memorantur, uti puto, Conſules *Veſpaſianus Caſar* & *Demoſthenes*, quorum hic procul dubio ſuffectus; ſed ex te quæro, an eundem alibi repereris, et an *Adoni* tuta fides haberi hac in re poſſit.

Sunt mihi & alia huius generis, ſed nolo otio & patientia tua abuti; & inde etiam evenit, ut tibi non annumerem eximiæ raritatis MSS. quos nonnullos Bruxellis, vel nummos Græcos, quos perelegantes, imo, ſi pateris, nonnullos ſingulares & ἀγνώςτως plane, nactus ex Italia ſum. Sed doce me, quæſo, quis ſit *Nicolaus Diſpontinius*, qui anno 1703 *Phædrum* edidit. Video, non modo eundem probe cum Muſis rationem deduxiſſe, & diligenter verſatum eſſe in Auctoribus priſcis, verum etiam iuveniles meas curas laudare ſubinde in Collecta-

lectaneis ſuis; & inde rem mihi pergratam facies, ſi apud virum elegantis ingenii teſtari velis, me plurimum eo nomine ipſi debere. Cum enim ſis Φιλόμυσος, & cognoſcas, quicquid eſt hominum eruditorum, ego vix dubito, quin etiam *Diſpontinius* tibi notus ſit. Vale plurimum. *Daventr. 20 Febr. 1707.*

Cum pagella vacet, conſtitui tecum agere de Conſulum pari, quod alibi indictum, invenio, & legitur, in Inſcriptione veteri, inventa in ruinis Caparæ in Hiſpania, &, quantum ſcio, inedita:

L. VOCONIO. C. F. PATRIA. FORTISSIME. DEFENSA EXERCITV. VITELLIANOR. ACIE. SVPERATO. CIVES COLONIAE. CAPARASTANAE. STATVAM. IN. FORO OB. PERPET. REI. BENE. ACTAE. MONVM. POSVER III. IDVS. MAIAS. P. HEBENIO. C. FORTVNATO. COS.

Hi certe Faſtos tuos non ſignant, & procul dubio ſunt *ſuffecti*, ſi unquam Conſules fuerunt. Nam equidem occurrunt mihi nonnulla, quæ faciunt, ut dubitem de hoc monumento. Neque enim alibi mihi lectum eſt, Vitellianorum exercitum in Hiſpania pugnaſſe, & acie eſſe ſuperatum; quin &, ſi omnia recte ſeſe habent, vide, an non *Voconius* alibi pugnaverit contra *Vitellium* pro *Veſpaſiano*, an non forte Capara fuerit oriundus; immo, ſi *Vitellius* defenſores & fautores ſuos etiam habuit in Hiſpania, & *Voconius* ibi ſtetit pro *Veſpaſiano*, an non *Hebenius* & *Fortunatus* fuerint coloniæ iſtius *Duumviri*, quos multi cenſent ſubinde *Conſules* appellari. Haſce nubes, quo vales ingenio, quæſo,

diſſipa; & amicos communes verbis meis aman-tiſſimis ſaluta.

EPISTOLA XIX.

Arg. *Pergit de Faſtis Conſularibus præclare mereri, hac occaſione & loca Auctorum varia, & varias Inſcriptiones, explicans.*

Cum ſingulari me perfundant voluptate virorum eruditorum literæ, iisque nullæ mihi acceptiores veniant; credo, te perſuaſum habere, me lætatum valde fuiſſe tuis illis, quas a. d. VII id. Oct. proximi ad me dediſti, maxime cum antiquum non obtinueris, & Muſæ tuæ diutius ſiluerint, quam ſolebant. Neque tamen neceſſe eſt, ut tam operoſe taciturnitatem tuam excuſes. Eo enim ſum, præfiſcine dixerim, ingenio, ut amicis, quorum pars magna es, nullo modo moleſtus ſim, eosque diligam, licet continuo epiſtolis meis non reſpondeant. Scio, omnibus ſua negotia, ſuas moleſtias, eſſe, &, ut aliquis in me foret iniquus, quia non continuo aliquid quæſtionibus ſuis repono, ita & idem de me ipſe ſtatuo, & ante oculos habeo: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; quod Chriſtianorum, uti noſti, dogma valde dilexit *Alex. Severus.*

Vitam *Caſauboni* ſuas habere difficultates, nullus dubito; ſed macte animo, & viam, quam ingreſſus es, ſequere, ut ita reſpublica literaria cognoſcere poſſit omnia, quæ ad tam eruditum virum pertinent.

Spero, tibi tantum fore temporis, ut ſolſtitio hyberno, vel hac hyeme, Daventriam excurrere poſſis; & mihi tantum fore temporis, ut non modo horas, ſed dies, tecum hilariter & erudite transmittere poſſim. Nunc faſces penes me ſunt, eosque initio menſis proximi deponam, & inde fit, ut nunc quaſi in curia habitem.

Lætor autem mirum in modum, tibi non diſplicere, quæ ultima epiſtola tecum cognoſcendi & emendandi cauſa communicaui; atque adeo te mihi anſam præbere, in alia eruditionis capita inquirendi; quanquam ipſe conſcius mihi ſim, curtam mihi domi eſſe ſupellectilem, nec explicaturum ſatis evidenter, quæ abſtruſa literis tuis complexus fuiſti.

Multum tibi debeo, quod mihi exempla ſuppeditaſti, nomina Conſulum ordinariorum & ſuffectorum iungi in Inſcriptionibus ad deſignandum annum, quo res, de quibus agitur, evenerunt; ſed tamen aliter longe ſe rem habere in Faſtis, nec in iis talia reperiri. Rationem huius moris reddere nequaquam poſſum; niſi tamen id factum ſit a privatis, ut annus & tempus anni deſignaretur, cum ſufficerentur Conſules fere in tres, immo & pauciores, menſes; vel incuriæ eorum ſit adſcribendum, qui nullam rationem habuerunt Conſulis, cuius in locum alius erat ſuffectus.

Audacem, urbis præfectum, mirifice illuſtras Inſcriptione, quam publicavit *Sirmondus*, & non abſque ratione *Furium Placidum*, *Vopiſco cap*, *16 Aureliani* memoratum, mutas in *Furium Placidianum*. Egit de hoc ipſo loco, Chronologiæ ve-

 teris

teris peritus inprimis, *Dodwellus*, *Prælect. Proœm. VI num. 9, de Hiſtor. Aug. ſcriptoribus*, putatque, *Vopiſcum* habere ante oculos *M. Macium Memmium Furium Balburium Caecilianum Placidum*, qui Conſul fuit A. D. 343, memoraturque in *Inſcript. 4 p. 432.* Quæ ſi vera ſunt, ſtatuendum eſt, *Vopiſcum* ſcripſiſſe *Aureliani* vitam ſub *Conſtantio, Conſtantini M.* filio. Certe ita loquitur *Auguſtæ Hiſtoriæ* conditor *cap. 44 Aurel.: Et eſt quidem iam Conſtantius Imperator eiusdem vir ſanguinis, cuius puto poſteros ad eam gloriam, quæ a Druidibus prænuntiata ſit, pervenire.* Præſtantiſſimus *Voſſius* agit de hoc loco *Lib. II cap. 7 de Hiſtor. Lat.* putatque, vel intelligi *Conſtantium Chlorum*, vel ſcribi debere *Conſtantinus*, vel deſignari *Conſtantium*, filium *Conſtantini Magni*, iudicatque, omnino verius eſſe, quod primo loco ſtatuerat; quia ex *Probi* vita conſtat, *Aurelianum* multo ante alios editum fuiſſe; *ſed*, ait, *non patiar ego ille, a quo dudum ſolus Aurelianus eſt expetitus.* Duæ priores ſententiæ plane *Cæcilianum Placidum* reiiciunt, quia is Conſul fuit diu poſt *Chlorum* & poſt *Conſtantinum.* Iunior certe videtur *Aureliani* vitam conſcripſiſſe *Vopiſcus*, quia dicit initio vitæ *Probi*, *ſe, ſi vita ſuppetet, omnes, qui ſuperſunt, usque ad Maximianum Diocletianumque dicturum.* Avus eius in vivis fuit, cum *Diocletianus*, occiſo *Apro*, concionem haberet, *cap. 13 & 15 Numer.* & *pater*, cum *Diocletianus* iam privatus eſſet, *cap. 43.* Iam, ſi *Conſtantius Chlorus* deſignatur, tempus, quo hiſtoria *Aureliani* a *Vopiſco* conſcripta eſt, facili opera poteſt definiri. *Diocletianus* ſeſe imperio abdicauit A.

D. 304.

D. 304. *Chlorus* diem obiit extremum A. 306. Illo igitur medio tempore hæc vita fuit conſcripta. Huc facit, quod ſignificanter admodum dicat *Vopiſcus*: *Videmus proxime Conſulatum Furii Placidi*; & ita ea voce ſignificat, non multo ante ludos illos tam magnifice fuiſſe celebratos, quam *Aureliani* vitam conſcriberet; cum tempus, quod eſt inter A. D. 273, quo *Placidianus* Conſul fuit, & privatam *Diocletiani* vitam, eſſet ad minimum duorum & triginta annorum, quod intervallum num τῷ *proxime* conveniat, tibi do conſiderandum. Et, quanquam *Dodwello* aſſentiri nequeam, tamen me hoc ſpatium temporis ſollicitum tenet, quod aliquo adhuc modo conabor illuſtrare. *Vopiſcus* igitur *cap. 1 Aurel.* ſcribit, *præfectum urbis Iunium Tiberianum* ab eo quæſiviſſe, quis vitam *Aureliani* in literas retuliſſet, & ita eum impulſum eſſe ad id faciendum. *Tiberianus* ille præfectus urbi fuit A. D. 291, & iterum, ut puto, anno 303, uti ex Anonymo, quem publicaſti, patet; &, ſi hæc ratiocinatio procedit, circa illud tempus hiſtoria hæc debuit conſcribi; ſed nullus tunc Conſul, cui nomen *Furius Placidus*, vel *Placidianus*, in Faſtis ſignatur, adeo ut ſciam gnaviter fluctus in ſimpulo forte movere, ſed eos non ſedare, vel rem expedire. Quid quæris? Fateor, me hærere, & nihilo minus do tibi conſiderandum, an tempus huius præfecti conveniat anno 273, propter adverbium *proxime*, quod illum videtur excludere; & an non quidam *Placidus* potuerit fuiſſe *Conſul ſuffectus*, & tam magnificos ludos edidiſſe anno 304, vel 305, quomodo certe optime convenit τῷ *proxime*. Nam *Diocletianus privatus* &

Conſtantius nos eo recta manu videntur ducere. Quid? quod illa ipſa de *Conſtantio* verba mihi haud leve præbent argumentum, non alium, quam *Chlorum*, poſſe deſignari. Auguſtum eum ſcribit eſſe *Vopiſcus eiusdem* (nempe *Claudii*) *virum ſanguinis, eiusque Conſtantii poſteros* putat *ad eam gloriam, quæ a Druidibus prædicta eſt*, pervenire. An tibi ullo modo veriſimile, *Vopiſcum* ita locuturum de *Conſtantino Magno*, vel eius filio, *Conſtantio?* Quin immo illud *pervenire* mihi magnum indicium eſt, eum ante oculos habere *Chlorum*, qui primus poſt *Claudium* ex ea familia factus fuit Imperator, & cuius in poſteris vaticinium illud, quocunque modo haberi debeat, fuit impletum. Hæc omnia, Vir egregie, rogo, ut examinare & elucidare velis.

Ego nec *Antonini* nomen *Getæ*, nec *Baſſiani* in Faſtis darem *Caracallæ*, quia omnia Conſulum nomina non ſemper iis inſcripta ſunt, uti notiſſimum eſt. Deinde ſcribit *Spartianus*, *pleroſque* in literas tradere, milites *Getam* appellaſſe *Antoninum*; unde ſequitur, alios ea de re dubitaſſe. Quicquid milites fecerint, acclamatio illa non potuit habita fuiſſe rata a patre *Severo*; certe in nummis nullis *Geta* vocatur *Antoninus*; & ita in Inſcript. 2 *p.* 267 apud *Gruter.* legitur: IMP. CAESARI. GETAE. SEVERO. AVG. DIVI. SEPTIMI. --- F. ET. M. AVRELII. ANTONINI. IMPERAT. FRATRI; qua de Inſcriptione quid dicendum ſit, vix ſcio, cum *Geta* in aliis monumentis, certe nummis, non dicatur *Severus*, & quia maiori fratri *Antonino* præponitur non modo, ſed illi quaſi ſoli honor habetur.

Præ-

Præterea huc pertinet, *Spartianum* in *Sever. cap. 10* narrare, *Baſſianum*, vel *Caracallam*, dictum eſſe *Aurelium Antoninum*, & *quosdam putare*, *Getam* etiam *Antoninum* dictum eſſe, &, *Antoninum* a ſenatu appellatum eſſe *Baſſianum*, tradit idem *cap. 14*, nulla facta mentione *Getæ*. Nam & *Victor cap. 20* *Antonini* nomen itidem ſcribit *Baſſiano* datum. *Baſſiani* certe nomen tulit *Severi* maior filius, *Caracalla*, ſed illud videtur omiſſum, poſtquam *Aurelii Antonini* aſſumſit; certe in nullis Inſcriptionibus, vel nummis, obvium eſt, & ſtatuo, male illud reddere *Reineſium* Inſcriptioni mutilæ *claſſis 1*, adeo ut tibi auctor non forem, iſtud Faſtis inſcribendi.

Agis hinc de *Poſthumio Conſule*, quem *noſtrum* vocat *Iul. Fir. Maternus* in libello *de err. profan. relig.* ſed, pace quod dictum ſit tua, nullus ibi Conſul memoratur, qui honorem illum geſſit tempore *Iulii Firmici*. Eſt *Poſthumius* ille, qui libera republica Bacchanalia diruit, & urbe eiecit, uti patet ex *Liv. XXXIX, 10*, & ſequentibus, qui *noſter* a *Firmico* vocatur, quia erat Romanus, opponiturque *Lycurgo*, qui *Liberum*, vel *Bacchum*, Thebis eiecit, Græcusque erat; &, quæ mox ſubiungit *Firmicus*, eo plane ducunt: *Nam, ſicut in libris annalibus invenimus, Bacchanaliorum ſcelera Ebutio quodam adoleſcente deferente detecta ſunt;* & ille *Spurius Poſtumius Albinus* Conſul fuit A. U. C. 421, cum *T. Veturio Calvino*.

Inſcriptio 7 *p. 476* ita ſe habet in prima editione *Gruteri:*

CVRANTIBVS. FL. SPE. V. P. ET. CONDO
NIO. TAVRO. IVN
POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS.

quæ verba non aliter poſſunt explicari, quam hoc modo: *Curantibus Flavio Sperato, viro perfectiſſimo, & Condonio Tauro Iuniore poſt Amanti & Albini Conſulatum;* & inde vides, niſi aliunde aliter conſtet, *Albino* illi prænomen *Poſthumii* non fuiſſe; immo *Poſthumius* non eſt prænomen, ſed nomen gentis, vel familiæ, & ita inde faciendum foret *Poſthumus;* quomodo & *Poſthumus Lampadius* apud eundem *Gruterum* occurrit; ſed, crede mihi, non aliter verba illa poſſunt explicari, quam a me eſt factum; nec dubito, quin, ſi virorum illorum Conſulatus et annus, quo illum geſſerunt, deſignaretur, ſcriptum foret, *Amantio & Albino*, CONS.

Hinc tranſis ad *Conſulares*, & quæris, quando *Q. Haterius* & *M. Servilius*, Conſulares, vel *e Conſularibus*, *Tacito* memorati *II Annal.33*, & *III Ann.22*, fuerint Conſules, ſive ordinarii, ſive ſuffecti. Ego certe, illud me ignorare, fateor, nec ullum tibi nunc a me auxilium eſt. Non auſim ſtatuere, iis data fuiſſe ornamenta conſularia, quæ *Tiberius Claudio* detulit, teſte *Suetonio cap.5*, quia neſcio, an hi ita ſint appellati, licet ſic commentetur *Salmaſius* ad *H. A.: Sic in veteribus Gloſſis* Conſularis καθολικὸς *exponitur. Quis vero ignorat,* καθολικὸν *Procuratorem Cæſaris appellari? Unde igitur illi Conſulares dicti? A conſularibus ornamentis, quibus inſigniti. Suetonius in Claudio: Ornamenta conſularia etiam procuratoribus ducenariis indulſit.* Nam, rem ipſam,

credo,

credo, uſitatam fuiſſe tempore *Tiberii*, ſed dubito valde, an ii, qui ornamenta acceperunt conſularia, tunc dicti ſint *Conſulares*, uti poſterioribus temporibus factum eſt; adeo ut tutiſſimum ſit, ſi quid video, ſtatuere, eos ambo fuiſſe ſuffectos, & perſuaſus omnino ſum, multos alios fuiſſe, quorum nomina nos latent, vel, ſi cognita ſunt, annus ignoratur.

Atque ita vides, me ſingulis doctiſſimæ & amantiſſimæ epiſtolæ tuæ reſpondiſſe, & ſpero, te in bonam accepturum partem, quod putaverim, a ſententia tua eſſe recedendum ſubinde. Lætabor autem mirum quantum, ſi certior factus ero, quod commodo tuo fiat, me aliquid hac opella contuliſſe ad illuſtrandos Faſtos, quos tam pulchre & tam ſingulari reip. literariæ cum fructu diſpoſuiſti.

Ut autem conatus tuos egregios iuvem, ecce tibi indicem Romanorum Pontificum vetuſtum, quem excerpendum curavi ex Actis Sanctorum *Henſchenii*, *Bollandi*, & *Papebrochii*, in quo multa Conſulum paria recenſentur, quæ ſi cum tuis conferre velis, videbis ſubinde, eadem diſcrepare. Rogo, uti exemplum hoc remittas; nullum enim mihi aliud eſt, &, qui mihi eſt a manu, iuvenis opera uti non poſſum.

Apud *Æthicum* initio fere Coſmographiæ hæc verba leguntur: *Ergo a Julio Cæſare & M. Antonio Coſſ. orbis terrarum metiri cœpit.* Nonnulla hic annotanda ſunt, quæ, rogo, ut pro ſolita tua diligentia velis examinare. *C. Julius Cæſar* & *M. Antonius*, Coſſ. fuerunt A. U. C. 706 & 709. Inter unum eorum Conſulatuum, & *Auguſti III* ac *Craſſi*, interponit

Aethicus

Aethicus annos XXI, menſes V, dies IX. Sed unde illud interſtitium deducas? Sive ab anno 706, ſive ab anno 709, tot anni non exibunt, cum tertium Conſulatum geſſerit *Auguſtus* anno 722, in quo quia non habuit collegam *Craſſum*, ſed *Meſſallam Corvinum*, crediderim, ſcribi apud *Aethicum* debere IV, quem cum *M. Licinio* ſecundum Faſtos tuos geſſit anno 723.

Præterea ab eodem Conſulatu *Julii Cæſaris* & *M. Antonii* uſque in Conſulatum *Auguſti X* ponuntur anni XXIX, menſes VIII, dies X, quot re vera non effluxerunt, uſque ad annum 729, quo decimum Conſulatum geſſit *Auguſtus*. Et tandem a *Julii Cæſaris* & *Antonii* Conſulatu, uſque ad Conſulatum *Saturni* & *Cinnæ*, ſunt anni XXXII, menſis I, dies X, puta uſque ad annum 737, vel 738, quibus tamen nulli tales Conſules memorantur, &, licet pro *Saturni* pocul dubio ſcribi debeat *Saturnini*, tamen ego me hinc non expedio, & tuam opem atque auxilium peto.

An unquam Imperatorem reperiſti, qui dictus fuit IVL. TEP. MAR. IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS? Is tamen in Indice Auguſtorum *Scaligeri* invenitur, & quidem in Inſcript. 10, MXIX:

IVL. TEP. MAR.
IMP. CAESAR
DIVI F
AVGVSTVS
EX SC
XXV
PED. CCXL.

Sed ſatis errorem viri illuſtris mirari non poſſum, cum

cum procul dubio deſignentur Aquæ *Julia*, *Tepula*, *Marcia*, & ab *Onuphrio* in Reg. VIII recenſetur *Caſtellum aquarum Marcia*, *Julia*, & *Tepula*. Et, ne quid diſſimulem, ita etiam hanc Inſcriptionem explicat amicus, dum viveret, meus ſingularis & doctiſſimus, *Raphael Fabrettus*, in libro *de Aquis & aquæductibus veteris Romæ*, quanquam nihil moneat de errore *Scaligeri*, & aveo ex te cognoſcere, ſi ille etiam non irrepſerit in novam, quæ Amſtelædami prodiit nuper, editionem, qua adhuc careo. Sed ohe iam ſatis eſt; hiſce fruere & vale. Dav. 15 Nov. 1707.

Cum pagina vacua ſit, doce me, quæſo, qui & an Conſules memorentur in Inſcript. *4 p. 130:*

KAL. AELIONIN. DI. IR.
ET. BAL. ET INO COS
CELEIAE
AVG.
P. AELIVS. P. F.
COS. PRO SE
ET SVIS
V. S. L. M.

Certe, ſi bis repetitum *Coſ.* deſignat *Conſules*, utique digna hæc eſt Inſcriptio, in quam inquiras. Ego enim, me plane Davum eſſe hac in re, fateor, &, ſi alii forte iudicent, me pervenire meditando poſſe ad Oedipi ſagacitatem, tamen, crede mihi, reſpublica intercedit, & ἀδύνατον mihi equidem eſt hoc tempore, animum intendere ad explicanda hæc myſteria.

P. S. Quæ de *Aethico* diſſerui, animadverti poſtea, tibi notata etiam eſſe in epiſtola, quam ad me dediſti a. d. XI Cal. Apr. proximi, meque ipſum

de

de loco eo egiſſe in reſponſione, quam à me tuliſti. Sed tamen delere illa nolui, quia tuum iam erit, inquirere in annos, qui ſunt inter Conſulatum *C. Julii Cæſaris* & *M. Antonii* A. U. C. 706 & 734, quo Conſules fuere *C. Sentius Saturninus* & *Q. Lucretius Veſpello*, ſuffectusque etiam *Cinna*. Neque enim anni intermedii tam hi, quam alii, *Aethico* memorati, Faſtis reſpondent.

Præterea *Placidianus*, Conſul A. D. N. 273 una cum *M. Claudio Tacito*, mihi vel ideo non ſatis placet, quia forte *Vopiſcus* tunc natus nondum fuit, certe admodum infans fuerit oportet illo ipſo tempore, &, ſi ad annum revocare velis *Diocletianum* ex Imperatore factum privatum, fateberis utique, tempora nequaquam convenire, & certe non ſatis bene diſpoſita eſſe.

Saluta, quæſo, verbis meis amantiſſimis celeberrimos clariſſimosque viros, ſingularia tecum Academiæ Geldricæ ornamenta, *Meyerum* & utrumque *Weſtenbergium*; & certiorem fac Theologum illum eruditum, me magna cum voluptate, immo & fructu legiſſe explicationem, quam bono reip. literariæ edidit de viſione *Ezechielis* præclaram.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM
SCIENTIARVM,
AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS IV PARS II.

LIPSIAE,
IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM.
MDCCXLVI.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

I.

PETRI ZORNII DISSERTATIO DE נשיקה,

HOC EST,

DE VITA ET MORTE BEATORVM PER OSCVLVM DEI,

EX CANTICI I, 2, VIII, 1. (*)

I.

Ex *nongentis & tribus mortis ſpeciebus*, quas numerant *Ebræi*, (1) mors leniſſima & placidiſſima eſt, quam נשיקה appellant, *quana Deus os ſuum quaſi ad os moribundi applicat*, *animamque ſic elicit*. *Ialkut Rubeni fol.* 86, 2. *Iuſti per-*

(*) Hanc Diſſertationem eo conſilio olim conſcripſimus, ut eſſet ſacrum exequiale & literarium filio noſtro unico, *Adriano Philippo*, ad vitam eiusdem poſthumam excitandam. Lucem primam adſpexit hoc φίλτατον κάρα Sedini Pomeranorum die XXIV Octobris anni O. R. cIↄIↄCCXXVIII. Neque vero illud nobis mancipio, ſed commodato,

perfecti non moriuntur ab *Angelo mortis*, ſed tantum per נשיקה, *oſculum*; nam *ipſa Schechina animas earum ſuſcipit* השכינה מקבל נפשם. Originem huius phraſeos deſumſerunt ex *Deuteronomii XXXIV*, 5, ubi *Moſes* dicitur mortuus eſſe על פי יהוה, *ad os Domini*, quod proprie denotat ſecundum *mandatum Domini*, ſed *Iudaei more ſuo verba iſta in ſenſu proprio accipiunt contra regulas bonae interpretationis*. Quicquid erit eius rei, de נשיקה conſulantur *Maimonides* in *More Nevochim Parte III Cap. LI*, ab *Hermanno Witſio* (**) laudatus, *Io. Fran-*

datum fuit: repetiit enim Deus A. O. R. cIↄ Iↄ CCXLII die XXIX Iulii, variolis Thorunii exſtinctum inter triſtiſſimorum parentum preces & lachrymas. *Gaude, Adriane Philippe, tua novus incola ſede!*

(I) *Gemarici Babyl. Beracoth fol.* 9, 1: Nongenta & tria genera mortis creata ſunt in mundo, ſicut dicitur ולמות תוצאות (*& exitus mortis Pſalmo XLVIII*, 20,). Vox תוצאות *arithmetice eo numeri aſſurgit.* Haec *Ioannes Lightfootus* in *Horis Hebraicis & Talmudicis in Matthaei X*, 4.

(**) In *Oeconomia Foederum Dei cum hominibus Libro III Capite XIV §. VII p.* 529: Quo anima propior coelo eſt *in piis moribundis*, eo etiam liquidioribus ſupercoeleſtis luminis radiis colluſtratur, emanantibus ab eo, qui, cum αὐτοφῶς ſit, lucem habitat inacceſſam. Cuius rei *in hiſtoriis vitae ac mortis piorum non infrequentia exempla*, & quotidiana aegrorum viſitatione plurima experimenta, ſunt. Hic eſt quidam coeli in animam deſcenſus, antequam anima in coelum ſuſcipiatur. Tale quid in animo habuiſſe videtur *Maimonides*, quando dicit, *Moſen* & *Aaronem* בנשיקה, *in oſculo*, vel *per oſculum*, *mortuos* eſſe. Senſus enim eius eſt,

Franciſcus Buddeus in *Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti p. 531*, *Ioannes Henricus Hottingerus*, (2) *Ioannes Outreinius*, (3) *Martinus Geierus*, (4) *Io. Andreas Schmidius*, (5) *Paulus Weidnerus*, (*) *Chriſtianus*

N 2

eſt, *quod præ nimio amore mortui ſint in voluptate & lætitia apprehenſi Dei.*

(2) In *Smegmate Orient. Lib. I Cap. VIII p.* 458.

(3) In *denen Gleichniß - Predigten p.* 85.

(4) *De Luctu Hebræorum Cap. V §. XI.*

(5) In *Diſſertatione theologico - exegetica de Morte Moſis §. XXII ſeq.*

(*) Hic ex Iudæo Chriſtianus in *Locis præcipuis fidei Chriſtianæ collectis p.* 458 ſequentia verba habet: *In Medras Sir Haſirim*, id eſt, in gloſſa morali Canticorum, ſuper illud primi Capituli: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, dicit *Udda* eadem hora, qua Iſrael ex ore Domini duo prima Legis præcepta audierunt, ſic fuerunt in cordibus eorum connexa, ut nullatenus poſſent eorum obliviſci; euntes ergo ad *Moyſen* dixerunt ei: Rabbi oportet, quod tu ſis medium inter Deum & nos, ut habetur *Exodi XX*: Loquere tu nobiscum & audiemus, non loquatur Deus, ne forte moriamur. Deinde docebat *Moyſes* eos *Legem*, &, quicquid diſcebant, tradebant oblivioni. Dixerunt ergo, quia, ſicut *Moyſes* carnalis eſt & tranſitorius, ita & eius doctrina dilabitur a nobis. Reverſi ſunt itaque ad *Moyſen*, & dixerunt illi: *Utinam Deus rurſus ſe oſtendere vellet, ut nos oſculo oris ſui oſcularetur, ita ut eius doctrina cordibus noſtris eſſet infixa.* Dixit eis *Moyſes*, hoc fieri nequit modo, fiet autem *in tempore Meſſiæ*, ſcriptum eſt enim: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam.* Patet ergo ex præmiſſis, quod *Meſſias novam legem atque doctrinam* facie ad faciem daturus erat, ultra eam, quæ per manum *Moyſi*

ſtianus Schœttgenius, (6) & *Ioannes Fridericus Michaelis.* (7) Ante alios, operæ pretium fuerit, nunc audire *Ioannem Lomeierum*: (8) *Divina oſcula* ſunt, quæ ab ipſo (ἀνθρωποπαθῶς hæc capimus) ſuis dilectis figuntur, vel *in hac vita*, vel *in morte*, non oris attactu, ſed mentis affectu, ut ait *Auguſtinus*. *In hac vita* Deus ſuos oſculatur, cum *per verbum* ſuum & *operationem Spiritus ſancti* certa ſpe veniæ *conſolatur* peccatorem. Hoc modo per allegoriam *Patres* interpretantur oſculum patris filio prodigo datum *Luc. XVI*, ut *Auguſtinus*. (9) Huc ſpectat eiusdem *Auguſtini* ſuaviſſima oratio. (10) Sic

Moyſi primitus data erat. Hactenus ille ex Iudæo Chriſtianus. Ceterum alia aliorum *veterum Ebræorum de nova, eaque meliori, Meſſiæ lege teſtimonia*, præter *Ioannem Braunium* in *Commentario in Epiſtolam ad Ebræos p.* 192, & *Hermannum Witſium* in *Oeconomia Fœderum Dei cum hominibus Lib. IV Cap. XIV §. X pag.* 833, diligenter collegimus in *Hiſtoria noſtra Bibliorum, ex Ebræorum diebus feſtis & ieiuniis illuſtrata, ſelectiſſimisque obſervationibus adornata, Cap. IV §. III p.* 57.

(6) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum pag.* 442.

(7) In Diſſertatione *ad Exodi XXXIV*, 1, 4, *Deuteron. X*, 1 *ſeq.* de Tabulis Fœderis poſterioribus *§. XXII p.* 376 *Tom. I Theſauri Novi Theologico-Philologici*, quem Viris Celeberrimis, *Theodoro Haſæo* & *Conrado Ikenio*, debemus.

(8) *Dierum genialium, ſive Diſſertationum philologicarum, Decade I Diſſert. X de Oſculis, p.* 336 *ſeq.*

(9) *Lib. II Quæſt. Evangel. Cap.* 33.

(10) *Lib. I Confeſſionum Cap. V §. IX*: Dic mihi per miſerationes tuas, Domine Deus meus, quid ſis mihi.

Sic Eccleſia vetus clamabat *Cantici I, 2: Oſculetur me oſculis oris ſui*, quod *Hieronymus* ad *Dardan.* capit de *præſentia Meſſiæ in carne*, quaſi diceret Eccleſia: Quamdiu per Moſem & Prophetas me conſolatur? Veniat ipſe tandem Meſſias, &, aſſumta carne, ipſe coram me conſoletur. Sic eundem locum interpretatus eſt & *Origenes* in Cantica, ut teſtis eſt *Hieronymus* in verſione Commentarii illius. *In morte* vero ſuos oſculatur Deus, cum eorum *animas*, ſibi certa animi fiducia propter Soſpitatoris meritum *commendatas, recipit, & in æterna gaudia admittit*, ut in hiſtoria πρωτομάρτυρος *Actor. VII* videre eſt. Huc pertinet *Iudæorum* parabola de illis, qui *mortui* ſunt בנשיקה, *in oſculo*. De *Moſe* quidem *Deuteron. XXXII, 5*, de *Aarone* autem *Numer. XXIII, 38*, dicitur, quod mortuus ſit על פי יהוה *ad os*, id eſt, *in oſculo Domini*: quaſi anima eorum ipſius Dei halitu ſuaviſſime rapta fuerit. De eorum ſorore *Mirjam* dicunt, eam mortuam quidem בנשיקה, ſed non על פי יהוה, *ad os Domini*, quaſi hæc locutio *ſequiori ſexui* non conveniat. In hos vero *vermem* non habuiſſe poteſtatem, in libro *Ialkut* legitur.

II. Poſt *Lomeierum*, operæ pretium fuerit

miſſi: *Dic animæ meæ: ſalus tua ſum.* Curram poſt vocem hanc, & apprehendam te. Noli a me abſcondere faciem tuam. Moriar, ne moriar, ut eam videam. Nimirum reſpicit *Auguſtinus* ad *Pſalmum XXXV, 7: Dic animæ meæ, ego ſalus tua ſum*, illa nempe ſalus, quam *Iacob* moribundus exſpectabat *Geneſ. XLIX, 8.* Confer *Salomonem Deylingium Part. II Obſervationum ſacrarum Obſervatione III §. XIX p. 33.*

repetere verba *Athanaſii Kircheri*, (11) paulo inferius adiectis aliorum quoque doctiſſimorum hominum obſervationibus: *Binſica* Hebraica vox eſt, & nihil aliud indicat, quam בנשיקה, *Binſchica, in oſculo*, de quo *Rabini*, & *Cabaliſtæ* melioris notæ, dum, *Moſen* oſculo Domini mortuum eſſe, dicunt, (12) uti inter alios R. *Salomon Iarchi* ex his verbis deducit: וימת משה עבר יהוה בנשיקה, & mortuus eſt Moſes, ſervus Domini, iubente Domino, ubi loco בנשיקה, *iubente Domino*, ſeu *ore Domini*, interpretatur בנשיקה *Binſchica*, id eſt, *in oſculo*, alludique vult ad eum ritum, quo vel parentes filios, vel hi illos, vel cognati amicique cognatos & amicos, *morientes oſculabantur*, quaſi tali Dominus fungens munere, exceperit morientis ſui ſervi vitam. *Cabaliſtæ* vero *per oſculum mortis* hoc loco intelligunt *perfectionem cognitionis & dilectionis divinæ & humanæ*, ad quam pervenerat *Moſes* mortis ſuæ tempore; ideoque dicitur *mortuus ex ore, oſculove Domini*, tanquam dignus, quem ut ſponſam oſcularetur ſponſus Dominus, qui *loqui* ſolebat *cum eodem ore ad os*, (13) &

(11) *Oedipi Ægyptiaci Tom. II Part. I Claſſ. III Cap. XI p.* 188.

(12) Verba *Devteron. XXXIV*, 5: על פי יהוה, *ad os Iehovæ*, Targum *Ionathanis Uzielis* vertit *ad oſculum verbi* על נשיקת מימרא דיי׳. Unde in Devarim Rabba narratur: & ipſa hora oſculatus eſt eum Deus, & accepit animam eius בנשיקת פה per deoſculationem oris.

(13) *Numer. XII*, 6, 7, 8, Deus, excellentiam *Moſis* exaggeraturus, ſic ait: Si quis inter vos Propheta Domini eſt, huic me vel per viſiones, vel ſomnia, revelabo. Verum non item *Moſes* ſervus meus, qui

& ipſe moreretur cum oſculo pacis, cumque Domini bona venia & gratia. *Nyſſenus* dicit, tunc *oſculum* a Deo *Moyſi datum*, quando cum eodem loquebatur ore ad os, facieque ad faciem. Quam vim divinam cum ferre nequiret, *ſuper illud os divinum oſculumque animam efflavit*, ſiquidem negavit Deus, fore, ut videat ipſum homo, & vivat. R. *Cabitol* dicit, eſſe *ſupremam animæ cum Deo coniunctionem*, iuxta illud: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* (14)

N 4 Quando

qui in tota domo mea eſt fidelis: פה אל פה *ore ad os loquor cum ipſo.* Ceterum *Paulo* I *ad Corinthios XIII*, 12, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον eſt פה אל פה, quod Græci alias στόμα πρὸς στόμα vertunt. Vide 2 Epiſtolam *Ioannis v.* 12, & tertiam eiusdem *v.* 14, ad *imitationem Ebræorum*, qui, cum *præſens præſenti* loquitur, eum פה אל פה loqui dicunt.

(14) *Chriſtianus Schœttgenius* in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad* I *Corinth. VI*, 17, verba hæc: ὁ δὲ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι, ita illuſtrat. *Sohar Exod. fol.* 51 *col.* 203. Eccleſia Iſraelitica dicit *Cantic. I*, 1: *Oſculetur me oſculo oris ſui, ut ſpiritus ſpiritui adhæreat.* Iterum *ad Epheſ. IV*, 4: ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, hæc obſervat: מדרש הנעלם *fol.* 50, 1, ad verba *Cantici Canticorum: Indigitatur his verbis unio corporis cum corpore.* Oſculetur me oſculo oris ſui. *Indigitatur unio ſpiritus cum ſpiritu: & omnia hæc ſunt in myſterio miſericordiæ ſupernæ, ut omnia ſint unum, in unitate una. Et myſterium unitatis hoc Canticum canticorum comprehendit.* Ceterum notatu digna ſunt verba *Petri Allixii* in dem Auſſpruch der alten Jüdiſchen Kirchen wider die Unitarios *pag.* 214: David führt *Pſ. II* Gott von dem Meſſias redend ein: *Du biſt mein Sohn, heut hab ich dich gezeuget*, und: *Küſſet den Sohn, daß er nicht zürne.* Denn alſo

muſs

Quando enim homines, abiectis omnibus terrenis rebus, *ſoli Deo ſtudere* contendunt, exutique omnibus mentis perturbationibus, *in Deum penitus per continuum virtutum & amoris divini* (15) *exercitium transformantur;* tunc appoſite *ad oſculum Domini admiſſi* dicuntur. Hæc *Kircherus*. Miramur autem, *Radulphum Cudworthum* in libello ſuo ad *Epheſ. V*, 22-33, quem inſcripſit: *Coniunctio Chriſti & Eccleſiæ in typo, ſive figura quadam, adumbrata*, *iſtiusmodi Cabbaliſtarum de* בשיקה *obſervationes*

muſs es nach *Abenezra* und *Medrash* über dieſen Pſalm, und nach der *Zohar*, in dem gleich jetzo angezogenen Orte, überſetzet werden. Dergleichen Ausdruck brauchet auch Salomo *Cantic. I*, 2: *Er küſſe mich mit dem Küſſen ſeines Mundes;* welches die alten Iüden (in *Shir Hashirim Rabba fol.* 5 *col.* 2 & 3, und in *Midrash Tehillim* über *Pſalm LXVIII*, 4,) auf *den Meſſias* ziehen.

(15) Verum quidem eſt, *amorem* ſtricte loquendo *a fide* diſtingui, ſed tamen utriusque virtutis actus ita ſibi invicem impliciti ſunt, ut fidem neque explicare, neque exercere, poſſimus ſine intercurrentibus quibusdam actibus amoris; qualis hic quoque eſt, de quo nunc agimus. Confer *Le Blanc* in *Theſibus de Fidei iuſtificantis natura* §. *XCV*, aliosque Theologos apud *Hermannum Witſium Exercitatione III in Symbolum Apoſtolicum* §. *XVII p.* 26. Rectiſſime *Auguſtinus*: *Quid eſt credere in Deum? Credendo amare.* Et profecto fieri non poteſt, quin anima fidelis, dum fidem exercet ſuam, veritates, uti in Chriſto ſunt, cognitas & agnitas, ſincere amet, *gaudens, hæc talia vera eſſe*, & in veritate iſta delicias: longe aliter diaboli & impii, qui, quæ vera eſſe ſciunt, vera eſſe nollent.

nes omiſiſſe, cum tamen idem, uti obſervat *Iacobus Baſnagius dans l'Hiſtoire des Iuifs Tom. III Cap. XXI §. IV ſeq. p. 565, varias Cabbaliſtarum de unione myſtica opiniones & recenſeat, & approbet.* Interim *Kirchero* ſubiungimus *Petrum Allixium*, qui *pag.* 217 in hanc ſententiam diſſerit: *Die Iuden* ziehen viel Stellen, die auf *die Weiſsheit* gehen, welche iſt das *λόγος*, *Shekinah*, und *der Sohn*, auf *den Meſſias*. Zum exempel: es iſt klar, daſs der XLV *Pſalm den Meſſias*, als *den Bräutigam der Kirchen*, betreffe. Nun geben ſie vor, *der Shekinah ſey der Bräutigam der Synagoge (R. Menach. in Pent. fol. 15 col. 1)* und ziehen den Ort, *Eſaias LXII,3*, welcher anders nichts, denn eben dieſelbe Idee des *XLV Pſalms* in ſich hælt, auf *den Shekinah*. Alſo ziehen ſie *das Hohelied Salomo* auf den *Shekinah*, oder *λόγος*, *(R. Menach. de Rekan. in Pent. fol. 58 col. 4, f. 76 c. 1, 3,)* welches offenbarlich *von dem Meſſias* zu verſtehen iſt. So geben ſie auch vor, *daſs der allda (Cant. I, 1,) gemeldete Kuſs myſtiſcher Weiſe den Shekinah bedeute, R. Menach. fol. 44 col. 1.* Idem *Allixius p.* 225 aliam ſubiungit obſervationem: Die Weiſſagungen, welche *von dem Iehovah, als dem Kœnig und Bräutigam ſeiner Kirchen*, reden, ſind von dem *Meſſias* iederzeit ausgeleget worden. Zum Exempel, wenn Gott zu ſeinem Volcke ſpricht *von dem Verlœbniſs Hoſeæ II, 19, 20*, ſo verſtehen die Iuden dieſes insgemein von dem *Meſſias*. So urtheilet R. *Men. in Gen. fol. 15 col. 1*, allwo er auf *Eſaia XLII, 3*, ſiehet. Und das ſtimmet mit dem überein, was im *Pſalm XLV*, 7, 9, 10, 11, ſtehet: da gleich-

fals *der Hargum vers. 2* es alles von dem *Meſſias* erklæret. So ſpricht auch R. *Meir. Arama: Sie ſtimmen alle überein, daſs dieſer Pſalm von dem Meſſias zu verſtehen ſey.* Tandem *Allixius p. 237* ea, quæ dixerat, magis magisque confirmat: Als die Iünger Iohannis zu ihrem Meiſter kamen, und es ihm klagten, daſs derienige, welchen er nur neulich getaufft hætte, nun ſelber tauffe, und das Volck an ſich ziehe, ſo ſagte er, um ihnen einen herrlichern Begriff, als ſie bisher gehabt hatten, von Chriſto beyzubringen, ihnen fein deutlich, *daſs er allein des Bräutigams Freund, Chriſtus aber der Bräutigam ſelbſt, wære, Ioh. III, 29.* Durch welches Gleichnis er ihnen bekannt machte, *daſs der Weiſſagung Hoſea II, 19, 20, gemæs Chriſtus Gott wære: ich will dich mir verloben in Ewigkeit.* Dieſes verſtunden die Iünger Iohannis ſehr wohl, ingleichen, daſs von dem Meſſias im *XL Pſalm, darinnen er ausdrücklich Gott genennet wird*, ſey geredet worden: und daſs *das Hohelied Salomonis* von ihm handele. So glauben auch die Iuden noch heutiges Tages, *daſs allda durch den Salomo von Gott geredet worden ſey.* Und dieſes hat die heilige Scribenten verbindlich gemacht, *dem Meſſias den Nahmen des Bräutigams, der Kirchen aber den Nahmen der Braut, beyzulegen*, wie man bey *S. Paulo 2 Corinth. XI, 2*, und in der *Offenbahrung Iohannis XXI, 2*, ſehen kann. Quamvis autem *verba illa Cantici* occaſionem Iudæis dederint, de משיח diſſerendi; probabile tamen eſt, Iudæis identidem in mentem veniſſe vocem משחה. Nimirum in lingua Hebræa fieri poteſt, ut idem verbum duas habeat

beat origines, unam ratione formæ, alteram ratione ſignificationis. Neque pauca verba reperies, quæ cum formam habeant a Defectivis Pe-Nun, quale eſt נשם, *naſam*, ſignificationem ſumunt a geminantibus ſecundam, quale eſt שמם, *ſamam*. Quæ cum pluribus probaſſet *Samuel Bochartus Part.* *II Hierozoici Lib. II Cap. XXIII pag. 290*, tandem ſubdit: נשמה, *neſama*, anima proprie rationalis, ratione formæ eſt a radice נשם, *naſam*, at ratione ſignificationis *Kimchius* in Lexico cum aliis Iudæis deduci vult a voce שמים *ſamajim*, quæ *cælos* ſonat, quia *igneus eſt illi vigor*, & *cæleſtis origo*. Interim *Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum Lib. I Cap. I §. II* de anima, homini a Deo data, ſic loquitur: καὶ πνεῦμα ἐνῆκεν αὐτῷ καὶ ψυχὴν: quibus in verbis, quin ψυχὴν *animam naturalem* & *vitalem*, πνεῦμα vero *animam rationabilem*, ſignificet, nullum dubium eſt Celeberrimo *Io. Laurentio Moshemio* in *Obſervationibus* ad *Radulphi Cudworthi Syſtema intellectuale huius univerſi pag. 733*. Ceterum de voce נשמה plura obſervant, hic non repetenda, *Salomo Deylingius Parte II Obſervationum ſacrarum Obſervatione III, ad Geneſ. II, 7, de* נשמת חיים, ſeu ſpiraculo vitarum, *Chriſtianus Schœttgenius* in *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum pag. 589*, & *Campegius Vitringa*, non ita multo poſt ſuo loco a nobis laudandus. Hactenus doctorum Virorum obſervatio, cui adhuc nonnulla addenda eſſe cenſemus. Nimirum, quia *Pſalmo XXV* Scriptura docet סוד יהוה, *familiare Iehovæ commercium*, non eſſe niſi timentibus eum, idcirco fidelium *anima* non ſolum iucunde *innititur*

tur dilecto ſuo, (16) ſed & cum eodem ita agit, ſicut eſt *Cant. VIII, 1: Utinam te poſſem quaſi fratrem ſine cuiusquam ſuſpicione deoſculari, ita ut nemo te propterea læderet.* Quid? quod *Paulus* diſertis verbis *1 ad Corinth. VI, 17*, ſcribit: ὁ δὲ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ, ἓν Πνεῦμά ἐστιν. Quid hic loci, τὸ ἓν πνεῦμα, *unus ſpiritus?* An non quod Kabbaliſtis נשמה יחידה, *mens una? Per quam*, obſervante *Vitringa Lib. III Obſervat. ſacrar. Cap. IV §. XI p. 561*, *intellexerunt illum ſtatum mentis, quo in contemplatione & communione Dei perpetuo hærens, ita Deo agglutinatur, ut quaſi* una *cum Dei mente ſit*. Idem *Paulus* ad *Philemonem v. 25*: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν. Quid hic πνεῦμα aliud, quam נשמה? Intelligunt enim Iudæi per נשמה illam *partem animæ, qua unitur Deo, qua, inquam, Deo proxima eſt.*

III. Quæ cum ita ſint, ſtupenda illa *Dei charitas*, qua ſe ipſum animæ ad ſalutem dat, quando fide apprehenditur, &, uti par eſt, credenti repræſentatur, *mirabiles flammas redamationis* accendit. Auſimque dicere, (17) neminem vere credere, *Deum factum eſſe ſuum Deum*, quin, dum id credit, in voragine iſta divini amoris ſtupens abſorbeatur;

(16) *Cantic. VIII, 5*: מתרפקת על דודה, *paſſis brachiis ſe in illum iniiciens*, vel *cubito dulciter in illum recumbens*, (מרפק enim Thalmudicis *axillam* ſignificat,) certa de ſui cum ipſo mutua communione, mutuoque amore, dum canit: *Ego dilecti mei ſum, & deſiderium eius eſt ad me*, *Cantic. VII*, 10.

(17) Verba repetimus *Hermanni Witſii Exerc. III in Symbolum Apoſtolicum §. XXV pag. 29.*

beatur, exoptetque ſibi longe capaciorem animam, ut tota charitáte, tam diligentis, quam dilecti, Dei repleatur. Non neſcimus, in ipſis aliquando fidelibus *languere amorem* illum, quo ſupra modum menſuramque omnem Deum ſuum diligere tenentur: ſed & tum fides illa, de Deo ut ſuo, non admodum præſens, neque vivida, aut excitata, erit. At, quando omnino talis eſt, dictat homini canticum amoris, non abſimile ei, quo *Auguſtinus* Deum veneratur. (18) Præterea, qui vere credit, *ſe iam Dei factum eſſe participem*, is *ſui ipſius*, uti *non poteſt eſſe*, ita *nec poteſt velle, ut ſit;* ſed, ſi quid ſemet ipſo præſtantius haberet, id Deo ſuo redderet: indignaturque, ſe meliorem non eſſe, digrioremque, qui Deo reddatur; tantum abeſt, ut quidquam ſibi reſervare velit, quod Dei miniſterio non impendat. Non poſſumus nobis temperare, quin *Bernardi* verba (19) hic adſcribamus, quibus in hac materia nihil elegantius, neque efficacius, fingi poteſt. Sic ergo ille: Si totum me debeo *pro me facto,* quid addam *pro refecto* hoc modo? Nec enim tam facile *refectus* ſum, quam *factus.* Nam, qui me ſemel, & tantum dicendo, *fecit*, *in reficiendo* profecto & dixit multa, & pertulit dura, neque tantum dura, ſed & indigna. In primo opere *me* mihi

(18) In *Soliloquiis Cap. XIX: O amor, qui ſemper ferves, & numquam tepeſcis, accende me. Accendar* (inquam) *totus a te, ut totus diligam te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Diligam te, Domine, quoniam tu prior dilexiſti me.*

(19) In Tractatu *de Diligendo Deo.*

mihi dedit, in ſecundo *ſe*. Et, ubi *ſe dedit*, *me* mihi *reddidit*. *Datus* ergo & *redditus*, *me* pro *me* debeo, & *bis* debeo. Quid Deo retribuam pro *ſe?* Nam, etiamſi *me* millies rependere poſſem, quid ſum ego ad *Deum?* Ita ratiocinari, ita ſe ipſum excitare, Chriſtiana in Deum fides docet.

II.

M. I. F. FRISCHII OBSERVATIO SACRA, FICTVM ISRAELITARVM FVRTVM DE LIBERATIONE ÆGYPTIORVM INTELLIGENDVM ESSE, DEMONSTRANS, AD LOCA EXOD. III, 22, ET XII, 36.

I.

Cum larga controverſiarum ſeges enata fuerit ex illo, quod Iſraelitæ, Ægyptum relinquentes, & munuſcula ſua emendicata ſecum auferentes, perpetrarunt, facinore; unumquemque operæ pretium facturum eſſe arbitratus ſemper fui, ſi quid poſſet, ac vellet, in medium proferre, quod, non ad ſecandum hunc nodum, ſed ad ſolvendum, pertineret. Admiranda in hac cauſa interpretum ſacrorum fuit induſtria atque diligentia, quam ad ſolvendum atque feliciſſime expediendum quæſtiones illas.

illas perplexas, quas cum ſententiis ſuis indiviſo nexu coniunctas ſenſerunt, ſubinde adhibuerunt. Sed admiranda quoque eodem iure illorum negligentia atque incuria videtur, quam circa vocabula, plane ab ipſis omiſſa, & minime in partes ſuas vocata, non ſine gravi reprehenſione commiſerunt, inprimis cum ſine ulla trepidatione, rerumque concurrentium hæſitatione, unusquisque, qui modo literas Ebraicas attigerit, veram huius rei geſtæ interpretationem ex ipſis vocabulis eruere potuiſſet. Nihil iam moramur aliorum ſententias, quas deinde exploſas dabimus, ſi veram huius teſtimonii interpretationem prius ſuppeditaverimus. Veritatem autem huius aſſerti confirmabimus, quod fieri omnino debet, tum ex vocabulorum vera atque genuina indole, tum ex rerum connexarum ſerie, forma, & fine. Huic illuſtrationis ergo teſtimonium *Ioſephi*, cum noſtra ſententia apprime conveniens, addam.

II. Quæ uniuscuiusque boni interpretis primæ ac præcipuæ partes ſunt, ut de vocabulis ſolicitus quam maxime ſit; eadem mihi etiam iam incumbit cura, ut de vocabulo באל, quod inprimis in præſenti oraculo in cenſum venit, & de propriis illius dicendi modis, ea in medium proferam, quæ ad quæſtionem noſtram pertinent. Id unicum modo adhuc monendum videtur ante, quam ad expediendum iſtam rem depropero, quod tantum e ſacris fontibus hauſerim, quæ ad vocabulum illud explicandum aliquid faciunt, ideo, quia limpidiſſimi & ſufficientes ad hanc cauſam dicendam putantur. His ſuffultus ſubſidiis, *pri-*

mam

mam atque *originariam* huius vocabuli ſignificationem eſſe reor *trahere*. Id confirmatur non ſolum ex aliquibus huius vocabuli adiunctionibus, ſed etiam ex iis loquendi modis, ubi *detrahere*, *extrahere*, *ſubtrahere*, & quæ iis ſint ſimilia, ſignificat. Ad primum quod attinet, hoc ſubinde vocabulum in tabulis ſacris ita adhibetur, ut *extractio* ſubmerſioni opponatur. Quod nos docet *Pſ. LXIX*, *15*, in quo verba ſecundum Ebræorum morem ita vertenda ſunt: Me *extrahere* (*) *facias* ex luto, tunc non ſubmerſurus ſum. Huc etiam referri debet *Pſ. CXLIV*, 7. Præter ea, quæ iam dicta ſunt, etiam hoc corroborat ſignificationem huius vocabuli, quia eam ſemper actionem denotat, aut paſſionem, quæ *trahendo* peragitur, ſive ſit aperta, ſive tacita, conſtruendi forma, quæ ex particula מ colligitur. Ex hoc fit, ut ſæpenumero uſurpetur, quando ex manibus hoſtium extrahendus quidam dicitur. Quod exempli loco patet ex *2 Reg. XX*, *6*, *Ieſ. XXXVIII*, *6*, *Ier. XXI*, *12*, *XXII*, *3*, *Pſ. XXXI*, *16*, *LI*, *16*, *LIX*, *2*, *Geneſ. XXXII*, *11*. Ex igni quod extrahendum eſt, eodem vocabulo exprimitur, *Amos IV*, *11*, *Zachar. III*, *2*. *Detrahere* indicat in *Gen. XXXI*, *16*, ubi nulla ſpoliatio commode locum habebit, quia de Deo, *Labani* facultates ſuas, feliciſſima illa ovium & caprarum genitura, detrahente, ſermo inſtituitur. Pari modo etiam

(†) Illam vero primam dicimus, quæ ceteras omnes connexas habet, & ſub ſe comprehendit, ſignificationes.

(*) Non *extrahi* ex genio Latinæ Linguæ. Active enim dicitur in fontibus, quod *elliptice* Romano ore eſt proferendum.

etiam *ſubtrahere* ſignificat *2 Sam.* XX, 6, ubi *Davides* cavet, ne *Seba*, oppida munita nactus, ſuis oculis ſe *ſubtrahat*, atque ex adſpectu ſuo decedat. Ex his omnibus intelligitur, quod *trahere* prima ſit huius vocabuli notio, quodque hæc aſſertio ex uſu atque compoſitis ſignificationibus abunde conſtet. Patet quoque exinde, qua ratione per *liberare* poſſit facillime verti. Quodſi enim iubeo & permitto, ut quispiam ex manibus hoſtium extrahatur, tunc libero eum, & eripio ex poteſtate adverſariorum, dummodo *eripere* nihil aliud ſignificet, quam celerrimo atque inopinato modo aliquem liberare. Et hæ omnes omnino ſunt poteſtates, huic vocabulo ſubiectæ, præterque eas nullæ in ſacris literis inveniuntur. Habes hic in tabula: I נצל ſignificat *trahere*, II *detrahere*, *extrahere*, *ſubtrahere*, *auferre*, III *liberare*.

III. Multa quidem ſunt, quæ huic ſententiæ contraria videri poſſint, quæque removenda ſunt ante, quam ad ulteriora pergamus. Obverti nimirum primo loco poſſit, quod *trahere* nunquam ſimplici modo hoc vocabulum ſignificet, quodque primaria eius notio recte nobis conſtare nequeat, quia prima huius vocabuli deperdita ſit coniugatio, ſeu flectendi forma. Sed ad primum monendum eſt, quod non neceſſario ſimplex adeſſe debeat notio, dummodo ex compoſitis ea ſatis abundeque confirmetur. Et deinde quid prohibet, quo minus illos loquendi, ſupra excitatos, modos ſimpliciter ita vertamus: *Fac, me trahas ex aqua; trahere ex igne;* et quæ illis ſint ſimilia. De ſecundo vero obiectionis noſtræ momento notandum eſt, quod

altera tantum ſpecies huius primæ coniugationis non inveniatur, ex illa forſitan cauſa, quia huius rei defectus per vocabulum משך abunde ſuppletur. Ceterum nihil intereſt, num ex prima, an ex ſecunda, vel alia, inflectendi forma, prima ſignificatio eruatur, cum in omnibus coniugationibus eadem ſignificatio eſſentialis permaneat, licet adiunctio quædam modi accedat.

IV. Nec hoc loco prætereundum eſt, cum ab opinione noſtra plane ſeiunctum videatur, ad res tamen propoſitas feliciter expediendas plurimum conferat, quod *ſpoliare* nulla plane huius vocabuli ſit poteſtas, atque conſueta auctoritas, e Codice ſacro repetenda. Evolvamus modo illa teſtimonia divina, quæ ſpeciem huius rei habent, illaque accurate perſpiciamus, quo vana huius quæſtionis difficultas citius evaneſcat. Primo loco in hoc campo nobis ſe offert *2 Paral. XX, 25*, ubi ſacer Auctor, de *Joſaphato*, et eius militibus, verba faciens, commemorat ſpolia, quæ ab hoſtibus deportaſſent, addens וינצלו להם לאין משא. Quæ verba duplicem ſignificatum admittunt. Vel enim להם ad illos, ſcilicet hoſtes, vel ad Iſraelitas ipſos, pertinet. Quemcunque vero rectum arbitreris ſenſum, cauſæ noſtræ nihil decedit; ſiquidem iam aliis vocabulis (*) actum ſpoliationis Auctor recenſuerat: deinde, quia hic non de ſpoliatione ipſa, ſed de ablatione ſpoliorum, dicit, monens, quod *tam multa ſibi abſtulerint, aut deportarint*, vel, ſi de hoſtibus intelligere malis, quod *tam multa iis detraxerint, ut*

vix

(*) Per שלל & בזז eod. *verſ.*

vix oneri ferendo pares fuiſſent. Quod ulterius diverſa lectio confirmat, ubi ויטצאו legitur. Nec particula ל, ſed את, adeſſe deberet, ſi *ſpoliare* ſignificaret. Multos Romanorum credo loquendi modum in hunc errorem induxiſſe, ſecundum quem *ſpoliare* de *rebus* & *perſonis* dicere (*) fas eſt, quod apud Ebræos in iſto vocabulo multo fit aliter. Deinde cave putes, *auferre* & *ſpoliare* eſſe unum idemque, cum multis inter ſe differant momentis.

Eodem tramite occurrit nobis rei ab Iſraelitis geſtæ narratio, ubi ad montem Horebum ornatu ſe exuerunt, quod ita a *Moſe Exod. XXXIII, 6,* effertur: ויתנצלו בני ישראל את עדים, quod commodiſſime verto, quia quarta eſt coniugatio: *& detraxerunt* (**) *ſibi filii Iſraelis ornamenta ſua.* Ubi nullo modo de ſpoliatione aliquid eſt cogitandum, cum expreſſis verbis *verſ. 5*, de depoſitione modo cultus corporis, non de ſpoliis, quæ nulla hic inveniuntur, Deus ipſe præceperit, inprimis cum ornatus ille detrahendus, non ſpoliandus, ſubinde dicatur. Ex quibus id in præſentia modo colligo, quod, cum nunquam *ſpoliare* hoc vocabulum ſignificet, nec in noſtris oraculis, quorum ſub iudice lis eſt, eandem auctoritatem habere queat.

V. His legitime confectis, omnibusque huius vocabuli ſignificationibus expoſitis, neceſſitas quæ-

(*) Active & Paſſive.

(**) Ita ſe habet *A. Montani* verſio. *Samar. verſ.* expoſuit per *liberaverunt ſe.* Arab. *depoſitionem continuarunt.* LXX, Chald. Syr. *depoſuerunt.* Quæ omnia noſtram ſententiam firmant. Vid. *Polus in Synopſ. Tom. I p.* 454.

dam impoſita nobis videtur, ut illius rationes connectendi, quæ uſitatæ leguntur in tabulis ſanctioribus, evolvamus, cum, niſi his expeditis, veritas nullo modo conſtare poſſit. Componitur cum particula ב, quando *liberare* denotat, & tunc demum inſtrumentum liberationis innuit. conf. *Pſ. XXXIII, 16.* Cum אל connexum, emphaticam habet ſignificationem, ut *Devt. XXII, 16*, ubi vertendum commodiſſime puto: *Servus, qui ſe liberavit,* (*) *&* *diſceſſit ad te, ut non amplius ſit apud dominum ſuum.* Germani dicunt: *Der ſich los gemacht, und zu dir kommen.* Quando cum ל invenimus, eam perſonam indicat, cui aliquid *detrahitur*, *auſertur*, & quæ ſint reliquæ cognatæ huius originis ſignificationes. Teſtatur hoc 2 *Paral. XX, 25*, 2 *Sam. XX, 6*, ubi ל eſt ſubintelligendum. Nonnunquam per מ eadem connectendi ratio in hoc vocabulo innuitur. Conf. *Geneſ. XXXI, 16.* Uſitatius tamen מ adhibetur, quando terminus, a quo liberatio procedit, oſtenditur. Cuius rei innumera ſunt exempla. Pauca modo excitabimus, *Pſ. XXXIV, 5, 18, LVI, 14, LXXXVI, 13, CXLII, 7, CXLIII, 9, CXLIV, 7, 11; Ier. XXI, 12, XXII, 3, Ezech. XIII, 21, XXXIV, 10.* Ultimus adhuc modus reſtat, qui & noſtra tangit *Moſaica* teſtimonia, ubi cum את coniungitur. Hic quæritur, qualem hoc vocabulum tum demum habeat ſignificationem, quando cum את coniungatur. Conſtantiſſimus hic pro nobis Ebræorum uſus verba facit, & plus quam centena teſtimonia ſacra afferri poſſunt, quæ confirmant, quod *liberare*, ſeu *eripere*,

(*) **Vel liberatus diſceſſit.**

pere ſignificet, & tam perſonam, quam rem, innuat, quæ liberatur. Nec de hac ſignificandi poteſtate quiſpiam dubitavit unquam, qui modo primas harum literarum tetigerit partes, adeoque maxime mirandum, quod ad rem noſtram illam non transtulerint, nec falcem in ſuam meſſem intulerint, interpretes. Confirmandæ huius rei ergo paucula modo proponam, cum ubivis obvia appareant huius veritatis exempla. *Devt. XX, 11. Ieſ. XLVII, 14, XXXVI, 14, 1 Sam. X, 18, 2 Paralip. XXXII, 13, 14*, omiſſo את, occurrit *2 Paral. XXII, 15, Ezech. XIV, 17, 20.* Peculiaris connectendi modus *Ion. IV, 6*, legitur, ubi ל, pro את poſitum, dativum commodi innuere videtur. Et hæc perpetua huius vocabuli, cum את compoſiti, eſt poteſtas, ut ſemper *liberare aliquem*, vel *aliquid*, ſignificet. Nec contrarium noſtræ eſt ſententiæ exemplum *Geneſ. XXXI, 9*, ubi in ſimili conſtruendi forma *detrahere*, ſeu *auferre*, indicat. Opes enim, atque facultates, quæ ibi a Deo *Labani* detractæ, aut ablatæ, commemorantur, *liberabantur*, & iuſtis ex cauſis vindicabantur, atque ab iniuſto earum aſſertore repetebantur. Quæ vero *auferuntur*, non æque *ſpoliantur*. Vid. *§. IV.* Ceterum nihil eſt, quod moneam, particulam את activis, quæ dicunt, tantum coniungi, non paſſivis, quæ notam Accuſativi reſpuunt, *liberandi* tamen notione nihilo minus retenta, *Geneſ. XXXII, 30, 2 Reg. XIX, 11.*

VI. De vocabulo מצרים nihil eſt notandum, niſi quod eodem ſigno & terra Aegyptiaca, & populus Aegyptum incolens, exprimatur, quod vel pri-

ma huius libri *Moſaici* ſecundi inſpectio unumquemque docet.

VII. Nunc ſenſum literarum perſcrutemur, &, remotis inflectendi modis, qui huc non referendi ſunt, in hanc quæſtionem inquiramus, quid ſit נצל את מצרים ſecundum eas, quas confectas dedimus, huius verbi auctoritates, & connectendi rationes. Nihil aliud hæc verba ſignificare *poſſunt*, quam *auferre*, ſeu *detrahere*, Aegyptum, quod ἄτοπον videtur, cum nunquam terram ſecum deportarint, vel auferre potuerint. Nec *Aegyptios* ſecum abduxerunt, quod rei geſtæ narrationi adverſatur, & genio linguæ contrarium putatur, ſecundum quem nunquam de perſonis deportatis hoc vocabulum uſurpatur. Quodſi urgeas, per מצרים res Aegyptiacas intelligi, tunc oſtendendum, quod hæc impropria loquendi ratio huic nomini inhæreat. Nihil enim hic fingendum eſt. Hoc vero nunquam inveni, ex quo huiusmodi quidpiam hic confirmari poſſit. Nec illæ facultates Aegyptiorum erant, quas ſecum auferebant, ſed Iſraelitarum, quibus ab Aegyptiis donatæ fuerant. Hæc itaque ſignificatio cum locum habere nequeat, licet *potuiſſet* aliqua ratione quoad verba; ad alteram, eandemque unicam in hoc genere, confugiendum eſt, vi cuius noſtra propoſitio *liberare Aegyptum*, ſeu *Aegyptios*, ſignificare *poſſit*. Semper enim נצל, niſi *auferre* denotet, cum את *liberare* indicat. Nec contra modum loquendi Ebræorum eſt, ſi dicas, liberare terram, provinciam, (*) vel, ſi hoc non placet, commodi-

(*) 2 *Reg*. *XIX*, 11, 12.

modius de populo Aegyptiaco intelligas, quia utrumque hoc nomen declarat, & nihil difficultatis cauſæ noſtræ addit.

VIII. Expedito, quod ſecundum literarum tenorem verba noſtra denotare *poſſint*; nunc etiam ex prioribus atque poſterioribus orationis partibus eſt demonſtrandum, quod res omnis vere ita ſeſe habeat. Facillime hoc confectum dabimus, ſi ea, quæ tabulæ ſacræ nos docent, in partes noſtras trahamus. Ante Jova dixerat, regem Aegypti non permiſſurum, ut Iſraelitæ abeant, hinc ſe Aegyptios tot inter eos editis portentis percuſſurum, ut tandem illos dimittat, *Exod. III, 19, 20, 21, IV = XII.* Accidit deinde ultima vice inſignis atque funeſtiſſima omnium in Aegypto primogenitorum clades, *Exod. XII, 29.* Ipſe *Pharao*, hac ſtrage excitatus, de media nocte ſurgit, &, maximo tumultu in Aegypto omni hac ſuper cæde orto, nullaque domo funeris experte, *Moſen* atque *Aharonem* evocat, *v. 30, 31.* Graviſſima deinde edit mandata, ut ipſi atque Iſraelitæ quam celerrime abeant, & terras ſuas relinquant, *v. 31.* Pecora ſua maiora & minora abducere eos, atque ſibi bene precari, iubet *v. 32.* Præterea Aegyptii quoque populum urgent, & de finibus ſuis illum emittere properant, cauſam interſerentes, ne *omnes omnino pereant*, *v. 33.* Aegyptiis itaque tanta calamitate preſſis, anxieque in his anguſtiis trepidantibus, Iſraelitæ quam celerrime, ſarcinis ſuis, munuſculisque, ab Aegyptiis petitis, collectis, iter parant, &, *mandante rege ac urgente populo*, ab ulterioribus calamitatum generibus *Aegyptios liberant*, *v. 35, 36, 37.* Et hac ratione illa ex-

O 4 equun-

equuntur, quæ rex, & cives, poſtulaverant. Collectis itaque rerum iſtarum momentis, nihil in omni orationis ſerie invenies, quod huic explicationi repugnet, cum de liberanda Aegypto facta poſtulatio cum expeditione liberatæ Aegypti appriine conveniat. Accedebat & huc, quod Aegyptii ad colendum modo Deum ſuum Iſraelitis exitum concederent, quo confecto, meliorem rerum ſuarum conditionem ſperabant, una cum feliciſſimo populi Iſraelitici reditu, col. *Exod. V*, *1*, *XII*, *31*, *32*, *XIV*, *5*. Intacta hæc relinquenda non fuerunt, ne ſubruendi ſententiam noſtram occaſio relinquatur.

IX. Obiici quidem poſſet, quod hæc ſententia cum proxime præcedentibus verbis non exacte conſpiret. Sed quid tum? Convenit tamen rectiſſime cum tota rerum geſtarum enarratione. *Moſes*, divinus auctor, deſcribit cauſas, quibus Aegyptii permovebantur ab Iſraelitis ſe liberare, addit effectum, quem tanquam finem Deus intendebat, ut liberatio vere ex conſilio divino ſuſciperetur, & conficeretur. Ceteræ res circumſtantes non ad caput rei, ſed ad quasdam modo partes, quæ modum hujus liberationis indicant, pertinent. Deinde quæri poſſet, undenam conſtaret, quod noſtri oraculi verba cum proxime antecedentibus neceſſario congruere deberent. Quid? ſi dicam, quod nequeant. Si enim de ablatione *Moſes* hæc verba intelligi voluiſſet, ita ſcripſiſſet, וינצלו למצרים, col. *2 Paral. XX*, *25*. Sed verba aliter ſe habent, *§. VII*. Nec hoc cuipiam ſcrupulum movebit, quod, ad cultum divinum proficiſcentes, maiora & minora pecora, quin imo vaſa aurea & argentea, ſecum deportare iubeantur,

cum

cum Ægyptii hæc omnia ad ſacra, Deo ſuo faciendà, requiri putarent.

X. Duo adhuc ſuperſunt teſtimonia, quæ ſententiam noſtram ornant, alterum ſacrum, alterum profanum. Illud nobis ſuppeditat *Pſ. CV, 38*, ubi expreſſe dicitur, quod *Ægyptii gaviſi fuerint emigratione Iſraelitarum*, ad cultum divinum rite peragendum inſtituta, *utpote qui eorum terrore perculſi erant*. Nonne hæc huius orationis facies eadem eſt, quæ *Moſaici* ſermonis, qui nos edocuit, quod Ægyptii perterriti ab Iſraelitis vehementer poſtularint, ut liberarentur a tantis calamitatibus, ne pereant, §. *VIII.* Hoc vero nobis memoriæ prodidit rerum Iudaicarum ſcriptor diligentiſſimus, *Ioſephus*, ſequentem in modum in *Lib. II. Cap. V A. I.* rem iſtam memoriæ prodens: Η φθορὰ τῶν πρωτοτόκων κατ᾽ ἐκείνην ἔπεισι τὴν νύκτα τοῖς αἰγυπτίοις. ὡς συνελθόντας πολλὰς, τῶν περὶ τὸ βασιλεῖον διατειμένων, τῷ Φαραώθῃ συμβουλεύειν, ἀπολύειν τὰς ἑβραίους· καὶ μώυσην καλέσας ἐκεῖνος ἀπιέναι προσέταξεν, ἐι τῆς χώρας ἐξέλθοιεν, παύσασθαι τὴν αἴγυπτον κακοπαθοῦσαν ὑπολαβών. En deſiderium Ægyptiorum, liberationem flagitantium. Addit deinde *Ioſephus*, quod Ægyptii donis Ebræos honorarint, alii, quo celerius diſcederent, alii propter vicinitatis conſuetudinem. Ita exitum fuiſſet, κλαιόντων καὶ μετανοούντων, ὅτι χρήσαιντο αὐτοῖς χαλεπῶς, τῶν αἰγυπτίων. Diſcedentibus nunc Iſraelitis liberabantur, cum ante duriſſimis, iisque divinitus immiſſis, calamitatibus affecti fuerant. Sic *Ioſephi* dicta plane cum noſtra conſentiunt interpretatione, quod unusquis-

que, vel leviſſime hanc rem perſpiciens, fatebitur.

XI. Annectere ſub finem placet contrariarum ſententiarum falſitatem, & argumentorum vanitatem, ut noſtræ expoſitioni aliquod exinde pondus accedat. Qui de furto hic aliquid cogitant, plane audiendi non ſunt, cum ſanctitati divinæ hoc adverſetur. Hinc omnes etiam inutiles quæſtiones ſimul hic ruunt, quæ otioſe & temere formari in hac cauſa ſubinde ſolent. Subtilius de hac re diſputant, qui *ſpolia Ægyptiaca* prædicant, & rerum ſuarum pondera addunt. Spolia vero ſunt, quae ex legibus belli, adeoque iuſto titulo, victo hoſti detrahuntur. Sed ubinam hic victus eſt hoſtis? Ubi victoria? Ubi detractio ſpoliorum? Num illum ſpolio, qui petenti mihi munuſcula & ſtipem præbet? Nonne expetierunt ſibi Iſraelitæ vaſa ab Ægyptiis? *Exod. III, 22, XII, 35.* Nonne divina concedente gratia factum erat, ut illorum precibus Ægyptii locum relinquerent? *XII, 36.* Nonne Deus, quod nefas dictu, auctor peccati fuiſſet, ſi gratiam ſuam ad Ægyptios fallendos præbuiſſet? Quid? quod verbum וישאלום de petitione modo confecta, atque impetrata, locum habere queat, quod ita vertas: *Et expedierunt illos;* vel ſignificantius Germanice: *Gott gab ihnen Gnade vor den Egyptern, daſs ſie ſich erbitten lieſsen.* Qui loquendi modus optime cum tertia Ebræorum coniugatione convenit. Nihil itaque de ſpoliis hic nos quidpiam cogitare iubet. Audiamus modo argumenta, quibus hanc ſpoliationem vulgo excuſant. Primo, iuſto donationis titulo Deum hæc munuſcula illis conceſſiſſe,

per-

perhibent. Num vero iniuſta compilatio eſt iuſtus donationis titulus? Sed Deus eſt dominus omnium, hinc unicuique pro arbitrio ſuo facultates largitur. Recte, ſed non niſi iuſto titulo hoc perficere cupit. Deinde, hanc ſpoliationem pro pretio laborum, & in compenſationem violentiæ, & ſubmerſionis puerorum, factam fuiſſe, dicunt. Concedimus, divinam clementiam ſapientiſſimo conſilio animos Ægyptiorum beneficos reddidiſſe, ut hac ratione Iſraelitæ præmia laborum perferrent. Sed hoc negamus, Deum Iſraelitas ideo ad furtivam ſpoliationem excitaſſe. Quaſi Deus neſciret iuſto modo retentam mercedem compenſare, & homines fortunare. (*) Pro ſubmerſione puerorum, & ceteris violentiæ generibus Ægyptii tot calamitatibus preſſi, & clade primogenitorum affecti, ſatis pœnarum luebant. Indignum quoque ſanctitate Dei fuiſſet, mandatum de compilandis Ægyptiis edere, &, quod contra eius iuſtitiam, tam leviori pœna tanta Ægyptiorum facinora expiare. *Exod. XI, 2.* Tum, Deum voluiſſe Ægyptiorum luxuriam reprimere hac ratione, contendunt. Sed quid hoc ad reprimendam luxuriam faciebat, quando his vilioribus privati fuiſſent vaſis? Nonne ſuperiores vexationes efficaciores ad finem iſtum conſequendum eſſent? (**) Porro, materiam ad conſtructionem tabernaculi Deum hoc modo illis præbere voluiſſe, aſſerunt. Ergone iniuſta ſpolia committere licet, ut ſacrificia Deo offerri queant? Prætendunt amplius,

(*) Nec bona *Pharaonis* auferebant, ſed civium, vicinorum, & conterraneorum.

(**) Quod contra ſapientiam divinam.

plius, Ægyptios rerum ſuarum abjeciſſe curam, quaſi vitam ſuam eo pretio redimentes. Sed hac ratione tacita fuiſſet donatio, non iniuſta compilatio. Quanquam hac elabendi via opus non eſt, cum hæc vaſa non amplius Ægyptiorum, ſed Iſraelitarum, eſſent. Denique multas de mutuo, ſine peccato retinendo, ſubtiliores movent quæſtiones, quæ quidem omnes ad donationem, ſive expreſſam, ſive tacitam, tranſeunt, vel ad peccatum redeunt. Nec de commodato verba Ebræa aliquid monent; quare illa omnia ſuperflua putantur. (***)

III.

IO. GEORGII WALCHII, D. COMMENTATIO DE LVTHERO IENENSI.

I.

Iena gloriatur merito de *Luthero*, ac iure illum ſibi vindicat, ſive ad facta, ſive ad doctrinam, ſive ad ſcripta illius, quæ ſunt Ienenſia, animum quis advertere velit. Quod primum ad *facta* attinet, in illis *Lutherum* habemus Ienenſem, quoniam iſte Ienam venit, eo conſilio, ut afflictis rebus eccleſiaſticis ſubveniret. Cum enim *Caroloſtadius* ille Orlamun-

(***) De quibus omnibus vid. *Polus Tom. I p.* 304 & 340.

Orlamundam ſe contuliſſet; nec ſolum ibi imagines ex templo eiicere, verum etiam errorem ſuum de ſacris epulis propagare, ſibi ſumſiſſet, immo ſe de afflatu divino ac rebus, ab ipſo Deo ſibi patefactis, iactaſſet, ita, ut in communionem cum *Thoma Munzero* veniſſe crederetur; præterea autem nonnulli civium Ienenſium veniſſent in ſuſpicionem, eos a *Munzero* & *Caroloſtadio* haud eſſe alienos; *Lutherus*, ab Electore *Friderico* & fratre *Ioanne*, Saxoniæ Ducibus, iuſſus, anno MDXXIV, una cum *Wolfgango Steinio*, (*) Ienam adiit. Poſt adventum ſuum die XXII menſis Auguſti orationem ſacram recitavit, maxime adverſus ea, quæ *Munzerus* tumultuoſe docebat ac peragebat: ſpeciatim contra impetum, in imagines adhibitum. (**) Sacris

(*) Memorat hoc *Io. Matheſius* his verbis: *Weil Carlſtadt ſich der Pfarr zu Orlemünd angenommen hatte, damit er im Winckel ſein vergællt Hertz ausſchütten, und ſich an der Kirche zu Wittenberg ræchen kœnnte, wurde D. Luther auf Fürſtlichen Befehl mit M. Wolfgang Stein, Hofprediger zu Weimar, gen Iene abgefertiget, für dieſe verloſſene Winckel-Prediger und aufrübriſche Geiſter die Leute zu warnen, in der Vten Predigt von der Hiſtorie D. Mart. Luthers p.* 42. De ipſo *Steinio*, qui in aula Vinarienſi oratoris ſacri munus obiit, *Præfatione, Tom. X Oper. Lutheri* præmiſſa, *p.* 37 expoſui.

(**) Apud *Io. Matheſium* dicto loco *p.* 42, & *Vitum Ludovicum a Seckendorf Lib. I Hiſtor. Luther.* §. 174 *p.* 302, generatim tantum dicitur, *Lutherum* Ienæ concionatum eſſe; in libello autem, cuius inſcriptio eſt: *Was ſich Doct. Carlſtadt mit D. Martin Luther beredt zu Iena*, & ab *Adriano Beiero Syllab.*

Recto-

Sacris his interfuit *Caroloſtadius*, & *Lutheri* ſermonem audiuit; poſtea autem in congreſſum & colloquium eius venit, hocque ea ratione eſt inſtitutum, ut ab utraque parte diſputaretur vehementer. *Lutherus* declaravit, ſe a prava *Caroloſtadii* ſententia de ſacra Cœna, & ab illius violentia adverſus imagines, abhorrere, & voluit, ut *Caroloſtadius*, quæ ſentiret de euchariſtia atque uſu imaginum, literis mandaret, atque ab eo exſpectaret reſponſionem, ipſique, tauquam arrhain, aureum nummum dedit. (***) Promiſſo ſuo *Lutherus* ſatisfecit, &

Rectorum & Profeſſor. Ienæ p. 116 & 501, duarum orationum ſacrarum, quas habuerit, mentio facta eſt, ita, ut altera ante, altera poſt, colloquium cum *Caroloſtadio* fuerit recitata. Adde eiuſdem *Beieri Architect. Ienenſ. p.* 229.

(***) Exſtant *Io. Georg. Neumanni*, Theologi Vitembergenſis, *Orationes duæ*, quarum priore de *nummo aureo, quo Lutherus Caroloſtadium ad certamen provocaſſe perhibetur*, agit, &, cum monſtrare vult, quo animo, quibusque inductus cauſis, *Lutherus* hunc nummum, quem alii rhenanum, alii florenum, appellant, adverſario obtulerit, recte hæc ediſſerit: *Principio ad contendendum ſcriptis ſe obtulit Bodenſteinius; ſed, vereri ſe, dixit, ne typographiæ uſu a Luthero prohiberetur. Hinc publice teſtatum fecit noſter, hoc abeſſe, ut impedire velit, quo minus vel typis exſcriberetur libellus, vel excuſus publice diuenderetur, ut contra ad liberandum ſe ab hac ſuſpicione malit, & data iniquitatis mercede optet, Caroloſtadium prodire in publicum, ſanamque mentem in rebus dubiis explicare. Tum vero in more poſitum habebat fanaticus, ſententias, quas paſſim diſſeminabat, clauſas*

& ſcriptum adverſus *Caroloſtadium* in lucem emiſit. (***)

II. Factum eſt colloquium hoc in diverſorio, quod, in ſuburbio Quezeno ſitum, inſigne nigri urſi præ ſe fert, quoniam ibi *Lutherus* ſuum habuit hoſpitium. Interfuerunt ei doctor *Gerhardus Weſterburgius*, *de Colonia*, uti appellari ſolebat, *Martinus Reinhardus*, miniſter verbi divini apud Ienenſes; qui uterque tamen, cum *Caroloſtadii* partes ſequerentur, ab Electore iuſſus eſt Iena diſce-

ſas habere atque tectas, nec publicis ſcriptis, ut maxime præ ſe ferret, promulgare. Quare nummum Lutherus obtulit, non, ut autoramentum litigii eſſet, ſed teſſera deſiderii, quo in veritatem Caroloſtadii, ſi qua eſſet, rectius cognoſcendam, & ab hæreſeos ſuſpicione eximendam, propendebat. Add. Celeberr. *Valent. Erneſt. Læſcherum in der ausführlichen Hiſtoria motuum Part. I p.* 31.

(***) Liber, quem *Lutherus* contra *Caroloſtadium* anno MDXXIV edidit, hanc præ ſe habet inſcriptionem: *Wider die himliſchen Propheten, von den Bildern und Sacrament*, eiusque duæ ſunt partes. Eodem tempore *Caroloſtadius* variis ſcriptis pro errore ſuo de ſacra Cœna pugnare, ſibi ſumſit. In lucem enim emiſit libellum: *Von dem widerchriſtlichen Miſsbrauch des Herren Brod und Kelch*, MDXXIV, 4, alium, cuius titulus eſt: *Dialogus von dem greulichen abgœttiſchen Miſsbrauch des Sacraments Ieſu Chriſti*, eodem anno in 4, item: *Auslegung der Worte Chriſti, das iſt mein Leib*, MDXXV, 4, de quibus ſcriptis pluribus agit *Valent. Erneſt. Læſcherus in der vollſtandigen hiſtoria motuum Part. I p.* 35 *ſeq.*

diſcedere: (*) item, cuius paullo ante mentionem feci, *Volfgangus Steinius*, *Andreas Breunigius*, Conſul Ienenſis, & multi alii. Quæ inter *Lutherum* & *Caroloſtadium* diſputata ſunt, ea relata quidem legimus in libello, qui ita inſcriptus: *Was ſich Doct. Andreas Bodenſtein von Carlſtad mit D. Martin Luther beredt zu Iena, und wie ſie wieder einander zu ſchreiben ſich entſchloſſen haben*: item *die Handlung D. Martin Luthers mit dem Rhat und Gemeine der Stadt Orlamund, am Tage Bartholomæi daſelbſt geſchehen*, anno MDXXIV, in 4, publicam vidit lucem; (**) minus autem omni fide dignus eſt. Prodit enim auctorem, qui a *Luthero* alienus, & *Caroloſtadio* addictus, fuit, hacque de cauſa dicta & facta *Caroloſtadii*, immo Orlamundanorum, ſpecioſe propoſuit, ac *Lutherum* malitioſe & inimice inſectatus eſt. Quocirca *Lutherus* ad *Georgium Spalatinum* de hiſtoria hac ita ſcripſit: *Mihi vehementer placet libellus de actis meis Ienenſibus & Orlamundenſibus, hoc nomine, quod video, homines malæ fidei & conſcientiæ metuere ſibi, & in hoc prævenire voluiſſe, & gloriam præripere, & opinionem mei lædere. Id quod illius ſpiritus ingenium ſolet; ſed, quia futurum eſt, ut Caroloſtadius prodeat, & liber, ſic mendaciis mixtus cum veritate, ſine nomine prodit, patientia ſuperandus & devorandus eſt, ne gloriam & vindictam videar quærere, atque ne, principali cauſa amiſſa, ad contentionem de rebus noſtris ſcribendo venia-*

(*) Vide *Chriſtiani Schlegelii Hiſtoriam vitæ Georgii Spalatini p.* 90.

(**) Prima hæc editio memoratur in *Herrmanni von der Hardt Autograph. Luth. Part. I p.* 182.

veniamus. (*) Ipſe libellus hic, cum ſeparatim prodiiſſet, poſtea in *Tomos Operum Lutheri*, Germanice ac coniunctim editorum, (**) translatus fuit. Auctorem illius eſſe *Martinum Reinhardum*, nonnulli perhibent.

III. Eodem tempore, quo *Lutherus* Ienæ commoratus eſt, adiit fontem, ad dextram rivi Leutheræ partem, & extra ſuburbium Lobedanum, ſitum, eumque guſtu exploravit, &, cum ille dici ſoleat *Lutherborn*, a multis creditum fuit, eum nomen hoc

(*) *Tom. II Epiſtolar. Lutheri p.* 234.

(**) *Tom. II Ienenſ. p.* 491, *Tom IX Vitemb. p.* 209, *Tom. II Altenb. p.* 797, *Tom XIX Lipſienſ. p.* 148. Cum *Lutherus* Iena diſceſſiſſet Orlamundam, plebs ibi, furibunda, & a *Caroloſtadio* incitata, graviſſimas ei iniurias intulit, ipſique vitæ periculum conflavit. Ita hac de re ad Argentoratenſes ſcripſit: *Ubi Orlamundam inter ſuos Chriſtianos Ducali iuſſu perveniſſem, ſentiebam haud obſcure, quid iſtic bonus ille vir ieciſſet ſeminis, adeo, ut plurimam mihi gratulabar vivo, tam feliciter elapſo, nec dum luto & lapidibus obruto, Tom. II Epiſtolar. pag.* 251. Adde Celeberrimos Viros, *Valentin. Erneſt. Læſcherum*, in *der ausführlichen Hiſtor. motuum pag.* 29, *Io. Albertum Fabricium Centifol. Luth. p.* 88, & *Io. Frider. Mayerum Diſſert. de Caroloſtadio §. XII pag.* 26. Quæ partim falſa, partim iniurioſa in *Lutherum*, de diſputatione eius Ienenſi cum *Caroloſtadio Rudolph. Hoſpinianus Hiſtor. ſacramentar. P. II p.* 50 *ſeq. Gothofr. Arnoldus* in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie Tom. II Lib. XVI cap.* 19 §. 14 *pag.* 698, & Auctor *der auserleſenen Anmerckungen P. III p.* 223 tradiderunt, confutata ſunt a laudatis *Mayero* ac *Læſchero*.

hoc accepiſſe a *Luthero*; quæ tamen perſuaſio falſa atque erronea eſt. Nomen enim illius originem ſuam debet non *Luthero*, ſed puræ aquæ, quæ in ea continetur, & e radice montis vitiferi manat, hocque nomine Germanice rectius appellatur *Lauter-Born*, ſive, ut alii pronuntiant, *Lotter-Born*. Epigramma, quo, lapidibus inciſo, fons hic ornatus eſt, cum iſte anno 1578 renovaretur atque inſtauraretur, ita expreſſum eſt, licet fere obliteratum:

Limpidus hic ſcatet & gelidis pellucidus undis
Fons, ſua cui bonitas nomen habere dedit.
Purus enim tenuem, qua nulla ſalubrior, undam
Alnorum viridi tegmine ſeptus, agit.
Vinitor hanc civisque frequens bibit urbis Ienæ,
Confectus morbis hanc ſitit æger aquam. (*)

Qui verſus licet hanc inſcriptionem habeant: *in fontem Lutheri*; ex iſta tamen haud probandum eſt, fontem accepiſſe nomen a *Luthero*, ſed ea tantum indicat hominum perſuaſionem.

IV. Cum peſtilentia incidiſſet per Vitembergam, anno 1527 Elector mandavit, ut doctores cum literarum cultoribus Ienam migrarent, ibique per tempus quoddam Muſarum ſedem collocarent; eo autem tempore *Lutherus* minus Ienam venit. Quamvis enim memoratus Elector, prævidendo

(*) Auctor Epigrammatis huius non eſt *Io. Stigelius*, in Academia Ienenſi primus eloquentiæ & poeſeos Profeſſor, cum hic iam anno 1562 mortalitatem ſuam finierit, ſed *Andr. Ellingerus*, artis medicæ Doctor & Profeſſor. Vide *Adrian. Beyeri Syllabum Rectorum & Profeſſorum Ien. pag.* 116 *ſeq.*

dendo periculum, illum die 10 Auguſti dicti anni adhortatus eſſet, ut cum uxore ac liberis, quemadmodum iam alii fecerant, Ienam ſe conferret; maluit tamen Vitembergæ manere, & divinæ benignitati maxime confiſus, omnem metum ex animo eiecit, atque ex Scripturis ſacris egregia ſumſit ſolatia. Hanc mentis fortitudinem, quam ex ſua in Chriſtum fide ſibi acquiſiverat, variis locis dilucide ſignificavit. In literis, quas ad *Iuſtum Ionam* exaravit, peſtis Vitembergenſis meminit, & addit: *In media etiam morte apud nos dominus liberator & ſalus. Nos integro animo & affectu oramus Deum & patrem miſericordiarum, ut auferat a nobis hanc peſtilitatem, propter gloriam nominis ſui, ne inimici noſtri lætentur de nobis;* (*) in alia autem Epiſtola, quam ad *Georgium Spalatinum* de eadem peſtilentia ſcripſit, hæc legenda ſunt: *Pomeranus & ego hic ſoli ſumus cum capellanis; Chriſtus autem adeſt, ne ſoli ſimus, qui & triumphabit in nobis ſerpentem illum antiquum homicidam & peccati artificem, utcunque mordeat calcaneum eius.* (**) Sed hæc in tranſitu obſervare volui, ut ex iis veram cauſam, cur *Lutherus*, peſtilentiæ avertendæ cauſa, Ienam ſe conferre noluerit, videamus atque admiremur. (***)

P 2 V. Lau-

(*) *Tom. II Epiſtolar. pag.* 354.

(**) *Ibid. pag.* 346. Adde *Epiſtolam* ad *Amsdorfium*, quæ eodem *Tomo pag.* 344 exſtat.

(***) De mentis fortitudine, qua *Lutherus* peſtilentiæ Vitembergenſis tempore ſe commendavit, videantur *Io. Matheſius* in *der VII Predigt von der hiſtorie D. Martin Luthers pag.* 64, *Vitus Ludovic. a Secken-*

V. Laudari præterea poteſt *Lutherus*, tanquam Ienenſis, propter doctrinam. Ex quo enim ille divinis auſpiciis emendationi ſacrorum manum feliciter admoverat, cœleſte Evangelii lumen in Thuringia ſplendere cœpit, & radios ſuos Ienæ quoque ita emiſit, ut, qui antea in errorum tenebris verſati, ac Præſulem Romanum venerati fuerant, nunc veram doctrinam, a *Luthero* ad priſtinam lucem revocatam, amplecterentur, & ad rectam illius cognitionem pervenirent. Primus ſacrorum, a corruptelis repurgatorum, miniſter apud Ienenſes fuit *Martinus Reinhardus*; qui tamen, ut iam antea obſervavi, *Caroloſtadio* acceſſit, eiusque cauſam tueri ſibi ſumſit; hanc autem ob rem ei impoſita fuit neceſſitas, munus ſuum deponendi, ac diſcedendi. Teſtem habemus *Lutherum*, qui ad *Nicolaum Amsdorfium* hæc de iſto ſcripſit: *Orlamundæ acta nequiter edidit* Martinus Reinhardus, *Ienenſis prædicator, in meam ignominiam, & Caroloſtadii gloriam. Ideo non reſpondeo, ne mea quæram, & gloriam illi ſtudeam auferre, cum nihil ibi de cauſa agatur*; ac quibusdam interpoſitis: *Martinus Ienenſis, iuſſus cedere, plorans valefecit in cathedra, ſupplicansque pro venia, quinque florenos pro reſponſo accepit: deinde per oppidum mendicare procurans, XXV groſſos accepit.* (*) Ut emendationis

a Seckendorf in *Hiſtor. Lutheraniſmi Lib. II* §. 32 *p.* 85, & *Adrian. Beierus Syllab. Rectorum & Profeſſor. Ien. pag.* 124.

(*) *Tom. II Epiſt. p.* 237. *Reinhardi* huius memorat *Seckendorfius Supplement. ad Indicem I Hiſtoriæ Commentar. de Lutheraniſm.* ſcriptum ad *Antonium Tucher*,

nis ſacrorum, quæ cœpta erat, fierent progreſſus, anno 1528 inveſtigatio, ſive, uti appellari ſolet, viſitatio, eccleſiaſtica inſtituta eſt; atque inter illos, qui eam peregerunt, locum habuit *Antonius Muſa*, eo tempore Ienenſis interpres voluntatis divinæ, vir, uti laudatur, prudentia atque uſu rerum pariter ac virtutibus conſpicuus; (*) illi autem, qui

 in

cher, Hieronymum Ebner, Bilibaldum Pirckheimer, & ſenatum Norimbergenſem, quo illis miſerit verſionem eorum, quæ Bohemi in Concilio Baſileenſi poſtularunt, & legato Præſulis Romani die adſcenſionis an. 1430 exhibuerunt, nimirum emendationem ordinis eccleſiaſtici; annuntiationem doctrinæ evangelicæ; diſciplinam in corrigendis vitiis, & ſacram cœnam, ſub utraque ſpecie omnibus convivis porrigendam. Scriptum illud hoc titulo prodiit: *Anzeig, wie die gefallene Chriſtenheit wiederbracht muge werden in ihren erſten Stand, in welchen ſie von Chriſto vnd ſeinen Apoſteln erſtlich gepflanzt und aufgebauet iſt. Vor hundert Iahren beſchrieben, und itzt allererſt zu Roſtock im Land zu Mecklenburg gefunden, und durch den Druck an Tag geben 1524, das Concilium zu Baſel und die Bœhmen betreffend von* Martiuo Reinhard, in 4to. Mentio illius fit in *Herm. von der Hardt Avtograph. Luther. Part. I pag.* 180. Idem *Reinhardus* & hunc libellum iuris publici fecit: *Ein Chriſtliche bruderliche Unterricht an die Chriſtliche Gemeyne yn der Stadt Ihene ym Landt zu Dœringen der verbanten ketzeriſchen Münch halben, wie und weß ſie ſich Chriſtlich gegen yn halten ſollen.* Adde *Adr. Beierum Syllab. Rector. & Profeſſor. Ieu. p.* 501, & *Hermannum van der Hardt Avtograph. Luth. P. I pag.* 177.

(*) *Muſa* hic primum Erfurti, deinde Altenburgi ac Ienæ

in Thuringia, inquirendi partes impleruntˌ ex Theologorum ordine fuerunt *Philippus Melanchthon*, *Fridericus Myconius*, Gothanus, & *Iuſtus Menius*, Iſenacenſis verbi divini miniſter. (*)

VI. Præcipua tamen doctrinæ, propter quam Iena *Lutherum* ſibi vindicat, documenta Academia, ibi condita, ſuppeditat. Cuius Muſarum domicilii ortum ubi accurate ac rite velimus expendere, habebimus ſane materiam, Dei providentiam, in iſto maxime illuſtrem, admirandi prædicandique. Inſtitutum illud eſt ea ætate, qua triſtiſſima rerum in Germania erat facies; qua purior doctrina Evangelii, cum vix e tenebris ad lucem eſſet evocata, in ſummo interitus periculo verſabatur, ac peſſimus genius iam de victoria gloriari videbatur. Socii fœderis Smalcaldici, quod, uti dicuntur, Proteſtantes Smalcaldiæ inierant, erant disiecti, ac modo vi, modo fraude, in poteſtatem *Caroli V* Imperatoris venerant. Formula, quæ *Interim* appellabatur, efficiebat graviſſimas contentiones, & verita-

tes

Ienæ; denique autem Rochlitii provinciam, veritatem evangelicam docendi, adminiſtrauit. Legendi de eo ſunt *Ioachimus Camerarius Narration. de Helio Eobano Heſſo pag.* 38, *Io. Mathesius* in *der XII Predigt von der Hiſtorie D. Mart. Luthers pag.* 138, *Melchior Adamus Vit. Theologor. pag.* 80, *Adrian. Beierus Syllab. Rector. & Profeſſor. Ien. p.* 502, eiusdemque *Architect. Ienenſ. p.* 491 & 555, ac *Vitus Ludovic. a Seckendorf Lib. II Hiſtor. Lutheran. §.* 41 *p.* 115 & §. 117 *p.* 502.

(*) Vid. *Seckendorfium Hiſtor. Lutheran. Lib. II §.* 36 *p.* 101. Idem etiam reliquas viſitationes eccleſiaſticas, in Thuringia ſuſceptas, enarrat *Lib. III* §. 25 *p.* 70 & §. 72 *p.* 222.

tes cœleſtes de ſalute ſempiterna conſequenda in ſummum coniiciebat diſcrimen. Illi, qui in Academiis Vitembergenſi ac Lipſienſi adhuc doctrinam Evangelicam fuerant profeſſi, ac pro illa pugnaverant, nunc a ſuo ardore deſciſcere cœperunt, ac ſive per timidi ac fracti animi indolem, ſive per imminentis periculi metum, ſive per aliam cauſam, inducti, maluerunt voluntati Imperatoris obtemperare, ac libellum iſtum, *Interim* dictum, quodam modo approbare, quam penitus reiicere, et cauſam Dei forti ac conſtanti animo tueri. Elector Saxoniæ, *Ioannes Fridericus*, qui Academiam Ienenſem condidit, erat in *Caroli V*, victoris ſui, poteſtate, & tenebatur captivus; immo Imperator eum, ac ſi rebellionis reus eſſet, capite damnaverat. Nemo inter mortales eo tempore cogitavit, Principem hunc in tam miſerabili rerum ſuarum ſtatu & velle & poſſe Academiam erigere. Nihilo minus anno 1548 fundamenta illius poſuit, ac poſt decem annorum ſpatium cura Sereniſſimorum filiorum, *Io. Friderici II*, *Io. Guilielmi*, & *Io. Friderici III*, facta eſt ſolennior illius conſecratio anno 1558. Effecit hoc Deus pro ſua ſapientia, & monſtrare voluit, hanc literarum officinam non humanis, ſed divinis, conſiliis ſuam debere originem. Inſtituebatur enim illa in præſidium ſolatiumque doctrinæ, cui *Lutherus* priſtinum ſplendorem reddiderat, adeo, ut, ſi accurate loqui velimus, Ienenſis ſchola ſit prima Academia *Lutherana*. (*)

P 4 VII.

(*) De origine ac conſecratione Academiæ Ienenſis expoſue-

VII. Uti Academia Ienenſis eum in finem inſtituta eſt, ut eſſet ſacrarium ac domicilium, in quo Evangelii doctrina, a *Luthero* in lucem vocata, vigeret; ita in ea veritas cœleſtis ſemper ac ſedulo conſervata & propagata fuit. Poſtulant hoc ſtatuta, ordini Theologorum Ienenſium præſcripta. Id, quod in illis ſecundum locum tenet, nunc dicti Collegii Profeſſoribus ſtudia purioris doctrinæ maxime commendat, ac, qualis fuerit principum voluntas, ita patefacit: *Sit prima cura huius Collegii, tueri ac propagare puram & incorruptam doctrinam de omnibus articulis, hauſtam ex ſanctiſſimis & auguſtiſſimis fontibus Iſrael, hoc eſt, ex ſcriptis Prophetarum, Evangeliſtarum, & Apoſtolorum, cuius ſumma complexa eſt in ſymbolis;* ac, paucis interiectis, hæc adduntur: *Hoc unum genus doctrinæ verum & immotum doceri & defendi volumus ac ſeveriſ-*

poſuerunt *Io. Stigelius* in *Epiſtola, continente deſcriptionem pompæ & ſpectaculorum, quæ celebrata ſunt in promulgatione privilegiorum Academiæ Ienenſis*, quæ recuſa eſt in *Burc. Gotth. Struvii Biblioth. libror. rariorum Thec. I pag.* 1, *Adrian. Beierus Syllab. Rector. & Profeſſor. Ien. p.* 46 *ſeq. Caſpar. Sagittarius* in *Hiſtoria Ioannis Friderici, Electoris Saxon.* §. *XXIII, Io. Chriſtoph. Olearius Syntagmat. rerum Thuringic. p.* 209 *ſeq.* Auctores Diarii literarii, quod inſcriptum: *Monatliche Nachrichten von gelehrten Leuten und Schriften,* Ienæ prodiit, 1727, *p.* 147 *ſeq.* Adde *Io. Franc. Buddeum Miſcellan. ſacror. Part. I p.* 453, aliosque, laudatos a Celeberrimo *Chr. Auguſt. Heumanno Biblioth. Hiſtoric. Academ.* quam *Conringii Antiquitat. Academicis*, Gottingæ an. 1739 editis, addidit, *p.* 88 *ſeq.*

veriſſime prohibemus, ſpargi & defendi ſemina opinionum, pugnantium cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis: cum ſymbolis & cum confeſſionibus noſtrarum eccleſiarum. In lege hac accurate cuſtodienda Theologi Ienenſes conſtantem omnemque operam poſuerunt; nec tantum in eo acquieverunt, ut de omnibus fidei capitibus recte docerent, ſed etiam veritatem ab iis, quæ adverſarii obiiciunt, graviter defenderunt, uti tot illorum monumenta, in lucem emiſſa, ſatis comprobant. Ita exſtiterunt Theologi Ienenſes vere *Lutherani* & orthodoxi.

VIII. *Lutherum* denique Ienenſem monſtrant nobis eius *ſcripta.* Prodierunt enim Ienæ iſta coniunctim, Germanica non ſolum, ſed etiam Latina. Illorum, ſive *Germanicorum*, collectio & editio ſuſcepta eſt auctoritate & auſpiciis *Io. Friderici*, antea laudati, qui poſt recuperatam priſtinam libertatem cogitationes ac curas in eo poſuit, ut monumenta illa colligerentur, & iunctim in publicam emitterentur lucem. Cum autem optimus hic Princeps d. 3 Mart. an. 1574 vitam cum pia & placida morte commutaret, ad opus hoc perficiendum, & id, quod pater voluerat, præſtandum, tres illius filii, *Io. Fridericus II, Io. Guilielmus, & Io. Fridericus III*, operam ſuam contulerunt, ac ſumtus liberales, eosque haud exiguos, ſuppeditarunt. Ipſius collectionis huius adornandæ ea præſcribebatur ratio, ut ſcripta *Lutheri* diſponerentur ſecundum ordinem temporis, quo quodvis illorum ſit compoſitum & editum; ut voluminibus his Ienenſibus præcipue ſolius tantum *Lutheri*, nec aliorum, monumenta comprehenderentur; ut

que, iſtis propoſitum, mentem advertere velimus. Dimicabatur enim non modeſte, ſed acerbe, non de gravioribus, ſed ſæpe levioribus ac nullius momenti, rebus, quique in certamina hæc venerant, aut ad iſta ſuſcipienda admoverant ſtimulos, ſua ſtudia, proprii commodi interdum prodebant. Alii pugnabant pro Ienenſibus; alii pro Vitembergenſibus, Tomis. Illi id agebant, ut Ienenſibus Tomis ſingularem dignitatem præ Vitembergenſibus tribuerent; hocque nomine, quemadmodum iam obſervavi, hos variorum vitiorum accuſabant, præſertim quod in illis multa ſint omiſſa, in gratiam aſſeclarum *Io. Calvini.* Eum in finem *Nicolaus Amsdorffius* libellum, ita inſcriptum: *Daſs die zu Wittenberg im andern Theil der Bücher D. Martini im Buch, daſs die Worte: Das iſt mein Leib, noch feſt ſtehen, mehr denn ein Blat und vier ganze paragraphos vorſetzlich ausgelaſſen haben,* A. 1549 ediderat, eique *Matthias Flacius* in eadem re ſe adiunxerat. Cauſam tamen voluminum Vitembergenſium defendendam ſuſcepit *Chriſtophorus Waltherus*, incitatus a bibliopolis ac typographis, qui erant Vitembergæ, ac Ienenſes calumniarum poſtulavit. Præcipue oppugnandum ſibi ſumſit *Flacium*, qui eum appellaverat hominem Crypto-Calvinianum, atque in lucem emiſit: *Bericht von denen Wittebergiſchen Tomis der Bücher des ehrwürdigen Martin Luthers, wider Matthes Flacium Illyric.* an. 1558, 4. Index, quo *Timotheus Kirchnerus* Tomos Ienenſes inſtruxit, ſpectat ad duas priores illorum editiones, antea a me memoratas. (*) X. Præ-

(*) Ad hiſtoriam Germanicorum *Lutheri* Operum Ie-

X. Præter Opera Germanica, iam enarrata, quatuor volumina ſcriptorum *Latinorum Lutheri* Ienæ lucem viderunt, quorum, ut ego quidem obſervavi, tres exſtant editiones: prima an. 1556, ſecunda an. 1579, & tertia an. 1600. Præmiſſa eſt Præfatio *Nicol. Amsdorfii*, qua Tomos Ienenſes Germanicos ornaverat, in Latinam linguam translata; atque indicat, collectionis huius Latinæ eandem eſſe rationem, quæ eſt Germanicæ. Inter Codices manuſcriptos, qui exſtant in Bibliotheca Academiæ Ienenſis, ſunt nonnulli, qui ad *Lutherum* pertinent. Adſunt duo volumina eius *Epiſtolarum*, quibus *Io. Aurifaber* uſus eſt, cum *duos Tomos Epiſtolarum Lutheri* ederet: alterum Ienæ 1556,

nenſium enarrandam atque illuſtrandam pertinent, quæ traduntur in *Guſtavi Georgii Zeltneri kurzgefaſten Hiſtorie der gedruckten Bibel-verſion* p. 81 *ſeq.* *Io. Alb. Fabricii Centifol. Lutheran.* p. 316. & 764, *Io. Frid. Mayeri Hiſtor. verſion. Germanic. biblior. Lutheri cap. IV* §. 9 p. 53, *Eliæ Frickii Appendic. de ſcriptis Lutheri, quam verſioni Germanicæ Seckendorffii Hiſtor. Lutheraniſm.* adiecit, p. 2736, *Adriani Beieri Architect. Ienenſ.* p. 111, ubi agitur de loco, quo Ienæ opera hæc formis æneis deſcripta ſunt; item in *Io. Conradi Zeltneri Centur. Correctorum in typograph. eruditor.* p. 477 & 543, atque inprimis in *der fortgeſezten Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen* an. 1726 *pag.* 735 *ſeq.* Adde etiam *Herm. von der Hardt Præfat. Tom. I Avtograph. Luther. pag.* 21 & *Io. Fabricium Hiſtor. Bibliothec. Part. I pag.* 404, ubi omnia diligenter percenſentur, quæ voluminibus his Ienenſibus comprehenſa ſunt.

1556, alterum Islebiæ an. 1565, quamvis varia, eaque haud levior, diſcrepantia deprehendatur, ubi epiſtolæ, ab *Aurifabro* in lucem emiſſæ, cum codice Ienenſi conferantur. Num illa nata ſit ex conſilio deſtinato, an ex imperitia, aut negligentia, haud accurate definiendum eſt. Maiore accuratioreque induſtria ac fide eundem Codicem ſecutus eſt *Io. Franciſcus Buddeus* in *Supplemento Epiſtolarum Lutheri*, Halæ anno 1703 edito, & occaſione ſacrorum ſecularium, in cœtibus noſtris ſanctioribus celebratorum, anno 1717 inſcriptione *Collectionis novæ Epiſtolarum Lutheri* ornato. Ex codice enim hoc pleraſque Epiſtolas, antea nondum editas, ſumſit, eaſque tam accurate deſcribendas curavit, ut ne unius quidem vocis ſuſcepta fuerit mutatio. In eadem Bibliotheca Ienenſi aſſervatur *verſio Germanica Novi Teſtamenti Lutheri*, formis æneis *Io. Lufſti* Vitembergæ anno 1540 in 4 deſcripta, & variis obſervationibus manuſcriptis inſtructa, quæ partim ad ipſam verſionem, partim ad gloſſas, uti dicuntur, marginales, ſpectant. Quod enim ad verſionem attinet, quædam in iſta mutata atque emendata ſunt, ita, ut aliæ harum emendationum manuſcriptarum cum lectionibus, quas nunc in Germanico Noui Teſtamenti Codice habemus, conveniant, aliæ autem ab iſtis diſcrepent. In gloſſis marginalibus itidem varia facta eſt mutatio. Nonnullæ deletæ, & aliæ adſcriptæ ſunt, atque in his quædam locum habent, quibus nunc utimur. In principio libri huius *Lutherus* manu ſua hæc verba ſcripſit: *penultima Februarii 44 D. Mart. Luth.* Ea, quæ in editione

hac

hæc Novi Teſtamenti mutata ſunt, ab ipſo *Luthero* literis conſignata eſſe, nonnulli negant, ut *Io. Melchior Krafftius* * obſervat, idemque ſentit; alii autem id non ſine omni cauſa affirmant. Forma enim literarum modusque ſeribendi, in his obſervationibus conſpicuus, convenit cum iſto, quem *Lutherus* adhibere ſolebat. ** Eadem eſt ratio *verſionis Germanicæ Veteris Teſtamenti Lutheri*, Vitemb. 1539 fol. ex officina *Ioan. Lufſti*, quæ in Bibliotheca Ienenſi exſtat, & itidem notis manuſcriptis, atque ad ipſam verſionem emendandam additis, inſtructa eſt.

XI. Denique ſilentio haud prætermittendum eſt egregium monumentum chalceum, quod in templo oppidano Ienenſi invenitur, atque accuratam *Lutheri* effigiem exhibet, eum in finem auctoritate Electoris Saxoniæ, *Io. Friderici*, confectum, ut Vitembergæ tanquam epitaphium poneretur; infelix autem Muhlbergenſe prælium impedivit, quo minus hoc fieret. Quocirca illud Vinariam, & poſtea Ienam, translatum eſt, & Dux *Iô. Guilielmus* iuſſit, id in dicto templo collocari. Effigies non ſolum eleganter atque artificioſe, ſed etiam accurate, formata eſt, atque exprimit, qua facie, qua ſtatura, fuerit *Lutherus*, qualem veſtitum, ſacer-

(*) *Prodrom. Continuat. Hiſtoriæ verſionis Biblior. Germanicæ pag.* 35.

(**) Vid. *Burc. Gotth. Struvium* in *Hiſtoria & memorabilib. Biblioth. Ienenſ.* quæ translata eſt in *Io. Andr. Schmidii Acceſſionem alteram de Bibliothecis pag.* 287, & *Io. Georgium Keyslerum* in *der Fortſetzung neueſter Reiſen p.* 1124.

cerdotis proprium, habuerit. Supra iſtam legitur hæc inſcriptio: *Nos, Dei gratia, Ioannes Guilielmus, Dux Sax. Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, hanc Lutheri effigiem non cultus, ſed memoriæ, gratia huc poſuimus*, anno 1571, ſupra *Lutheri* caput autem verſus, quem ipſe antea compoſuerat:

Peſtis eram vivens: moriens ero mors tua, Papa. (*)

In dextra parte videtur illius inſigne, quo utebatur in obſignandis literis atque aliis ſcriptis, figura nimirum cordis, roſa circumdati, & in cuius media parte conſpicienda eſt crux; in ſiniſtra vero addita ſunt verba ex *Ieſ. LII, 7: Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem.* Scriptura, quæ circa effigiem eſt, indicat *Lutheri* mortem, eiusque conſtantiam in tuenda doctrina evangelica, hac ratione: *A. M.* D. XLVI. XVIII. *Febr. reverendiſſimus vir Martinus Lutherus, Theologiæ Doctor, conſtanter, etiam in ipſo mortis articulo, teſtificans, veram & neceſſariam eccleſiæ doctrinam eſſe, quam docuiſſet, & animam ſuam Deo in fide domini noſtri Ieſu Chriſti commendans, ex hac mortali vita evocatus eſt, anno ætatis ſuæ LXIII, cum eccleſiam Dei in hoc oppido* (Vitemberga), *annos amplius XXX, pie & feliciter*

(*) Cum *Lutherus* audiiſſet, Pontificem Romanum illius mortem cupere, verſum hunc anno 1530 Altenburgi in domo *Spalatini* compoſuit: poſtea ſæpius repetiit, atque in ultima cœna parieti inſcripſit. Vide *Io. Matheſium* in *der XV Predigt von der Hiſtorie D. Martin Luthers pag.* 191, *Chr. Schlegelium Vit. Spalat. pag.* 133, & *Seckendorfium Hiſtor. Lutheran. Lib. III* §. 134 *p.* 641.

liciter texuiſſet; corpus vero eius hic (Vitembergæ) *ſepultum eſt.* Sub pedibus, ſive in extrema monumenti parte, hi verſus, quorum HIERONYMVS OSIVS auctor eſt, leguntur:

Hæc erat effigies operoſe facta Luthero,
Poſſet ut ad cineres eius habere locum.
Paſſa fuere tamen non illuc tempora poni,
Tunc quæ concuſſis anxia rebus erant.
Inclutus hac Saxo Guilelmus in æde locari
Iuſſit, & huic urbi tale dicavit opus.
Non ut vana fides aliquo celebretur abuſu;
Signa ſed admoneant huius ut iſta viri:
Auſpice Teutonicis quo fraus innotuit oris,
Qua Chriſti populos impia Roma premit,
Qui tulit auguſtos Latii ſeptemvir honores
Imperii, magnis Ian Fridericus avis,
Eſſet ut hæc ſanctæ doctrinæ ſtrenua cuſtos,
Condidit ad Salæ pulchra fluenta ſcholam:
Quæ tumidos docto confunderet ore ſophiſtas,
Nec ſineret falſis dogmata vera premi.
Sed, quia mox ætas mundi trahet ægra ruinam,
Pullulat errorum nunc numeroſa ſeges.
Chriſte, tui nobis ergo decus aſſere verbi,
Ut ſint, qui pura te pietate colant. (*)

IV. IO.

(*) Vid. *Adrianum Beierum Architect. Ienenſ. p.* 548, *Chriſt. Iunckerum* in *dem güldenen und ſilbernen Ehrengedæchtniſs Lutheri p.* 277, & *Ern. Salom. Cyprianum* in *Hilar. Evangelic. p.* 111.

IV.
IO. FRID. FALCKII, CORBEIENSIS,
DE CODICE TRADITIONVM CORBEIENSIVM INEDITO, PROPEDIEM EDENDO, COMMEMORATIO, SEU PROMVLSIS.

Summa.

§. I. *Inſcriptio edendi Codicis, annotationibus illuſtrati.* §. II. *Origo ſcripturæ & Codicis antiquitas.* §. III. *Methodus explicandi Codicem Traditionum Corbeienſium.* §. IV. *Recenſio eorum, quæ in edendo Opere legentur.* §. V. *Raritas Codicis ediſſeritur.* §. VI. *Eius utilitas adiungitur.* §. VII. *Ea elucet in genealogiis explendis ac emendandis.* §. VIII. *Nec non in etymologiis & onomatologiis.* §. IX. *In hiſtoria civili & eccleſiaſtica.* §. X. *In antiquitatibus Iuris Germanici.* §. XI. *Atque in Geographia medii ævi.* §. XII. *Nec minus in Sigillorum diiudicatione.* §. XIII. *Specimen quoddam, traditionum index, & annotationum, eis adiectarum, facula, intexitur, atque Diploma Ludovici Pii ei accedit.*

I.

Tandem e ſitu & tenebris in dias luminis auras prodibunt *Traditiones Corbeienſes*, quarum edendarum ſpem ante quinque, & quod excurrit, annos feceram eruditis in *Novellis literariis Lipſienſibus.* Propoſueram mihi eo tempore, easdem notulis, eisque breviſſimis, in lucem proferre. Sed multas, easque iuſtiſſimas, mihi cauſas fuiſſe credidi,

ut

ut ne totum opus, cuius iam pars quædam prelum evaſerat, ita dare atque abſolvere deberem. Cum enim in eo eſſem, ut Traditiones easdem cum quibusdam Diplomatibus Corbeienſibus conferrem, & ſic pernitiſſime conſiderarem, multas in eis & momentoſas, & hactenus tenebris involutas, veritates latere, animadvertebam, de quibus ut alii quoque eruditi iudicare poſſent, ipſa hæc Diplomata cum Traditionibus noſtris ſimul in lucem proferenda eſſe, arbitrabar. Alio ergo habitu totum opus cum erudito orbe communicandum, atque hoc prænotandum titulo, eſſe cenſui: *Traditiones Corbeienſes, notis, Diplomatibus, ac tabulis genealogicis & geographicis, illuſtratæ, quibus antiquiſſimus Saxoniæ ſtatus a Carolo M. usque ad Conradum II Imperatorem, nec non origines multarum familiarum illuſtrium, ſeu principalium, exhibentur.*

II. Cum hoc opus præſenti hoc anno ad finem perduxerim, prius, quam illud in publicum emittam, hiſce indicare conſultum duxi, quid in eo præſtiterim. Ut ergo primum Codicem *Traditionum* noſtrarum, quem in lucem emittere volo, notiorem reddam lectoribus, hæc pauca in publicum uſum evulgare decrevi. Scriptus eſt ille Codex tum accuratiſſime, tum eleganter, adeo, ut non poſſit non ſpectatoris ſibi conciliare amorem & admirationem. Non chartaceus eſt ille, ſed membranaceus. Locus, in quo Codex manu ſcriptus & exaratus, Corbeia Saxonica eſt, ubi is adhuc in archivo, ſeu tabulario, aſſervatur. Ætas illius incipit a tempore *Hludovvici I* Cæſaris, & pertingit usque ad tempora *Conradi II* Imperatoris. Scribi

itaque ille cœptus eſt Seculo IX, atque a ſynchronis inſecutis Auctoribus ad annum uſque 1037 continuatus, prouti etiam literæ & ſcriptura, ſi ex cum genuinis atque originalibus, ſeu avthenticis, Diplomatibus aliisque Codicibus, e Seculo IX, X, & XI, reſiduis, conferantur, ſatis & abunde teſtantur. Et, ſi forte lectores inceſſit cupiditas aliquid huius Codicis prægustandi, en initium eiuſdem:

„Cunctæ traditiones, quæ fuerunt traditæ ad re„liquias Sti Stephani temporibus Domini Abbatis „Adalardi.

„Folcheri & Delheri duo fratres tradiderunt „tertiam partem de omni proprio, quicquid pater „& mater eis dimiſit, ſive de hoc, quod ipſi ac„quiſiverunt. Davo, Rainvvardus, Godo, Vvil„lo, Vvihelm, Hemo, Heio, ſunt teſtes, qui „viderunt, audierunt, & tradiderunt.

„*Sivvart* & duæ ſorores Thanburgh & Frithu„burgh, quicquid de proprio habuerunt in *villa* „*Haribernesſun in pago Fleithi*, (*) unum ſcilicet „manſum & dimidium, & ſervos duos, reliqua „bona, quæ in eadem villa poſſident, ſibi ſervan„tes. Teſtes, qui viderunt & audierunt, Enno, „Folcher, Leutheri, Efger, Sier, Rainvvardus, „Hrodhard, Badag, Vuulſhard, Vuitger, Godo, „Vuillo, Humbert . . . . Tado, Marchardus, „numero XVI.

Duo fraters *Boſo* & *Benno* tradiderunt ſervum ſuum

(*) Locus hic, in pago Flenithi ſitus, nunc vocatur Harbarnſſen, obvius in præfectura Epiſcopatus Hildeſienſis Wincenburgenſi, *Steinbergiorum* prædium. *I. C. Harenberg.*

ſuum dictum nomine Hroduuertus ad reliquias„ St. Stephani. Teſtes Godhard, Deddo, Vui-„ cho, Dagharod, Hechard, Vuilheri, Hilduuerd„ numero VII.„

Buto Comes tradidit manſum unum in pago„ *Huvetigo* ſuper fluvium *Embrine* in villa nuncu-„ pante *Scitiru.* Teſtes Helmuni, Rainger, Teo-„ duvard, Ghethard, Sehard, Teoding, Heribert.„

Ymmadus Comes tradidit, quicquid habuit de„ proprio, in villa *Vuidisleve in pago Hardego* cum„ hominibus his nominibus, Ratbert, Lanſuit, Ha-„ dubret, Odilred, Suuanegard, Lentghard, Beio„ Unn. Iſti ſunt teſtes: Leutheri, Rainuuard, Hro-„ dulf, Marculf, Hrodhard, Abbo, Vuiglef, Hripo„ Alfdag, Ivo, Odag, Rainold, Hrodhard, Mainbred.„

Vuiric tradidit, quicquid habuit de terra, in vil-„ la *Vuillibechi* cum hominibus iſtis: Hund, Vuitta„ Huſi, Crea, Bruni, Horobolla, Aaluuini, Vuigis„ Vuilmo. Unde iſti ſunt teſtes: *Enno Comes*, Freſ-„ ger, Vuorid, Tidi, Huſuuard, Humbret, Hrothard„ Horid, Vuicbrand, Marcuuard, &c.„

Codex caret interpunctione quacunque. Ad-„ dere tamen eam maluimus.„

III. Methodus deinde, qua uſus ſum in hiſce explicandis Traditionibus, diplomatica eſt. Sequor annorum ordinem, qui in ipſo Codice, cuius ut contextus quam accuratiſſimus prodiret, omni ope atque opera ſum eniſus, reperitur. Ad operis autem perfectionem non parum conduxit, quod longe Reverendiſſimus & Celſiſſimus Princeps ac Dominus Dominus *Caſparus*, S. R. I. Princeps & Abbas Corbeienſis &c. cuius ſummo favore gaudeo,

mihi præſtantiſſimum ſuum *Archivum* patefecit, ex quo in illuſtrandis Traditionibus maxime uſui fuerunt, præter aliquot millia ineditorum Diplomatum, *Regiſtra Bonorum & Proventuum Abbatiæ Corbeienſis*, quorum alterum ab Abbate Corbeienſi *Sarachone* circa annum 1070, alterum ab Abbate *Erkenberto* circa annum 1120, alterum ab incerto Auctore, ſine dubio autem a Corbeienſi, Seculo XIII confectum fuit, e quibus Regiſtrum *Sarachonis* incomparabile, quod κατὰ πόδα ſequitur Codicem noſtrum, maximum mihi auxilium præſtitit. Conſului etiam *Chronicon Corbeienſe MStum* & nunquam editum, alio autem tempore, ſcilicet in Scriptoribus rerum Corbeienſium publici iuris faciendum, ab anonymis Seculo IX ſcribi cœptum, atque ab aliis coætaneis anonymis Corbeienſibus uſque ad annum 1250 productum; item *Necrologia* MSta *Codicem*que membranaceum, auro & variegatis coloribus varie diſtinctum, & *Confraternitates S. Viti* complectentem, nec non *Codicem* antiquiſſimum *Saxonicarum legum*, nunquam profecto editum. Neque in explicandis Traditionibus noſtris neglexi Collectiones *Martenii* & *Durandi*, *Baluzii*, *Dacherii*, *Caniſii*, *Leibnitii*, *Meibomii*, *Eccardi*, *Menckenii*; *Heineccii*, & *Leuckfeldii*, *Freberi*, *Schilteri*, *Reuberi*, *Pithœi*, *Schannati*, *Pezii*, *Hanii*, atque aliorum. Perrepſi præterea vitas Sanctorum a *Bollandinis* & *Surio* deſcriptas, *Acta Sanctorum Ordinis D. Benedicti*, inprimis vero libros, manu exaratos, neque adhuc dum editos, qui ſeſe mihi ex Ordinum religioſorum, qui in Weſtfalia florent, Bibliothecis, olim mihi patentibus, non exiguo obtule-

tulerunt numero. Præterea uſus ſum celeberrima Bibliotheca publica Wolferbuttelana, eaque Ducali. Adhæc inſtitutum meum promoverunt varii amici, quorum epiſtolæ mihi animum addiderunt, & mecum obſervata, vulgo non cognita, momenta hiſtorica communicarunt. Atque hinc facile colligi poſſe puto, quibus inſtructus copiis hoc opus fuerim aggreſſus, & quænam mihi paſſim occaſio data ſit illuſtrandi Scriptores veteres, eosdemque tum inter ſe, tum cum recentioribus, conciliandi, male coniuncta ſeparandi, male ſeparata coniungendi, certa ab incertis, vera a falſis & fabuloſis, & dubia ab utrisque, diſtinguendi. Ubique autem ſummum conſenſum Traditionum noſtrarum cum libris iam editis, vel adhuc ineditis, oſtendi, ſemper veterum coætaneorum teſtimoniis productis opiniones meas confirmavi, recentiorum non raro ſententias commemoravi. Ita tamen eorum hinc inde reprehendi errores, ut urbanitas, quæ literarum humaniorum cultores decet, perpetua fuerit comes artis criticæ, ac proinde nullis invectivis, injuriis, imputationibus falſis, atque atrocibus accuſationibus, in opus ipſum permiſſus fuit acceſſus. Sic, me in hoc laudem mereri, arbitratus ſum, ab iis, qui rectam tractandæ veteris hiſtoriæ tenent rationem & honeſtatem felli anteponunt.

IV. Univerſum opus porro abſolvitur *XVI Partibus*; atque e titulis Paragraphorum, qui 484 ſunt, de magnitudine eius iudicium fieri poterit qualecunque. *Pars prima* itaque continet traditores, & res, traditas ſub regimine Abbatis Corbeienſis *Adalardi*,

imperante *Hludovvico*, ab anno 822 usque ad 826, & hæc conſtat e §§. 25. *Pars II* ſibi vindicat Paragraphos 149, in quibus exponuntur ea, quæ tempore Abbatis Corbeienſis *Warini*, qui Ducis Saxoniæ *Luidolfi* germanus, & filius Ducis *Ecberti*, erat, uti ex ipſo contextu Traditionum Corbeienſium apparet, ab an. 826 usque ad an. 853 tradita ſunt eccclefiæ Corbeienſi. *Pars tertia* recenſet paragraphis 86 bona, quæ a proceribus Saxoniæ ſummatibus olim Abbatiæ noſtræ donata ſunt, gubernante Corbeiam *Adalgario*, ab anno 853 usque ad 877. *Pars IV* pertractat §§. 20 ea, quæ ſub regimine Abbatis *Tancmari* anno 877 tradita ſunt. Hanc excipit *Pars V*, qua exponuntur §§. 2, quæ tempore Abbatis *Avonis*, qui annis duobus præfuit ſuis, monaſterio noſtro ſunt data. *Pars VI* §§. 18 enumerat bona, quæ in diverſis pagis ſub Abbate *Bovone* ab anno 879 usque ad an. 890 homines pii eccleſiæ noſtræ ſunt elargiti. *Pars VII* recenſet §§. 73 munera, quibus ab anno an. 890 usque ad an. 900 ſub regimine Abbatis *Godescalci* cumularunt Abbatiam noſtram quidam Adelingi, ſeu Nobiles & Comites. *Pars VIII* exhibet §§. 7 bona, quibus ornarunt ab anno 900 usque ad an. 916, ſub Abbate *Bovone II*, domini quidam eccleſiam noſtram. *Pars IX* agit de bonis traditis inde ab anno 916 usque ad an. 942, ſub Abbate *Folcmaro*, §§. 4. *Pars X* docet §§. 6, quantis muneribus ditiſſimi quidam Adelingi & Comites Abbatiam noſtram onerarint ab anno 942 usque ad an. 948, ſub regimine Abbatis *Bovonis III*, qui ex patre atque avo, referentibus nomen *Ecberti*, Ducis Saxoniæ, *Ecberti* ſanctæque *Idæ* pronepos erat, uti in notis

ad

ad Traditiones noſtras contra quoscunque e documentis hactenus ineditis ſatis ſuperque demonſtravi. *Pars XI* refert intra §§. *16*, quænam acceperint bona Corbeienſes noſtri ab anno 948 usque ad an. 865, tempore regiminis Abbatis *Gerberni*. *Pars XII* abſolvitur §§. *XVII*, in quibus relatum legimus, quid Cæſares & Comites quidam Saxoniæ pro ſuis patribus, fratribus, & filiis, donarint inde ab anno 975 usque ad an. 983, quibus præſedit Abbatiæ noſtræ *Luidolfus* Abbas, qui, ex patre *Hogero*, atque avo, æquivoco, ſeu cognomini, *Luidolfi*, Ducis Saxoniæ, pronepos erat. *Pars XIII* comprehendit §§. *4* traditiones, ſub Abbate Corbeienſi *Thiadmaro* peractas, qui *Sigefridi* Walbeccenſis frater, ac Ducis *Luitharii*, ſatoris & Walbeccenſium & Supplenburgicorum & Sommerſchenburgicorum & Anhaltinorum Principum, nepos erat, ab anno 983 usque ad an. 1001. Quicquid vero ſub Abbate *Hoſedo* ab anno 1001 usque ad an. 1010 traditum, id pertractatur §§. 6, & *Parte XIV*. Hanc ſequitur *Pars XV*, qua §§. 20 exponitur latius, quid domini quidam ab an. 1010 usque ad an. 1014 eccleſiæ noſtræ donarint tempore Abbatis *Walbonis*. Hanc excipit denique *Pars XVI*, qua intra §§. *31* enumerantur bona tradita Abbati *Druthmaro*, ab an. 1014 usque ad an. 1037 ſuis præſidenti.

V. Ex ipſa hac recenſione quilibet facillime perſpicere poterit, nunquam antea has Traditiones luci eſſe expoſitas. Codex enim noſter rariſſimus fuit, neque unquam in Saxonia, Weſtfalia, Haſſia, Germania, Belgio, Francia, atque Italia, editus. Maximas ergo laudes debere eruditum or-

bem ſapientiſſimo Principi ac Domino *Caſparo* arbitror, quod ipſe opus hoc, hiſtoriarum ſtudioſis utiliſſimum, e latebris ſuis me eruere, Codicemque ſuum in lucem edere, paſſus ſit. Et, cum inter doctos pervulgatum ſit, pauca documenta e tempore *Hludovvici Pii* ad nos perveniſſe, eo gratior Codex ille eruditis erit, qui ipſi futuris temporibus permultos Comites ac Nobiles, olim ætate *Hludovvici Pii*, eiusque filiorum, in Germania florentes, quaſi e mortuis reſurrexiſſe, ſunt credituri & gaviſuri.

VI. Raritatem præterea comitatur utilitas, quam tantam eſſe arbitror, ut in rebus veterum Germanorum & Saxonum cognoſcendis Traditionibus Corbeienſibus carere nemo queat. Poſita eſt autem eadem utilitas aut in genealogiis illuſtrium, aut in etymologia atque onomatologia, aut in hiſtoria tam civili, quam eccleſiaſtica, aut in antiquitatibus iurium Germanicorum, aut in pagis priſcis eruendis ac determinandis, aut in reliqua Geographia medii ævi ſcrutanda, aut in Sigillis antiquorum Cæſarum diſcernendis. De quibus ſigillatim iam quædam in medium proferre lubet.

VII. Ac primo quidem, quod attinet ad genealogias Comitum, Principum, Ducum, & Regum, multas in animadverſionibus deprehendes, Lector, novas tabulas genealogicas, de quibus id iudicandum eſſe cenſeo, probe in eis diſcernenda eſſe vera a probabilibus, & probabilia ab iis, quæ tantum quadam coniectura auguramur. Inter certiora momen-

menta numero deductum genus *Luidolfi*, Ducis Saxoniæ, ab *Ecberto* ac *Brunone* Ducibus; Comitum Tecklenburgicorum a *Cobbone*, filio *Ecberti* Ducis; Comitum Brunſuicenſium & quorundam Marchionum Thuringiæ ab *Hiddi*, filio *Luidolfi* Ducis; Comitum Everſteinenſium ab *Everhardo*, filio *Brunonis* Ducis; Marchionum orientalium ab *Haddone*, fratre *Ecberti* Ducis; Comitum Sualenbergenſium, Pyrmontanorum, & Waldeccenſium, a *Bardone*, nepote *Widekindi M.*; Ducum Brabantiæ & Landgraviorum Haſſiæ a *Raginberio*, pronepote *Widekindi M.*; Comitum Northeimenſium & Daſſelienſium, nec non nobilium dominorum Homburgicorum, ac illorum dominorum, qui regionem Comitatus Winzenburgici poſſederunt, a *Siwarti* nepote *Wichardo*, qui cum fratribus & multis aliis dominis inter cohæredes & conſanguineos Ducis Oſtfalorum *Heſſi* numeratur, teſtante §. 104; Palatinorum Sommerſchenburgicorum porro, Comitum Walbeccenſium, Supplenburgicorum, ac Principum Anhaltinorum, ab *Abbone*; antiquorum Landgraviorum Thuringiæ & Haſſiæ, e quibus & *Chuonradus I*, Germaniæ Rex, deſcendit, a *Gerbaone* Duce, cuius pronepos *Erdag* filiam *Hludowici*, Regis Franciæ orientalis, *Gherburgham*, duxerat; Comitum Slademenſium atque Olesburgicorum a *Bennitho* Comite, filio *Amalungi*; ac Ducum Saxonicorum Bilingiacæ ſtirpis ab eodem *Amalungo* ex filio *Amalungo*; ut taceam ea, quæ de fratribus, filiis, filiabus, & conſanguineis, illorum dominorum, a quibus dictæ familiæ per lineam rectam deſcendunt, e Codice Traditionum

firma

firma ac certa proferuntur. Inter probabilia, immo probabiliſſima, refero ortum *Egilmari*, ſatoris Comitum Oldenburgicorum, Ducum Holſatiæ, ac Regum Danorum, ab *Hunoldo*, qui, ſi non frater, certe conſanguineus, *Widekindi M.* fuit, a quo & deduxi Comites Hojanos, Arensbergicos, Wertenſes, Ravensbergicos, Marcanos, & Wunſtorpienſes. A *Brunone*, Angariorum Duce, probabiliter quoque deſcenderunt Comites Warbergici & nobiles domini, dicti *de Sconenberg*, in *pago Heſſi Saxonico*, Comites de Lippia in pago Thiadmelli, nec non nobiles domini Hoinbocenſes in pagis Aringho & Guddinge. Porro deduxi Comitem *Sigefridum*, fundatorem monaſterii Grœningenſis, eiusque fratrem, Marchionem *Geronem*, fundatorem Abbatiæ Gerenrodenſis, a *Geroldo* Comite, *Hludovvici Pii* propinquo, cuius mater ſtirpis *Brunonianæ*, & cuius vitricus *Walbertus*, nepos *Widekindi M.* erat. Et, hanc ſententiam tantum habere veriſimilitudinis, arbitror, ut pæne audeam illam inter certa referre. Multarum aliarum veriſimilium opinionum, v. g. originis Comitum *de Padberg* in pago Ittergo ab *Erpone* tempore *Hludovvici Pii* claro, Comitum *de Lutterberge* & *Scartvelde*, a *Deddi*, fratre Ducis Oſtfalorum *Heſſi*, iam non iuvat meminiſſe. Hæc vero omnia nova ſunt. Operam autem dedi præterea, non contentus aliorum, qui ante me eadem pertractarunt argumenta, induſtria, ut hinc inde, atque inprimis ex ipſo Traditionum fonte, collectis argumentis ſolidioribus, & fabulas, audacius a nonnullis prolatas, confutarem, & veritatem nonnunquam

laten-

latentem adhuc clarioribus præſidiis munirem. Denique coniecturis aliorum aliquando anſam dedi. Quæ quamvis non ſint omni exceptione maiores, aut usquequaque veræ, aut veriſimiles; dandum tamen aliquid eſſe ingeniorum temeritati & libertati ſentiendi, iudico. Coniecturis enim interdum aliis anſam, penetrandi in ſolidiora, præbere poſſumus, uti in B. *Leibnitii* coniecturis hiſtoricis ſæpe obſervavi, immo alia, & fortaſſe meliora, in veritatis lucem proferendi. Felix enim conatus eſt, qui doctis erit materia penetrandi in veritatem.

VIII. Ad etymologiam atque onomatologiam quod ſpectat, nullus unquam Codex in lucem emiſſus eſt, in quo tot nomina propria veterum Germanorum ſint reperta. Hæc multis occaſionem dabunt, opinionibus ſuis inhærendi. Ita v. g. nomina *Bodico*, *Bucco*, *Bodo*, *Adalbardus*, & *Theodoricus*, in genealogia *Brunoniana* & *Widikindea* deprehenduntur. Atque hæc quibusdam anſam præbebunt, de antiquiſſimis Ducibus Saxonum, & de tribu *Bucizia*, quædam nova, hactenus non dicta, in medium proferendi. Porro in Saxonia noſtra & Thuringia olim nomina propria fuerunt in uſu, quæ Turcæ & Britanni quoque uſurpant. Ideo quidam ſibi oblatam eſſe occaſionem putabunt, ulterius contemplandi communem originem veterum Thuringorum & Turcarum, nec non introitum Anglo-Saxonum in veterem Britanniam.

IX. In Hiſtoria civili & eccleſiaſtica quid proderunt Traditiones noſtræ? Superfluum duco, id re-

cen-

cenſere. Ex dictis & dicendis id iam ſatis & abunde pateſcit. Neque ſperare non poſſum, allata genuina Diplomata Cæſarum, Regum, Ducum, Comitum, Epiſcoporum, Abbatum, atque aliorum nobilium ac dominorum, eruditis fore gratiſſima, quippe quæ non ſolum ad verbum ſunt deſcripta, ut in avtographis exſtant, verum etiam ſuis quæque notis illuſtrantur, & illuſtrata exhibentur.

X. Accedo ad uſum, quem Traditiones noſtræ præſtabunt in iure veterum Germanorum. Diſcendam enim hiſtoriam eſſe duco, ut inveniamus in illa rationem eorum, quæ huc usque e geſtis maiorum ſuperſunt, atque ut ſciamus, cur hodierno die his legibus atque hiſce conſuetudinibus utamur, & quare hæc ſit rei vel publicæ, vel privatæ, forma. Huc refero ſcientiam & cognitionem, quam ex Traditionibus noſtris conſequi poſſumus. Inde enim conſtat, quænam poſſeſſiones huic, quænam bona illi familiæ, fuerint propria; quibusve in pagis ea exſtiterint; quibusve in pagis hi, vel illi, domini bona ſua hæreditaria habuerint. Atque, in hoc ipſo Codicem noſtrum eſſe ſingularem, neque ei ullum alium æquiparare, cenſeo. Iura quoque advocatorum, hactenus nondum cognita, ac iura ipſorum *miniſterialium*, in eo illuſtrantur. Data occaſione inſerui Diplomata, quibus ea partim refutari, partim confirmari, queunt, quæ hodierno die viri quidam egregii de *miniſterialibus* in medium protulerunt. Huc quoque poſſunt referri mutationes & acquiſitiones poſſeſſionum ſpecialium. Bona tradita, iu-

dica-

dicavi, ad quos pervenerint, aut quibus in feudum data ſint. De quibusdam bonis id, ſpeciminis loco, literis, quas vocant, feudalibus demonſtravi; de reliquis dicturus in *Clientela Corbeienſi*, ad quam lectorem ablegavi.

XI. Venio nunc ad geographica, quæ ex *Codice* noſtro & *Regiſtro Abbatis Saracbonis* ſunt eruenda. Primum enim elaboravi, omnisque in eo fui, ut ſitum pagorum vetuſtorum, inprimis autem per partes tractusque Saxoniæ noſtræ, determinarem, in quibus laborem ſtudioſis Geographiæ antiquæ utiliſſimum me ſuſcepiſſe ſpero, ita, ut hinc multum emendari atque augeri poſſint *Chronicon Gottwicenſe*, *C. F. Paulini Commentarius de Pagis Germaniæ*, & quotquot de pagis vetuſtis ſcripſerunt. Atque, ut omnia eo melius ob oculos ponere poſſem, adiunxi quatuor tabulas geographicas, quibus univerſa Saxonia in pagis ſuis perſpicue repræſentatur; quarum duæ Saxoniam orientalem atque occidentalem, atque duæ Angariam in orientali & occidentali regione, ſiſtunt. Illuſtravi quoque reliquam Geographiam medii ævi. Ita multa inveniet lector in animadverſionibus meis de villis, vicis, & caſtris vetuſtis, tam everſis, quam adhuc exiſtentibus, quæ fruſtra quæret alibi.

XII. Agmen denique claudunt Sigilla, quæ cum Monogrammatibus Cæſarum, & ſignis Notariorum atque Archicancellariorum, ex avtographis quam accuratiſſime delineanda curavi. Habebis ergo, Lector, in opere noſtro Sigilla *Caroli M.* cuius totum Diploma æri inciſum dabimus, *Hludovvici*

eovvici Pii, *Hlotbarii* Cæſaris, *Hludovvici*, Franciæ orientalis Regis, *Caroli Craſſi*, duo *Arnolfi*, *Hludovvici Infantis* unum, unum *Henrici Aucupis*, tria *Ottonis M. Ottonis II*, *Ottonis III*, *Henrici Sancti*, *Conradi II*, *Henrici III*, *Lotharii Saxonis*, *Conradi III*, *Ottonis IV*, atque *Henrici Raſponis*, quædam Epiſcoporum Paderbornenſium, nec non Abbatum Corbeienſium, *Dhrutmari* rariſſimum ad an. 1043, *Erkenberti*, *Wibaldi*, *Conradi*, *Widekindi*, *Hermanni*, *Henrici*, *Theodorici*, atque alia Ducum, Landgraviorum, Comitum, Nobilium, Urbium, ac Monaſteriorum, Sigilla, nunquam antehac viſa, omnia vero conſideratu digniſſima, quibus emendari atque augeri poſſunt non ſolum doctiſſimum *I. M. Heineccii Syntagma de Sigillis*, ſed etiamincomparabile & fere divinum *Ioannis Mabillonii de re diplomatica* opus. Accedit tandem Index accuratiſſimus Diplomatum, pagorum, villarum, caſtrorum, Dynaſtarum, Comitum, Principum, Ducum, Regum, Epiſcorum, &c. iis utiliſſimus, qui in Hiſtoria neceſſaria quærunt ſubſidia ubique, ac ea e fontibus haurire conſueverunt.

XIII. Sed, ne videar exſpatiari nimis in laudem obſervationum additarum, quippe id non fert indoles mea, &

Multa fidem promiſſa levant, ubi plenius æquo
Laudat, venales qui vult extrudere merces;

eapropter quendam Paragraphum cum animadverſionibus meis, uti in ipſo opere eæ leguntur ac continentur, ſpeciminis loco oculis eruditorum ſubiiciam. Hic eſt §. 155, qui, regnante *Hludovvico*,

& gu-

& gubernante Corbeiam *Warino*, anno 844 eſt ſcriptus, & ſic ſe habet:

Tradidit *Ida* mente devotiſſima (ſ) ad reli-„ quias ſanctorum Martyrum *Stephani* & *Viti* res„ proprietatis ſuæ, quas ſibi Domnus Imperator *Hlu*-„ *dovvicus* per praeceptum tradidit in pago Niſtharſi„ in villa Ymminchuſen (t) cum omnibus ibidem„ pertinentibus. Teſtes *Volcuuerc*, *Ecbertus*, *Adalbard*, *Volcrid*, *Hem*, & alii XXIII.

En præterea annotationes meas:

(s) Cum *Ida mente devotiſſima* appelletur; probabiliſſimum eſt, hoc eſſe exinde profectum, quod gratificaretur Abbati ſuo *Warino* huius §. ſcriptor, non quidem ut adularetur illum, ſed tantum ut indicaret, quam haberet matrem ille reverendiſſimus Præſul. Docent enim *Acta Idæ Duciſſæ Tom. I S. R. B. Leibnitii p. 171 ſeq.* ab *Uffingo*, monacho Werthinenſi, conſcripta, re vera illam valde devotam, quin immo inter ſanctas numeratam, fuiſſe. *Idam* fuiſſe uxorem Ducis *Ecberti*, ac matrem *Bovonis*, *Cobbonis*, ac *Luidolfi*, Comitum, itemque *Warini*, Abbatis Corbeienſis; atque *Hadwy*, Abbatiſſæ, iam ſupra §. 104 *not. (n)* diximus. Nihil ergo reſtat, quam ut demonſtremus quoque, eandem *Idam* oriundam eſſe e ſtirpe potentum Regum Francorum, ac filiam fuiſſe *Bernhardi*, fratris Regis *Pipini*. Hoc autem eam ob cauſam oſtendamus neceſſe eſt, quia ſcimus, doctos omnes hic abire paſſim in contrarias ſententias. *Leibnitius* putavit *Tom. I S. R. B.* in *Introduct. num. 9*, patrem *Idæ* Duciſſæ fuiſſe vel *Nebelungum*, Matriacenſem Comitem, e *Childebrando*

 na-

natum, quem *Caroli Martelli* fratrem *Fredegarius* facit, vel *Theodoricum*, magnæ apud *Carolum M.* auctoritatis, & Ripuariis præfectum, qui, uti ſupra oſtendimus, Weſtfalis proximi erant. Quia autem hæ tantum doctæ *Leibnitii* erant coniecturæ, in coniecturis autem nunquam non quodam metu agitamur, verentes, ne res aliter ſe habeat; igitur *Nicol. Hier. Gundlingius* in libro *de Henrico Aucupe p. 6 ſeq.* arbitratus eſt, *Idam Caroli M.* neptem ex filia *Berta* natam fuiſſe, quæ *Berta Angilberto* coniugali fœdere nexa fuit, eique *Harnidum* & *Nithardum* peperit, ipſo *Nithardo* teſte. Sed ſæpius miratus ſum, viros doctiſſimos atque acutiſſimos non vidiſſe, *Idam Caroli M.* neptem ex filia *Berta* natam non eſſe, quia Chronologia repugnat. Atque, ut hoc palam fiat omnibus, adducenda ſunt primo ipſa *Eginhardi* verba ex *Vita Caroli M. p. 138.* Ibi ita ſcripſit: *Karolus poſt mortem patris* (Pipini) *cum fratre* (Karolomanno) *regnum partitus, tanta patientia ſimultates & invidiam eius tulit, ut omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo provocari potuiſſet. Deinde, cum matris* (Bertradæ) *hortatu filiam Deſiderii, Regis Langobardorum, duxiſſet uxorem, incertum, qua de cauſa, poſt annum repudiavit, & Hildegardim, de gente Suevorum, præcipuæ nobilitatis fœminam, in matrimonium accepit, de qua tres filios, Karolum videlicet, Pipinum, & Ludovicum, totidemque filias, Rotrudim, Bertam, & Giſſam, genuit.* Ex his *Eginhardi* verbis patet, matrem *Bertæ* fuiſſe *Hildegardim.* Cum hac *Hildegarde Carolus* ante annum 773 matrimonium

monium contrahere non potuit. Duxiſſe enim *Carolum* Regis *Deſiderii* filiam anno 770, *Annales Francorum Fuldenſes p. 10 Tom. I Freheri* referunt. Si itaque repudiavit eam poſt annum, *Hildegardim* idem anno 773 in tori fœdus accipere potuit. Ponamus ergo, ex *Hildegarde* eſſe natum *Karolum* anno 774, *Pipinum* anno 775, *Ludovicum* anno 776, *Rotrudim* anno 777, *Bertam* anno 778, & *Giſſam* anno 779; *Bertam*que *Angilberto* nupſiſſe anno ætatis ſuæ XIV; coniugium inter eos contractum eſſe anno 792; tunc quil[illegible] videt, laborare hic Chronologiam in veri vicem aſſumtam. Eodem enim anno nubere potuiſſe *Bertam Angilberto*, pernegamus ſtrenue. Hoc enim pugnat cum verbis *Eginhardi*, qui nullam *Caroli M.* filiam, patre adhuc ſuperſtite, matrimonium contraxiſſe refert in *Vita Caroli M. f.* 139 his verbis: *Filiæ* (Karoli) *cum pulcherrimæ eſſent, mirum, quod* nullam *earum cuiquam aut ſuorum, aut exterorum, nuptum dare voluit: ſed* omnes *ſecum uſque ad obitum ſuum in domo ſua retinuit, dicens, ſe earum contubernio carere non poſſe.* Cum itaque *Carolus M.* demum anno 814 die 28 Januar. mortuus ſit, eodem *Eginhardo* teſte, *Angilbertus Bertam* anno 814 in tori fœdus accipere, atque *Ida* Duciſſa e matris utero prodire potuiſſet anno 815. At, ſi rurſus ponamus, *Idam* anno ætatis ſuæ XIV mariti thalamum conſcendiſſe; *Ecbertus* Dux *Idam* in tori accepiſſet ſociam anno 829. Eo autem iam anno *Warinus*, *Ecberti* & *Idæ* filius, Abbatiam Corbeienſem gubernaverat per tres annos, & *Carolus M.* iam dudum e vita

exierat. Qui vero adhuc vivens matrimonium *Ecberti* cum *Ida* procuraverat, uti *Acta Idæ Duciſſæ* teſtantur *fol. 172.* Et, quamvis *Nithardus* ſcripſerit, ſe eſſe cum fratre *Harnido* filium *Angelberti* ac *Bertæ*, filiæ *Caroli M.*; non tamen addit, ſuam quoque ſororem fuiſſe *Idam* Duciſſam. Quo ergo fundamento freti longe doctiſſimi quidam viri ſcribere potuerint, *Gundlingium* demonſtraſſe, *Idam* Duciſſam *Caroli M.* ex *Berta* fuiſſe neptem, nemo non videt.

Jo. Ge. ab Eccard in *Notis ad Vitam Hathumodæ, Abbatiſſæ Gandersheimenſis, f. 30* perhibet, *Idam* noſtram fuiſſe filiam *Theodorici*, & neptem *Bernardi*, fratris *Pipini*, Regis Francorum. Duxiſſe enim, addit, *Theodoricum* filiam illius *Bernardi Theodradam*, ratus, *Theodoricum* iſtum fuiſſe Ripuariorum præfectum, ſeu comitem, & *Caroli M.* propinquum; *Berndrdum* autem affirmat duxiſſe in matrimonium filiam quandam *Adolfi*, qui *Widekindi M.* Secretarius, ac pater *Walderici* & *Deddæ*, ſeu *Theodorici* eius, fuerit, qui anno 743 claruerit, *Waldericum* vero fuiſſe patrem *Theodradi*, monachi Corbeienſis, & *Deddam* patrem *Waltgeri*, fundatoris Abbatiæ Herifordenſis, cenſet. Ipſe, hanc ſuam ſententiam probari poſſe, arbitratur *Eccardus*, ex *Tranſlatione S. Viti*, quæ *Tom. II Scriptorum Hiſtoriæ Francorum fol. 344 ſeq.* & *Tom. I S. R. G. Meibomii f. 763 ſeq.* reperitur, itemque ex *Wigandi Vita B. Waltgeri*, quam *C. F. Paulini* edidit in *Commentario* ſuo *de Pagis p. 281 ſeq.* Sed tam *Tranſlationem S. Viti*, quam *Vitam B. Waltgeri*, ſcripta eſſe ſuppoſititia,

&

& ad demonſtrandum minime apta, probavimus in Hiſtoria Corbeienſi. Quemadmodum ergo, *Waltgerum* filium fuiſſe *Theodorici*, ac fundatorem monaſterii Herifordenſis, omnino negamus; ita *Adolfus*, quem tempore *Caroli Martelli* vixiſſe oportet, *Widekindi Magni*, probabiliſſime anno 737 nati, a ſecretis eſſe non potuit. Quo ergo fundamento ſtatui queat, eundem *Adolfum* fuiſſe patrem *Theodorici*, qui anno 743 in *Annalibus rerum Francorum f. 144* Saxonum primarius appellatur, nullus non perſpicit. Pater *Waltgeri*, uti ex his Traditionibus apparet, tempore *Hludovvici Pii* claruit, & probabiliſſime fuit *Herimannus* filius *Widekindi M.* Cumque idem *Waltgerus* pro anima patris ſui tempore *Hludovvici I* & *II* bona quædam tradiderit monaſterio noſtro Corbeienſi in pago *Thiadmelli* ſita, teſtantibus §. *129* & *190;* magnum & impudens mendacium eſt, quod *Wigandus l. c. p. 287* perhibet, *Waltgerum*, patre & matre orbatum, *iam tempore Caroli Magni omnem hæreditatem ſuam eccleſiæ Herifordenſi tradidiſſe.*

Quis ergo tandem, quæris, pater fuit *Idæ* Duciſſæ? Reſpondemus: *Bernhardus*, frater *Pipini*, Regis Francorum, qui ſi pater dici debet *Idæ* Duciſſæ, neceſſario quoque *Idam* appellari oportet ſororem *Adalhardi*, *Walonis*, *Bernharii*, *Gundradæ*, ac *Theodradæ*. Hiſce enim liberis gaviſum eſſe *Bernhardum*, iam eſt probandum. Producimus itaque primo teſtimonium graviſſimum *Paſchaſii Ratberti*, qui in *Actis Sanctorum Bolandi* & *Henſchenii*, *Menſ. Ianuar. p. 97*, *Adalardum*

Widekindi M. ex patre *Alfrico* diximus, intelligi nequit. *Addila*, quæ ſecunda fuit, poſſet eſſe filia *Ecberti* atque *Idæ*, ſi modo demonſtrare liceret, *Cobbonem* Comitem, quem *germanum Abbatis Warini & Abbatiſſæ Heriſordenſis* appellat *Erdmannus*, uno tempore & uno anno tam Abbati, quam Abbatiſſæ, decimas Oſnabrugenſes tradidiſſe. Quemadmodum vero primo *Cobbo* fratri ſuo *Warino*, qui anno 853 mortuus eſt, quædam donare potuit, &, hoc defuncto, ſorori ſuæ Abbatiſſæ; ita nihil impedit, quo minus porro perhibere queamus, *Erdmannum* intellexiſſe non *Addilam*, ſed *Hadwidam*. Quam ultimam ab illo indicari omnino, cenſemus, quia, ipſo *Erdmanno* teſte, *Cobbo* Comes, frater *Warini*, demum anno 883 mortuus eſt, ac e vita diſceſſit.

Quodſi mihi obiicere velles, loqui *Erdmannum* de Abbatiſſa ea, quæ tempore *Hludovvici Pii* vixerit, eo quod *Erdmannus Cobbonem* appellavit *fidelem Imperatoris Hludovvici*, prætereaque memoriæ prodidit, hoc eſſe factum tempore Epiſcopi Oſnabrugenſis *Goſwini*; tunc reſpondemus primum, neque *Addilam*, neque *Hadvvidam*, tempore *Hludovvici Pii* vitam ſanctimonialium Heriſordenſium rexiſſe, ſed *Tettam* adhuc anno 840, quo *Hludovvicus* Cæſar mortuus eſt, eidem Abbatiæ præfuiſſe, cumque deinde, ipſo *Erdmanno* teſte *p. 200*, *Goſwinus* demum anno 864 deceſſerit, nullam cauſam videmus, cur non intelligere debeamus *Hadwidam*, quippe quæ iam anno 860 utique Abbatiſſa fuit, teſte Auctore *Translat. S. Puſinnæ f. 183*. *Addila* vero iam anno 839 *grandæva*

dæva & vidua erat, mortuo viro ſuo *Bennone I, Widikindeo*, de quo ſupra latius egimus *§. 104*.

Palam itaque eſt, vera non prædicaſſe *Eccardum*, atque alios doctos æque erraſſe, perhibentes, *Agium* in *Vita Hathumodæ Abbatiſſæ ſ. 9* intelligere per *amitam Hathumodæ*, Abbatiſſæ, *Addilam*, Abbatiſſam Herifordenſem. Cum enim *Agius l. c.* hanc amitam *Hathumodæ* & *grandævam*, & *ſenio confectam*, nominet, & referat, illam *Hathumodæ* indefeſſam adſtitiſſe, cum *Hathumoda* XIII Kal. Decemb. an. 874 deceſſerit, *Addila*, Abbatiſſa Herifordenſis, eo anno non amplius in vivis, neque tunc Abbatiſſa, erat, ſed *Hadwida* iam ante annum 860 regimen Abbatiæ Herifordenſis ſuſceperat; eandem vero *Hadwidam* adhuc anno 887 Herifordenſibus præfuiſſe, demonſtrat genuinum Diploma Regis *Arnolfi*, quod ex avtographo infra producemus. Patet ex hoc ipſo, eruditos hactenus nondum demonſtraſſe, *Luidolfum* Ducem fuiſſe filium *Ecberti* Ducis. Quando enim ita ratiocinati ſunt: ſi Abbatiſſa Herifordenſis *Addila*, ſoror *Cobbonis*, fuit amita *Hathumodæ*, filiæ *Luidolfi*, *Cobbo* vero filius fuit *Ecberti* Ducis, ſequitur, & *Luidolfum* fuiſſe filium *Ecberti*; procul dubio ipſorum falſa concluſio & frivola demonſtratio fuit. Nam anno 874, quo *Agius* quandam Abbatiſſam Herifordenſem nominavit amitam *Hathumodæ*, nulla Abbatiſſa, nomine *Addila*, præſedit Abbatiæ Herifordenſi. Quodſi autem *Addilæ* ſubſtituamus *Hadwidam*, uti & ſtatuere debemus; argumentatio omnino vim probandi induet, & tali modo inſtituenda eſt.

Agius, ſcriptor coætaneus, quandam Abbatiſſam Herifordenſem anno 874 appellat *amitam Hathumodæ, Abbatiſſæ Gandersheimenſis*, filiæ *Luidolfi* Ducis; eo anno Abbatiam Herifordenſem gubernavit *Hadwida*. Ergo *Hadwida* fuit ſoror Ducis *Luidolfi*. *Agius* enim *ſ. 3* nominat illum, orientalium Saxonum Ducem, patrem *Hathumodæ*. Si *Hadwida* ſoror fuit *Luidolfi* Ducis; ſequitur, *Luidolfum* Ducem quoque fuiſſe fratrem *Cobbonis*. *Cobbo* enim ab *Erdmanno* appellatur frater tam Abbatiſſæ Herifordenſis, quam *Warini*, Abbatis Corbeienſis. Si *Cobbo* frater fuit *Luidolfi* Ducis; ſequitur porro, *Luidolfum* Ducem, Comitem *Cobbonem*, *Hadwidam*, Abbatiſſam Herifordenſem, ac *Warinum*, Abbatem Corbeienſem, fuiſſe liberos *Ecberti* Ducis atque *Idæ*. Patet enim ex verbis evidentiſſimis *Translat. S. Puſinnæ l. c.* *Warinum* Abbatem fuiſſe filium *Ecberti* ac *Idæ*. Hoc ipſum nunc egregie ex his Traditionibus confirmandum eſt. Vidimus ſupra, *Luidolfum* (*§. 126*) appellari *germanum Cobbonis*, & *Cobbonem* nominari (*§. 125*) avunculum *Amalungi*. Fuiſſe autem *Amalungum* filium *Hadwidæ*, dilucet e verbis *§. 149*, in quibus *Hadwida* pro viro ſuo *Amalungo*, & filiis ſuis *Amalungo* ac *Bennitho*, quædam tradidit in pago Nithega ad radices montis, in quo olim celebratiſſimum Saxonum caſtrum Brunonisburgum ſtetit. Quæ bona cum fuerint ex eius bonis paternis, nobis ea perſuadent, *Ecbertum* Ducem fuiſſe, & poſſeſſorem caſtri Brunonisburgi, & filium *Brunonis* Ducis. Cum autem *Adalardus*, eiuſque germanus *Wala*, fuerint fratres *Idæ* Duciſſæ; inde credimus,

dimus, *Adalardo*, eiuſque fratri, neceſſitudines in Saxonia exſtitiſſe, & cogitationes de condenda apud Saxones nova Corbeia exinde profluxiſſe. Hæc enim vix iter unius horæ a caſtro Brunonisburgo abeſt.

Quæ cum ita ſint, neceſſario exinde conſequitur, pronomen *horum* in verbis *Translationis S. Puſinnæ* debere intelligi de *Adalardo* & *Walone*. Si enim *Hadwi Cobbonis* & *Warini* ſoror fuit, eadem illorum neptis eſſe non poterit. Traditiones noſtræ & Auctor *Translationis S. Puſinnæ* non quadrant ad *Cobbonem* iuniorem. Illum enim iam anno 842 in publicis egiſſe, & Comitatum tenuiſſe, affirmaturum eſſe neminem, exiſtimamus.

Pergis vero, ſtare hæc non poſſe, quia ex *Actis Idæ Duciſſæ f. 172* eluceat, *Idam* Duciſſam fuiſſe *unicam* filiam patris ſui, ex noſtra vero demonſtratione apparere, *Idam* non fuiſſe unicam filiam *Bernharti*; ſed habuiſſe duas ſorores *Gundradam* & *Theodradam*. Reſpondemus autem, ex ipſis *Actis Idæ Duciſſæ Cap. 8 p. 181* elucere, *Uffingum* ſua conſignaſſe anno 980. Nonne ergo facile fieri poterit, ut id ad aures *Uffingi* non pervenerit, *Idam* adhuc habuiſſe duas ſorores, olim in monaſterio degentes, & ſic in obſcuro latentes? Verum, ea exceptione opus non eſſe, patet ex eis, quæ iamiam dicturi ſumus. Statuimus enim, *Uffingum* omnino vera retuliſſe. *Ida* ſcilicet tantum *unica* filia *laica* erat; reliquas tradiderat *Bernhartus* Deo, eiuſque ſanctis in monaſterio Sueſſionenſi. Has non amplius habitas eſſe pro liberis a parentibus, comprobamus e *Widekindo*

kindo noſtro, qui in *Annal. Lib. II p.* 649 *Luitgardam, Ottonis I* Cæſaris filiam, appellat *unicam eius filiam*, quam *Otto* deſponſaverit *Conrado*, Lothariorum Duci; cum tamen certum ſit, nec *Widekindum* latuerit, habuiſſe *Ottonem* præter *Luitgardam* duas alias filias, ſcilicet *Mathildam* & *Adelheidam*. Quia vero altera Abbatiſſa erat Quedlinburgenſis, altera Abbatiſſa Eſſendienſis; hinc non amplius eæ reputabantur pro filiabus *Ottonis*. Dubitamus, dicturum eſſe quempiam, *Widekindum* noſtrum memoria vacillaſſe. Hæc enim exceptio ſtatim evaneſcit, conſiderare ſi quis volet, *Widekindum* ipſi *Mathildæ* Abbatiſſæ annales ſuos inſcripſiſſe.

Ut autem tandem nihil omittamus, quod noſtræ ſententiæ obiici poſſit, oſtendere debemus, quomodo Abbatiſſa *Hadwi*, filia *Idæ* Duciſſæ, *Carolo Calvo* tertio quartoque cognationis gradu coniuncta fuerit. Id quod tali modo fieri poſſe cenſemus. Uxorem ſcilicet *Hludovvici Pii* fuiſſe *Iuditham*, *Theganus Cap. XXVI* atteſtatur his verbis: *Sequenti anno accepit (Hludovvicus* Cæſar) *filiam Welfi Ducis, qui erat, de nobiliſſima ſtirpe Bavarorum, & nomen virginis Iudith, quæ erat ex parte matris nobiliſſimi generis Saxonici, eamque Reginam conſtituit.* Nomen matris Imperatricis *Iudithæ* prodidit Auctor *Translationis S. Bathildis Reginæ*, qui *Cap.* 1, *Anno viceſimo imperante*, inquit, *cum magna felicitate Hludovico ſereniſſimo auguſto in regno Francorum venit Kala monaſterium, ubi venerabilis Abbatiſſa* Hegilwich, genetrix Iudith imperatricis, *magno gregi ſanctimonia-*

[A]d pag. 269.

Theodoricus, Saxo[…]

Widekindus M. Dux Weſtfalorum. — […]*ichtrud*, filia *Hiddi*, […]ſtfalorum.

[…]nmed, Comes, &c. — *Wicbertus*, uxor *Od*[…] Ducis Oſtfa[…]

Walbertus I, &c. — *Thiadricus II.* — *Folclog*, u[…] *Bevoni*[…]

Thiadricus IV.

Ecbertus, Dux Saxoniæ Occidentalis, uxor *Ida*, filia *Bernharti*. — *Haddo*. — […]*rbardus*.

Berndag, ſator N[…] Orienta[…] — [..]*hardus III*, Comi- de Ever- ſtein. — *Folchert*.

Bevo Comes, uxor eius *Folclog* &c. — *Warinus*, Abbas Corb. — […]*udwi*, uxor *Amalungi*, […]tia Abbatiſſa Heri- fordenſis.

Cobbo II. — *Thiadul*[…]

Tançmarus, ſepultus in Hirutfeld. — N. N. N. N. tres fratres & una ſoror obiere te- nelli. — *Hathumoda*, *Gerbirg*, & *Chriſtina*, Abbatiſſæ Ganders- heimenſes. — *Hiddi*, uxor *Eruli*, ſator Comitum Brunſuicen- ſium. — *Eſic* &c.

nialium praeerat. His teſtimoniis ſuffulti, tertium gradum conſanguinitatis ita ſiſtimus:

Theodoricus.

Bruno, Dux Angariorum.	*Hegilwich*, uxor *Welfi*, Ducis Bavariorum.
Ecbertus, Dux Saxoniæ, uxor eius *Ida.*	*Iudith*, uxor *Ludovici Pii.*
Hadwi, Abbatiſſa Herifordenſis.	*Carolus Calvus.*

Quartus vero cognationis gradus hic erit:

Carolus Martellus.

Pipinus, Rex Francorum.	*Bernhartus.*
Carolus M.	*Ida*, uxor *Ecberti* Ducis.
Ludovicus Pius.	*Hadwi*, Abbatiſſa Herifordenſis.
Carolus Calvus.	

Hæc nos primum feliciter explicuiſſe, ſperamus. Ut vero omnia, hactenus dicta, uno intuitu eo melius diſpicere poſſis, Schema genealogicum, teſtimoniis ſcriptorum coætaneorum iam ſupra probatum, atque infra latius probandum, adiungimus:

Vide Tabulam ſub Signo ⊙.

Pagum

Theodoricus, Saxo

Widekindus M. Dux Weſtfalorum. — *Vichtrud*, filia *Hiddi*, ...ſtfalorum.

..., Comes, &c. — *Wicbertus*, uxor *Od...* Ducis Oſtfal...

Walbertus I, &c. — *Thiadricus II.* — *Folcleg*, u... *Bevoni...*

Thiadricus IV.

Ecbertus, Dux Saxoniæ Occidentalis, uxor *Ida*, filia *Bernharti*. — *Haddo.* — ...*erhardus*.

Berndag, ſator N... Orientali... — ...*rhardus III*, ...r Comi- *de Ever-ſtein*. — *Folcbert*.

Bevo Comes, uxor eius *Folcleg* &c. — *Warinus*, Abbas Corb. — ...*adwi*, uxor *Amalungi*, ...rtia Abbatiſſa Heriſordenſis.

Cobbo II. — *Thiadul...*

Tancmarus, ſepultus in Hirutfeld. — N. N. N. N. tres fratres & una ſoror obiere tenelli. — *Hathumoda*, *Gerbirg*, & *Chriſtina*, Abbatiſſæ Gandersheimenſes. — *Hiddi*, uxor *Eruli*, ſator Comitum Brunſuicenſium. — *Eſic* &c.

nialium praeerat. His teſtimoniis ſuffulti, tertium gradum conſanguinitatis ita ſiſtimus:

Theodoricus.

Bruno, Dux Angariorum.	*Hegilwich*, uxor *Welfi*, Ducis Bavariorum.
Ecbertus, Dux Saxoniæ, uxor eius *Ida.*	*Iudith*, uxor *Ludovici Pii.*
Hadwi, Abbatiſſa Herifordenſis.	*Carolus Calvus.*

Quartus vero cognationis gradus hic erit:

Carolus Martellus.

Pipinus, Rex Francorum.	*Bernhartus.*
Carolus M.	*Ida*, uxor *Ecberti* Ducis.
Ludovicus Pius.	*Hadwi*, Abbatiſſa Herifordenſis.
Carolus Calvus.	

Hæc nos primum feliciter explicuiſſe, ſperamus. Ut vero omnia, hactenus dicta, uno intuitu eo melius diſpicere poſſis, Schema genealogicum, teſtimoniis ſcriptorum coætaneorum iam ſupra probatum, atque infra latius probandum, adiungimus:

Vide Tabulam ſub Signo ⊙.

Pagum

(t) Pagum *Niſtharſi* nullum eſſe alium, quam iam ſæpius nominatum pagum *Nithenſe*, *Nithega*, & *Netga*, apparet ex noſtro *Regiſtro Bonorum & Proventuum Abbatiæ Corbeienſis*. Qui enim in Codice noſtro appellatur *Niſtharſi*, in *Regiſtro Abbatis Corbeienſis Sarachonis* nuncupatur *Nithega* pagus. Sine dubio *Ida* Duciſſa in traditione ſua nomen ita retinuit, uti id reperit in Diplomate Cæſaris *Hludovvici*, id quod ipſa eadem occaſione Abbatiæ noſtræ, & filio ſuo *Warino*, abſque dubio tradidit. Ipſum Diploma *Ludovicianum* iam dabimus, ſimul ac monuerimus, probabiliſſimum eſſe, per villam *Ymminchuſen* intelligi vicum *Himmighuſen* in Epiſcopatu Paderbornenſi, haud procul ab oppido *Nihem*, ad rivum dictum *die Fiſchebeke*, qui ab Embrina ebibitur fluvio, poſitum. In eadem villa nobiles domini *de Schilder* poſſedere bona feudalia pariter atque allodialia. Illa acquiſivere iidem ab eccleſia Paderbornenſi, hæc a Corbeienſi; atque hæc iam ſpectant ad *nobiles dominos de Donop*. Iam accipe Diploma (*) Cæſaris *Hludovvici*, nunquam antea editum:

„In

(*) Pervelim ſcire, an hoc Diploma, & alia vetuſta Corbeienſia monumenta, ſint ſatis genuina. Monachi Corbeienſes ad Viſurgim erant primi, qui norant artem conſcribendi Diplomata. Monachis certe quondam ea erat cura tradita, ut ipſi ſcriberent ac docerent formulas, ſeu modulos, Diplomatum & actorum publicorum, artemque eam diſcipulis inſtillarent. Ediderunt *Iſonis* Monachi formulas eiusmodi *Goldaſtus* & *Baluzius*. Vid. *Hiſtoire litteraire de la France To. V p.* 401. Confer

„In nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu„ Chriſti *Hludouuicus* diuina ordinante prouidentia„ Imperator Auguſtus. Si iuſtis petitionibus unius fi-„ delis noſtri aurem accommodamus, ſine dubio reli-„ quorum animos in ſuo obſequio promptiores reddi-„ mus. Idcirco notum ſit omnium fidelium noſtro-„ rum, tam praeſentium, quam & futurorum, indu-„ ſtriae, qualiter *venerabilis Ida, propinqua noſtra*, ve-„ niens ad nos, rogauit celſitudinem noſtram, ut res, „ quas ei *maritus eius Ekbertus quondam fidelis co-*„ *mes noſter* in *pago Niſtharſi* in *uilla Immincbuſen*„ conceſſit, per noſtrae manſuetudinis auctoritatem „ confirmaremus, cuius rationabili petitioni aſſen-„ ſum praebentes per hoc &c. „

Signum domni *Hludouuici*, Sereniſſimi Impe-„ ratoris auguſti, *Hrotmundus* notarius ad uicem „ *Hilduuuini* recognoui & ſcripſi. **(L. S.)** data XI Kal. Decembris anno Xpo propitio XXV„ imperii domni *Hludouuici* Sereniſſimi Imperato-„ ris, indict. 1, actum *Ingelenheim* palatio reg. in Dei„ nomine feliciter amen. „

Adiectum eſt Monogramma & Sigillum Cæſa-ris, nec non ſignum *Hrotmundi* notarii, accura-tiſſime delineatum. Apparet omnino ex hiſce, quam longe aberraverint a veritate quidam viri docti,

fer *M. Felibianum* in Præf. ad librum, *L' Hiſtoire de l' Abbaye Royale de S. Denys. Hieronymus Bignonius* edidit Pariſiis A. 1613, 8, *Marculfi Monachi Formularum Libros duos*, item *Veteres Formulas incerti Auctoris.* I. C. Harenberg.

docti, qui, *Idam* Ducissam iam anno 810 obiiſſe (**), perhibuerunt.

V.

DE REFORMANDA GEOGRAPHIA MATHEMATICA, EAQUE PRACTICA, DISSERTATIO IO. CHRISTOPHORI HARENBERGII.

I.

Scientiarum omnium vis ac finis eo potiſſimum tendit, ut intelligentiam ſententiarum, quae ad vitam humanam bene beateque inſtituendam aliquid adiumenti conferunt, edoceamur, atque ea fini rationibus, quibus aſſenſus vel obtinetur, vel confirmatur, nos commoveri ſentiamus. Quarum quidem rationum fons ita eſt comparatus, ut gemina origine nitatur. Alias enim duce experientia, dubitationum experte, de ſententiae, ſeu pronuntiati, indole, nexuque, atque de cogitatorum ordine, certi ſumus atque convicti; alias vero-

(**) *Anton. Uldarici Erathi Tabulae chronologicae Brunſuico-Luneburg. p. 1.* Hae ſunt pars Conſpectus Hiſtoriae Brunſuico-Luneburg. univerſalis, ad quem alibi elimationes & emendationes ſuppeditabimus. *Agenda* certe *eccleſiaſtica Clarae Kannen de Canſtein* non ſpectant ad *Comitatum Bruchauſen*, ſed ad villam *Brùchuſen*, locum intra terras Abbatis Corbeienſis ſitum. *I. C. Harenberg.*

ro ſententiis album adiicimus calculum ob immota principia, cognitionisque veluti fontes, e quibus prorſo ratiocinandi flumine pronuntiata emanant & hauriuntur. Ea de cauſa veteres Philoſophi ſcientiam bipartiti fuerunt, illam appellantes ὅτι, hanc vero διότι. Quis vero, Geographiam mathematicam in ſcientiarum numero eſſe reputandam, inficiabitur? Et hinc porro colligitur, nihil in Geographia mathematica pro vero eſſe amplectendum, niſi quod ad alterutram, vel utramque, rationem poſſit reduci, atque ſolide revocari.

II. Cum itaque figura globi, terram aquamque complexi, vulgo ab architectis Mapparum geographicarum univerſalium exiſtimetur prorſus ſphærica; in ipſam hoc modo peccari experientiam, manifeſtum eſt, ſimul atque intelligimus, diametrum telluris, ab uno polorum ad alterum productam, eſſe breviorem atque contractiorem ea, quæ ab oriente ad occaſum per extima Æquatoris puncta oppoſita ipſumque terræ meditullium ducitur. Fieri quoque potuit, ut figura telluris coerceretur diametro polis interiecta longiori, & altera illa per centrum terræ ducta breviori. Tria proinde de figura telluris circumferuntur pronuntiata & doctorum decreta. In vulgari & antiquiori opinione tellus putatur pilæ ſphæræque ſimilis. *Newtoniani* diametrum, polis interiectam, decurtant; *Caſſiniani* e contrario eam producunt.

III. Summus *Hugenius* (*a*) & illuſtris *Iſaacus* *New-*

(*a*) In *Diſcurſ. de Cauſa gravitatis p.* 154 *ſeq.*

Newtonus, (*b*) qui motum vertiginis telluri attribuunt, terram exiſtimant ſub Æquatore eſſe altiorem & diductioris diametri, quam in illo intervallo, quod polum interjacet utrumque. Ille rationem diametri maioris ad minorem definivit eſſe talem, qualis exiſtit inter numeros 578 & 577; hic vero terram ſub Æquatore tradidit altiorem eſſe, quam a polo uno ad alterum 85820 pedibus Pariſinis, ſeu milliaribus 17$\frac{1}{6}$. Sectatores *Dominici Caſſini* in alia eunt omnia, & diametrum, quæ polos telluris interiacet, maiorem eſſe ducunt ea, quæ ab oriente ad occaſum per terræ meditullium protrahitur (*c*).

IV. At idem *Caſſinus*, diametrum Iovis, quæ polis eius intercipitur, minorem eſſe diametro altera, dudum obſervavit (*d*). Unde ſubit mirari, cur idem ab analogia planetæ unius ad alterum rationes ducere recuſaverit. Finis enim idem propoſitus eſt ſingulis planetis reſpectu motus vertiginis. Qui intelligunt, adminiculis iisdem generalibus obtineri vitam & motum brutorum, ii haud recuſant exiſtimare, ſingulis canibus ineſſe ſtomachum, cor, hepar, inteſtina, ſplenem, pulmones, ſimul ac, diſſecto uno cane, animadverterunt, hiſce vaſis vitam & motum ei conciliari ac obtineri & continuari.

V. *New-*

(*b*) In *Princip. Phil. nat. mathematicis Lib. III Prop. 19 p. 378 ſeq. edit.* Amſtelod. 4, 1723.

(*c*) Cel. *Andreas Celſius* in *Novis Eruditorum Actis A. 1738 p. 322 ſeq.*

(*d*) *Newton. l. c. p. 318* & Ill. *Chriſtianus Wolffius* in *Elementis Aſtronomiæ §. 465 p. 474* edit. prim.

V. *Newtoniani* ex virium centrifugarum inde a polo utroque ad Æquatorem incrementis, adſcita in medium obſervatione pendulorum horologii oſcillatorii haud una, paſſim inſtituta, complexum ſententiæ ſuæ præmunire contendunt. Licet vero *Caſſinus* hanc obſervationem haud magni feciſſet; eam tamen meditatione ac cura ſua dignam iudicavit Cel. Dominus *de Maupertuis*, quippe qui ſententiam *Newtoni* ex obſervationibus pendulorum ac cognatis doctrinis mechanicis confirmavit, atque copioſe expoſuit, in ſcripto, Pariſiis A. 1733, 8, edito, cuius eſt index: *Diſcours ſur les differentes Figures des Aſtres.* Legitur huius libelli ſumma in Ephemeridibus Pariſinis, *Iournal des Sçavans, A. 1733 Iunio p. 217 ſeq.* ac in *Novis Eruditorum Actis* eodem *Anno, Menſe Iulio, p. 316 ſeq.*

VI. Eodem in clivo ſudavit ſummus ille poſt fata *Iacobus Hermannus* in Opere ſuo *de Phoronomia*, ſeu *de Motu ſolidorum & fluidorum*, ac in aliis ingenii vaſtiſſimi monumentis. *Newtonus* diametrum polarem & alteram determinaverat per habitudinem numeri 229 ad 230. *Hermannus* autem terram putavit eſſe quoddam ellipſoides, in quo diameter Æquatoris ad diametrum axis ſeſe habeat ut 289 ad 288.

VII. Tandem Ill. Dominus *Maupertuis*, comitatus viris præſtantiſſimis, ac Societatis Regiæ Pariſienſis ſodalibus, *Clairaut*, *Camo*, & *Le Monnier*, paucis abhinc annis in Lapponiam ipſam miſſu regio profectus eſt, atque tum ex triangulis maioribus, ibi menſuratis, tum ex pendulorum ponderibus, collegit atque deprehendit, *Caſſinianam* opi-

nionem ab ipſa experientia everti, ac diametrum axis telluris breviorem eſſe diametro altera, & quidem plus, quam ipſe *Newtonus* exiſtimaverat. Vir, excellens mathematicis ſcientiis admodum, operationes ſuas & mechanicas & geometricas, in Lapponia peractas, Pariſios redux, edidit, lectoresque ſententiam ſuam condocefecit. Librum ipſum inſcripſit hoc modo: *La Figure de la Terre, determinée par les Obſervations de Meſſieurs de Maupertuis, Clairaut, Camus, Le Monnier, de l'Academie Royale des Sciences, & de M. l'Abbé Outhier, Correſpondant de la même Academie, accompagnés de M. Celſius, Profeſſeur d'Aſtronomie à Upſal, faites par ordre du Roi au Cercle Polaire. Par Monſ. Maupertuis. A Paris*, 1738, 8. Summam ſcripti licet haurire ex ephemeridibus eruditorum, e. g. *Iournal des Scavans 1739 Ianv. p. 24 ſeq. gelehrten Leipziger Zeitungen A. 1738 p. 25 ſeq.* & *p. 57 ſeq. Novis Eruditorum Actis A. 1739 Menſ. Ianuar. p. 40 ſeq.* & ex *Obſervationibus literariis*, quæ in lucem emittuntur Veronæ opera Ill. Marchionis *Scipionis Maffei*, ſeu *Oſſervazioni letterarie, T. IV p. 253 ſeq.* in quibus legitur Diſſertatio, ſic inſcripta: *Iſtoria della controverſia ſu la figura della Terra, con la notizie della relazione fatta ultimamente da quegli Accademici delle ſcienze, perciò ſtati ſpediti nella Lapponia.* Ad eosdem corymbos referenda eſt *de Obſervationibus pro figura Telluris determinanda in Gallia habitis Diſquiſitio, Autore Andrea Celſio*, quæ *Novis Eruditorum Actis A. 1738 Iunii P. I p. 317 ſeq.* legitur inſerta. Spectat huc inprimis *Petri Horrebowii*, Aſtro-

Aſtronomi Hafnienſis, *Telluris theoria, ad obſervationes Aſtronomorum Regiæ Academiæ Scientiarum Pariſienſis exacta*, Havniæ edita A. 1739, 4. Confer *Iournal des Sçavans 1739 Nov. p. 424.* De hiſtoria variæ dimenſionis, qua Mathematici tellurem diiudicarunt, ſolide & compendioſe diſſeruit is, qui in *Novis Eruditorum Actis A. 1738 p. 79 ſeq.* dixit de Viri Cel. *de l'Isle* ſcripto, Petropoli edito A. 1737, 4, ac ita inſcripto: *Projet de la Meſure de la Terre en Ruſſie. Mairanus* operæ pretium duxit, *Caſſinianam* cum *Newtoniana* in concordiam redigere opinionem. *Deſagulierius* autem *Mairano* ſeſe obiecit, & haud ſecus ac *Celſius* in *Caſſiniana* ſententia multum iudicavit cenſura eſſe notandum. Exſtitit quidam, qui ſingulorum ſententias, ác ipſam *Deſagulierii*, ſub examen vocavit, evulgato Oldenburgi ſcripto A. 1740, 8, & Amſtelodami A. 1741, 8, denuo in lucem emiſſo, cui titulum præfixit: *Examen desintereſſé de differens Ouvrages, qui ont é é fait pour determiner la Figure de la Terre avec l'Examen des trois Diſſertations de Mſr. Deſaguliers* (e). Dominus *d'Anville*, Geographus Regis Galliarum ordinarius, *Caſſinianam* ſententiam emendare conatus, operationibus quibusdam geometricis ſeſe adeo putavit adiutum, ut trecenta milliaria Gallica ex peripheria telluris, qualis ipſa vulgo ſub Æquatore exiſtere videtur, ſtatuat recidenda, ratus, figuram telluris verſus polos ratione ſub ſenſum cadente

(e) *Beytræge zu den Zeitungen von gelehrten Sachen VI Band p. 759 ſeq. Nova Acta Eruditorum A. 1741 Sept. P. I p. 520 - 523.*

dente eſſe oblongam. Edidit hunc in finem ſpecimen geographicum, quod inſcripſit: *Propoſition d'une meſure de la Terre, dont il reſulte une diminution conſiderable dans ſa circonference ſur les paralleles*, Paris. 1735, 12 (*f*). Idem appoſuit orbi erudito iterum anno ſequenti opinionem eandem, ediditque libellum, cui eſt titulus: *Meſure conjecturale de la Terre ſur l'Equateur, en conſequence de l'étendue de la Mer du Sud.* Paris. 1736, 12 (*g*). Examinavit hanc conjecturam *Simoninius*, Profeſſor Hydrographiæ Baionnenſis, in ſcripto peculiari, quod ipſe A. 1738 Academiæ Scientiarum Regiæ Pariſienſi dedicavit. Hic, figuram telluris prorſus eſſe ſphæricam, ſibi perſuaſit, vix ferens conata *Anvillii*, qui circulum Aequatoris contrahere & imminuere ſtuduerat. Propugnavit ſententiam ſuam denuo *Anvillius* in ſcripto, cui titulus: *Réponſe de Mſr. d'Anville au Memoire envoyé à l'Academie Royale des Sciences contre la meſure conjecturale des degrez de l'Equateur, en conſequence de l'étendue de la mer du Sud.* Paris. 1738, 12 (h). Adeo hic a viris doctiſſimis omnia ſunt implicata, & tricis opinionum involuta. Conferri hic dignæ ſunt Diſſertationes duæ, una *Vincentii de Gambara*, inſcripta *de Veterum argumentis pro Telluris ſphæricitate*, ac altera *Ioſephi Paſſi*, *de Telluris figura.* Utraque in lucem emiſſa fuit Romae A. 1739, 4. Summam earum perluſtrare licet in *Novis Eruditorum Actis A. 1740 Ian. p. 25 ſeq.*

VIII. Quis vero de adornandis Mapparum geogra-

(*f*) *Iournal des Sçavans 1735 Mars p. 402 ſeq.*

(*g*) *Iournal des Sçavans 1737 Maj p. 3 ſeq.*

(*h*) *Iournal des Sçavans 1739 Fevr. p. 186 ſeq.*

graphicarum uniuerſalium figuris tabuliſque certus eſſe poteſt, niſi liceat ex diverſis hiſce opinionibus eluctari, atque in lucem eniti? Quæſtio enim de telluris figura non eſt duntaxat curioſitatis pabulum. Ipſa omnino ſpectat ad rei hydrographicæ nauticæque uſum, & ad eius certiſſima incrementa (*i*), ne quid de conſtructione tabularum geophicarum ſolide condendarum longe utiliſſima aggrediar commemorare. Patet itaque, quanta emendatio ſit Geographiæ mathematicæ, eique practicæ, impendenda. Motus certe vertiginis, qui telluri ineſt, non poteſt non gravitatem diſpenſare diverſa ratione, ac continuo decreſcere verſus Æquatorem, præcipue cum idem effectus in reliquis (*k*) planetis appareat & exſtet.

IX. Quæritur merito, quanta ſit parallelorum intercapedo, & quanto ipſi ubique diſtent intervallo. Sed, ut eam recte ſolvamus quæſtionem, neceſſum eſt, ut magnitudo unius gradus innoteſcat. *Dominicus Caſſini*, anno 1700 dimenſus iuſſu Regis labore iterato ſpatium $7\frac{1}{2}$ graduum, quantitatem unius reperit 57292 hexapedarum Pariſienſium. (*l*) *Norwoodus*, Anglus, circa annum 1635 intervallum ſpatii inter Londinum & Eboracum in Anglia dimenſus, menſuram gradus unius reperit pedum Londinenſium 905751, id eſt, hexapedarum Pariſienſium 57300 (*m*). Ex *Caſſiniana* ſententia, ſi calculum

 pro

(*i*) *Iournal des Sçavas 1739 Ianv. p. 25.*

(*k*) *Chriſtianus Wolfius* in *Elementis Aſtronomiæ* §. 547, 549, p. 493.

(*l*) *Memoires de l'Academie Royale des Sciences A. 1701 p. 237.*

(*m*) *Newtonus* in *Princ. phil. nat. mathem. Lib. III Prop. 19 p. 370.*

pro ratione diametri ad peripheriam Metiana ſubducimus; conſequitur efficiturque, ſemidiametrum terræ, pro ſphærica reputatam, æqualem eſſe pedibus Pariſinis 57292 (n). Si calculo *Norwoodi* utamur, ſumma prodit omnino maior. Dominus *d'Anville* ambitum terræ, Æquatori ſubiectæ, quem *Newtoniani* ſolito reddunt maiorem, truncat minuitque 300 leucis Gallicis. Nonne idcirco certis ſolidisque principiis opus eſt, ut a vagis hiſce & invicem pugnantibus decretis liberati, ad fortunatam veritatis arcem, in qua pedem ſecure liceat ponere, transferamur? Ii, qui *Caſſinianam* computationem ſingulis parallelis applicant, intra 100 gradus longitudinis admittunt ex ſententia *Newtoni* errorem graduum duorum. Reſtat itaque, ut vires impendantur 1) inquirendo circulo polari antarctico, & gradus unius ibi computationi, 2) rationi decrementorum ponderis horologiorum oſcillatoriorum per ſingulos gradus latitudinis inde a circulis polaribus usque ad Æquatorem determinandæ, ac 3) inveſtigandis gradus unius menſuris per regiones varias, non eodem iacentes ſub ſole. Si enim figura terræ, & magnitudo parallelorum eius, eaque determinata, in lucem plenam fuerit protracta, tunc & parallaxin lunæ licebit tuto determinare, quæ determinatio tum in Aſtronomia, tum in Geographia mathematica, inſignem ſpondet utilitatem, præcipue in gradibus latitudinis definiendis ſeſe prodituram. An differentia motus pendulorum in locis diverſis huic inſtituto perficiendo

(n) *Chr. Wolfius* in *Elementis Geogr. & Hydrographiæ* §. 42 p. 619.

do ſit ſatis apta, dubitari cœptum eſt, ex quo *Piccartus* memoriæ prodidit, ſeſe in auſtralibus Galliarum terris eandem oſcillationis rationem, ac in regno Daniæ, animadvertiſſe *(o)*. Inveſtigandum proinde relinquitur Mathematicis, an 1) huic obſervationi fides ſit habenda; 2) an obſervationes, in terra inſtitutæ, diſcrepent ab obſervationibus, ſub eodem latitudinis gradu ſuper mari ſuſceptis; 3) an viciſſitudo aeris vim quandam in pendula accelerandа, vel retardanda, poſſit emittere; 4) an pendulorum motus ab aere magis minusve rarefacto indipiſcantur diverſitatem; an vero 5) varietas motus pendulorum vel ex ſolo vertiginis terræ motu, vel ex eo ipſo, per aerém denſiorem, vel rariorem, determinato coniunctim, ſit explicabilis; ac denique 6) an denſitas materiæ paſſim in tellure diſcrepet, ac in ipſam pendulorum commotionem ſimul varietatem quandam immittat. Ipſe Ill. *Iſaacus Newtonus* rationem habuit materiæ denſioris ac rarioris, nec non aeris in Zona torrida calidioris. En eius (*p*) verba: *Terra aliquando altior eſt ſub Æquatore, quam pro ſuperiore calculo, & denſior ad centrum, quam in fodinis prope ſuperficiem, niſi forte calores in Zona torrida longitudinem pendulorum aliquantulum auxerint.* Accedit, quod aeris in uno loco nec omnibus anni temporibus, nec ſingulis diei partibus, eſt denſitas eadem, ac reſpiciendum videtur ad altitudinem ac profunditatem loci, in quo capiuntur experimenta. Barometra oſtendunt differentiam altitudinis

S 5 loco-

(*o*) *Iournal des Sçavans 1739, Ianv. p. 51.*

(*p*) In *Philoſophiæ naturalis principiis mathematicis Prop. XX Problem. 4 p. 385 ſeq.*

locorum quidem quadantenus, at accurationi mathematicæ haud faciunt ſatis. Unde quidem intelligi videtur, nondum ſufficere experimenta illá, quæ huc usque docuerunt diverſitatem vibrationis pendulorum in locis, magis minusve ab Æquatore disiunctis, ſed exſpectari complura, ne dicam pluribus momentis adſtricta, experimenta. *Newtonus* credidit, diverſitatem diametrorum telluris eſſe tam exiguam, ut eius in Mappis geographicis adornandis nulla ſit habenda ratio (q). At *Maupertuiſius* ſibi perſuaſit, diverſitatem illam omnino eſſe tantam, ut in tabulis geographicis univerſalibus condendis ad eam ſit reſpiciendum. Obſervationes eclipſium lunarium, ſolicite inſtitutæ, docebunt tandem Aſtronomos, quanta ſit illa diametrorum telluris diverſitas, an ipſa ſit penſi alicuius habenda, an vero ſenſibus ſubducta; & an ipſa, ſolide ex obſervationibus eiusmodi collecta, congruat diverſitati motus pendulorum, paſſim annotatæ. Quæ cum ita ſint, perſpicitur nullo negotio, quantum Aſtronomis & Geographis Mathematicis ſit æquor arandum, antequam tuto liceat pronuntiare, quænam præciſe figura ſit globo telluris noſtræ attribuenda.

X. Cum itaque de figura telluris nondum prorſus certi ſimus, ac diverſitas diametrorum eius non poſſit non ex motu vertiginis profluere, nec tamen hæc ad accurationem omnem fuerit perducta; nemo non intelligit, Geographos practicos merito ſubdubitare de ſphærica, quam ipſi globo terraqueo impertiunt, figura, licet adhuc igno-

(q) Loco laudato *p. 383.*

ignorent, quantum ſit alteri diametrorum ſubtrahendum, vel adiiciendum, & quantum ad ipſos hæc differentia ſpectare videatur. Sperandum tamen eſt, fore tempus, quo illæ lites de figura telluris determinentur, & componantur. Experimentis vero compluribus ac iteratis opus eſt, ut nebulæ diſſenſionum diſpellantur, & amice profligentur.

XI. Si tabularum geographicarum faciem per ætatum ſucceſſiones luſtramus, re ipſa animadvertimus, ipſas continuis reformationibus excultas & expolitas fuiſſe. Illæ initio admodum rudes & imperfectæ exſtiterunt. Clypei inſtar Autores rei geographicæ primi mappulas ſuas delinearunt. *Vulcanum* in clypeo *Achillis* terram & cœlum & mare effinxiſſe, *Homerus* eſt autor *Iliad. XVIII v. 341*, unde & *Ovidio* dicitur *hic clypeus vaſti cælatus imagine mundi*, *Metam. XIII Fab. 1.* Omnem dimenſionem veteres ab umbone clypei, ac deinde ab umbilico, exorſi fuerunt. Dimenſionem omnem ab umbilico fuiſſe cœptam, conſtat ex Talmudicorum libello *Sotah*, ad quem conferendus eſt *Wagenſeilius* in *Annotationibus p. 904.* Inde dicitur *e medio pedum Iudæ* ſceptrum haud eſſe receſſurum, *Gen. XLIX, 10*, ac Meſſias traditur habitaturus *inter humeros Beniaminitidis*, *Devt. XXXIII, 12.* Veteres Geographi orbem rotundum delineabant, lineis tropicis, climatibusque deſtitutum. Ipſi urbem primariam ponebant in medio, tanquam umbonem, vel umbilicum (*r*). Græcorum

(*r*) *Henr. Dodwellus* in Diſſ. *de Dicæarcho, eiusque fragmentis*, §. 7 *p. 18*, *Vol. II Hudſoni.*

rum Geographi Delphos pro umbilico in medio ponebant, teſte *Strabone Lib. IX p. 419. Agathemerus* idem ſtatuebat (*s*), æque ac *Heſychius* in voce ὀμφαλὸς, & *Euripides* (*t*). Eandem opinionem ſecuti alii, Parnaſſum in medio telluris collocarunt (*u*). *Xenophon* id honoris detulit Athenis (*x*): Iudæorum Geographi Hieroſolymam in medio poſuerunt. Unde Iſraelitæ dicuntur habitare *circa umbilicum terræ, Ezech. XXXVIII, 12. Egeſippus* de Excidio Hieroſolymitano *III, 6*, luculente: *Hieroſolyma velut umbilicus regionis totius, ut prudentibus placuit.* Commentatorum fuerat, notaſſe, Hieroſolyma etiam *Iud. IX, 37*, dici *umbilicum regionis*, ni Sichemum ibi intelligi malint alii. Origo huius denominationis e vetuſtiſſimo Geographorum more eſt exponenda. Ignoravit id ipſum præſtantiſſimus olim *Hadrianus Relandus* (*y*). *Dicæarchus*, æque ac *Eratoſthenes*, ignoravit partes orbis ſeptentrionales & occidentales, teſte *Strabone Lib. II p. 104.* Quare *Dicæarchi* tabulæ geographicæ immenſis ſcatuerunt erroribus, teſte *Agathemero Lib. I cap. 1. Dicæarchus* cum *Democrito* credidit, figuram telluris eſſe oblongam. *Agathemerus* in *Geographiæ compendiariis expoſitionibus* loco laudato tradidit, *Anaximandrum Mileſium*, *Thaletis* diſcipulum, auſum fuiſſe primum in tabula deſcribere orbem terrarum. Poſt eum,

(*s*) In *Hypotypoſi Geographiæ in Epitome Lib. I Cap. 1 p. 2.*

(*t*) In *Oreſte v. 330 ſeq.*

(*u*) *Statius Thebaidos Lib. I v. 118.*

(*x*) In libro Πόροι *p. 920.*

(*y*) In *Palæſtinæ Lib. I Cap. 10 p. 52.*

eum, ut idem refert, *Hecatæus Mileſius*, vir multæ peregrinationis, mira diligentia rem exquiſivit. *Hellanicus* deinde *Lesbius*, vir polyhiſtor, ſine colore & tabula hiſtoriam tradidit. Hinc *Damaſtes Cittienſis* ſcripſit navigationis circuitum, quamplurimis rebus ex *Hecatæo* transſcriptis. Poſtea *Democritus* & *Eudoxus* aliique quidam itinera & circumnavigationes terræ mandarunt literis & compoſuerunt. *Veteres illi orbem terrarum deſcripſerunt veluti rotundum, rati, Græciam, & in hac Delphos, tenere telluris umbilicum. Primus vero Democritus ſibi perſuaſit, terram eſſe oblongam, ita, ut longitudo ad latitudinem habeat rationem ſesquialteram. Acceſſit huic & Dicæarchus Peripateticus. Eudoxus tradidit, longitudinem ad latitudinem eſſe in ratione dupla. Crates ſemicirculo ſimilem credidit. Hipparchus putavit, figuram telluris eſſe ſimilem menſæ, alii caudæ belluinæ. Poſidonius Stoicus fundæ ſimilem tradidit, cuius media latitudo ab auſtro in boream pateat, anguſtior pars circa Orientem & Occidentem procedat, ſic tamen, ut latior ſit, qua India pertinet ad eurum.* Hæc *Agathemerus*. Comparatio illius longitudinis ad latitudinem inſtituta non ſpectat ad omnem tellurem, ſed ad terræ partem, ea ætate cognitam, atque deſcriptam, *Anaximandro Mileſio* Græci tribuerunt inventionem tabularum geographicarum (z). Tabulam geographicam ab *Ariſtagora Mileſio Cleomeni*, Lacedæmoniorum Regi, fuiſſe miſſam, æneæ laminæ inſcriptam, teſtis eſt *Herodo-*

(z) *Diogenes Laertius Lib. II n. 2, Strabo Lib. I p. 7, Agathemerus l. c.*

rum remotiorum a fabulis abſtinuit *(h)*. *Cæſar* & *Octavianus* deſcribi iuſſerunt orbem terrarum ſecundum locorum intervalla & familiarum opes ac capita. *Deſcriptiones* eiusmodi vocantur *(i)* **ἀναγραφαί**. Deſcriptionem eiusmodi curavit per Palæſtinam *Cyrenius*, cum Ieſus naſceretur Bethlehemi. Per Præſides ac Procuratores provinciarum hæ deſcriptiones haud ſolebant curari, licet ipſi ſubvenirent Cæſarum inſtituto. Si interpretes *Lucæ* hoc ſecum perpendiſſent, circa *Cyrenium* hæſitare ſeſe duxiſſent indignum. Ipſe enim *Cyrenius* tunc haud præſedit Syriæ ut iudex & Proconſul gentis, ſed fuit *Procurator* illius per Syriam deſcriptionis, ac hoc ſenſu dicitur a *Luca II*, *2*, *ἡγεμονεύων τῆς Συρίας*. *Auguſtus* enim hominum terrarumque deſcriptiones mandavit viris, qui a Præſidibus provinciarum ordinariis prorſus erant diverſi, *Dione* teſte. *Dicæarchus* deſcriptionem Græciæ geographicam æque appellavit **ἀναγραφήν**. Orbem Romanum ratione intervallorum deſcribendum geographice curavit *Iulius Cæſar*; ipſe cum *Marco Antonio* Conſul; deſtinationem vero demum annis poſt 32 perfecit *Auguſtus*, teſte *Æthico* in *Proœmio Coſmographiæ* (*). Deſcriptionem illam paulatim auxerunt ac interpolarunt homines ætatum conſequentium, donec inde enatum

(h) Idem *l. c.*

(i) *Dio Caſſius Lib. LIII p. 496, 512, Lib. LIV p. 545*, & *Lib. LV p. 557*. Fragmentum *Itinerarii Antonini Pii*, a *Ioſia Simlero* editum cum *Æthico* Baſil. 1575, 12, *p. 295*: *Auguſtus in deſcriptione locorum orbis multa memoratu digna ſiluit.*

(*) Conf. *Plinius H. N. VI*, 27, *Strabo Lib. IV p.* 177.

natum fuit id, quod vulgo vocatur, Itinerarium *Antonini*. Deſcriptionibus hiſce pleraſque Mappas geographicas (*k*) debemus, uno ac altero loco excepto, quem Mathematici ex umbra conti, ad perpendiculum erecti, die longiſſimo, ſeu ſolſtitiali, vel etiam æquinoctiis ipſis, notaverunt. Ipſe *Hadrianus Relandus* illis paſſuum ac ſtadiorum numeris tabulam Palæſtinæ, a ſeſe confectam, ſuperſtruxit. Præſtat enim ſæpius, aliquid, quam nihil, in Mappis geographicis videre delineatum atque expreſſum. At, obſecro, qui fieri potuit, ut ex hac numerorum conſideratione tabulæ (*l*) effici potuerint accuratæ? Plagæ mundi abſunt ab iis deſcriptionibus, nec intervalla geometrice fuerunt determinata.

XII. Rectius loca præcipua in Mappis collocantur ſecundum gradus latitudinis & longitudinis recte inveſtigatos. Latitudo loci detegitur facillime vel per elevationem poli quæſitam, vel per longitudinem umbræ conti, ad perpendiculum erecti, in planitie horizontali, cui inſcripta eſt linea meridiana, in æquales particulas accurate diviſa, notatæ. Ut elevatio poli recte obſervetur, tabula opus eſt, quæ oſtendat gradus refractionis per circuli quadrantem. Refractio autem eo maior eſt, quo ſtellæ propius ab horizonte abſunt, & quo propius polos habitamus. Methodus altera priori eſt ſecurior & facilior. Si enim ſupra planum horizontale AB meridianus curate ſit delineatus, & in partes æquales diviſus, nec non contus AB, ad per-

(*k*) *Snellius l. c. Cap. 16 p. 237.* (*l*) *Snellius p. 235.*

perpendiculum erectus, isque ſat longus, præſto fuerit; ſentiemus, umbram conti in meridiei puncto eſſe breviſſimam, & in meridianum incidere. Contus diviſus ſit, neceſſum eſt, in easdem partes æquales. Exſtant itaque hac ratione in triangulo rectangulo duo latera data, contus & umbra determinatæ longitudinis. Colligimus itaque loci latitudinem hunc in modum beneficio Trigonometriæ planæ: Ut logarithmus longitudinis, quæ eſt lateris A B, ſeſe habet ad logarithmum longitudinis, quæ eſt lateris A C; ita logarithmus totius ſinus ſeſe habet ad Tangentem anguli ABC, ſeu ad intervallum ſolis a puncto verticis, ſive Zenith. Si hæc operatio fuerit inſtituta tempore æquinoctii, ex ipſa ſtatim pateſcet loci latitudo. Sin vero ea alio tempore fuerit peracta, declinatio ſolis in latere boreali eſt addenda; in latere vero auſtrali eſt ſubtrahenda. In ſolſtitio æſtivo ſol declinat a Zenith noſtro 23 gr. & 29 min. 54 ſec. ſeu 23° 30′. Hic operationis motus veteribus Geographis iam fuit percognitus. *Plinius H. N. II*, 72, & *Vitruvius IX*, 8, tradunt, Romanos in plano horizontali lineam meridianam deſignaſſe, atque illam diſtribuiſſe in novem partes æquales, ac intra æquinoctium umbram ſolis incidiſſe in finem partis octavæ, indicemque, ſeu contum, altum fuiſſe novem partibus æqualibus eisdem. Unde efficitur, Romæ latitudinem æqualem eſſe 41 gradibus ac 25 minutis. Recentiores diviſionem adhibuerunt particularum complurium, nec tamen plures gradus detexere. *Blanchinius* reperit per curatiſſimum experimentum 41° 54′. Præſtat, indicem eſſe ſatis longum, & in particulas plurimas diviſum. *Strabo* refert *Lib. II p.* 133, longitudinem

in-

indicis ad longitudinem umbræ ſeſe Carthagine habere, ut 11 ad 7, id eſt, ut 77 ad 49. Unde intelligitur, Carthaginem abeſſe ab Æquatore 32° 13′. Idem tradit, Alexandriæ intra Ægyptum longitudinem indicis ad longitudinem umbræ reperiri, ut ſeſe habet 5 ad 7. Sed reſcribendum eſt, *ut ſeſe habet* 10 *ad* 7. Novimus enim aliunde, latitudinem Alexandriæ eſſe 31° 11′. Utinam multæ eiusmodi veterum exſtarent obſervationes! Longitudines vero locorum ex comparatis inter ſeſe eclipſium obſervationibus ſolidis facile determinantur. Confer *Nürnbergiſcher merckwürdiger Himmelsbegebenheiten* IX *Stück A. 1738 §. 9 p. 71.* Cavendum modo, ne quid vitii admiſceatur obſervationi, ut gradus refractionis debite ſubtrahantur, & ut inſtrumenta orichalcea nec frigore, nec calore, afficiantur maiori.

XIII. Diſſerendum eſt de alia Geographiæ inconvenientia. *Sanſonius* uterque receſſit a figura telluris in delineatione tabularum ſpecialium, ac loco curvarum linearum, quibus tellus repræſentatur, invexit rectas, ac ita egit, quaſi partes globi terraquei in plano poſitæ eſſent. Cum vero Geographi, qui Mappas geographicas conſtruit, eæ ſint potiſſimum partes, ut ipſe figuram partium telluris æmuletur & exprimat; ipſe ac ſectatores eius in hunc usque diem figuram partium telluris genuinam negligunt, & e contrario nobis planas exhibent formas, quibus facies terræ in Mappis admodum deformatur. Applaudendum eſt hæredibus *Homannianis*, qui ſuaſu B. *Ioannis Matthiæ Haaſii* conſilium ſuſceperunt, Mappas in poſterum dandi, ad proiectionis Stereographicæ le-

gem conformatas, ac figuræ telluris, oculoque ſpectatoris, reſpondentes. Effectui dederunt illi id conſilii iam in editis tabulis haud unis. Optandum eſt, ut iidem id conſilium porro etiam ſequantur, & figuras Mapparum ad figuram telluris reducant. Quis enim ſibi perſuadebit, ſuperficiem telluris e trapeziis rectilineis quadrilateris proportionalibus compoſitam eſſe & conflatam?

XIV. Solent ii, qui inſtituto *Sanſòniano* palpantur, nonnihil argumentorum afferre, quo *Haaſianam* methodum ſuſtinent deterrere & obtrectare. Contendunt ipſi, tabulas geographicas ex methodo *Sanſoniana* facilius conſtrui, & uſibus adhiberi. Non inficiamur, facilitatem & utilitatem illam quodammodo eminere. Solent enim ficta & veritati repugnantia ſæpius ad tempus feliciter ſuccedere, ac uſus ſpondere haud contemnendos. Præſtat tamen fictionibus genuina veritatis indoles, ſi fictiones ordini rerum vel naturali, vel morali, repugnant. Sunt multa, credo, huic faciliora homini, quæ illi ſunt difficilia. Facilitas actionum paratur exercitationis beneficio. Uſus *Sanſonianæ* methodi in eo conſiſtit, ut æquales Mapparum partes, in longum latumve, nec non ex transverſo, captæ, eandem ſcalæ geometricæ longitudinem conſtituant. Sed quis dixerit, in Mappa globi, ſphærice elaborata, haud poſſe intervalla locorum circino menſurari ac dinumerari? Nonne in ipſa tabula, quæ globum telluris repræſentat, locorum intervalla innoteſcunt, ſimul ac ea, circino comprehenſa, transtuleris in Æquatorem? Et quis negabit, intervallorum dimenſiones in reliquis Mappis geographicis, legiti-

ima

ma proiectione conſtructis, inſtitui ac determinari poſſe?

XV. Genuinus vero proiectionis Stereographicæ modus exigit, ut affectiones ſphæræ cum cura exprimantur, Expoſuerunt hunc modum ex Perſpectiva *Bernhardus Varenius* (m) & Ill. *Chriſtianus Wolfius* (n). Mathematicorum plerique, qui Perſpectivam tradunt, hunc uſum geographicum negligere conſueverunt. Ea autem methodus proiiciendi præſtat ceteris, quæ figuræ planiformi proxime accedit. Cum enim ſphæra ſecundum milliaria interventu reductionis menſurari poſſit per partes ſuas ſingulas, eapropter id, quod naturam eius æmulatur, ad menſuram quoque poterit revocari. Deeſt itaque *Sanſonianis* ratio, cur methodum ſuam unice commendent, vel proiectioni Stereographicæ anteponant.

XVI. Perſpicitur ſane haud difficulter ex collatione duarum globi terraquei partium, delineatarum ex una planiformi, & altera ſphæricam indolem exprimente, utra delineatio figuræ telluris ſit accommodatior, ac ideo præferenda. Dimenſio duorum locorum in Mappa globiformi, quorum latitudo ac longitudo innotuerunt, beneficio Trigonometriæ ſphæricæ ſecundum gradus Æquatoris, ac horum interventu, in leucis & milliaribus feliciſſime peragitur. Problematis huius ſolutionem habes in *Willebrordi Snellii Eratoſthene Batavo*

(m) In *Geographiæ generalis parte abſoluta Lib. III* p. 650 *ſeq.*

(n) In *Elementis Geographiæ & Hydrographiæ* §. 272 *ſeq.*

tavo Lib. II Cap. 16. Requirunt hæc dimenſionis artificia omnino hominem, Trigonometriæ ſphæricæ peritum. Cur vero adoleſcentes continuo in vocabulis ac tricis grammaticis detineantur, nec in ipſa pueritia ad lineas Mathematices primas deducantur, cauſa non eſt procul arceſſenda. Ludorum magiſtri plerumque limen Matheſeos haud ſalutarunt, ideoque eam vituperant, ne ipſi exiſtimentur fungi truncique. Dilucebit fortaſſis dies illa, qua methodus inſtitutionis, in ſcholis pervulgata, reformetur, ac ad ſplendorem novum progrediatur. Largior deinde, methodum proiectionis difficiliorem eſſe, inprimis cum curvæ lineæ in ea adhibentur, a circularibus diverſæ. Addo tamen, poſſe hanc methodum ita expediri, ut non niſi lineæ circulares adhibeantur, ac non ſolum Mapparum geographicarum conſtructio, ſed etiam intervallorum dimenſio, faciIlima evadat.

XVII. Laudandum haud eſt id inſtituti, quo Meridianus primus, unde gradus longitudinis dinumerantur in tabulis geographicis, per loca ignota, vel ſitus incomperti ſedes, duci ſolet. Exſtant chartæ geographicæ, in quibus is per Azorum inſulas, per Canarias, per Maderam, per promontorium viride, deducitur. Verum non ſolum illa locorum obſcuritas, ſed ipſa etiam Meridiani primi figendi varietas, eis, qui tabulas uſibus ſuis adhibent, eſt incommoda & faſtidioſa. *Ptolemæus* Meridianum primum fixit in Fortunatarum Inſularum prima, quam ipſe *Aproſiton*, id eſt, *inacceſſam*, vocavit. Eundem Meridianum ſecuti

cuti fuerunt *Naſſir Ettuſæus* & *Ulug Beigh.* Nihilo minus hi Geographi inſignibus tamen differentiis inter ſeſe diſcrepant. Teſtor eorum tabulas longitudinum ac latitudinum, quas *Ioannes Hudſonus Volumine III Scriptorum Geographiæ veteris Græcorum minorum* Oxoniæ A. 1712, 8, evulgavit. *Abulfelda* longitudines a columnis *Herculis* ſupputavit, decem gradibus minores *Ptolemaicis*. Meridianum introduxit Dominus *de l'Isle*, Pariſienſis Geographus, quo officina *Homanniana* æque utitur, 20 gradibus ad Occidentem Pariſiis disiunctiorem. Qui Meridianum *Ptolemaicum* ad *Islaeanum* reducunt, illi ſubtrahunt inde gradus decem ac ſeptem. Unde conſequitur, Meridianum *Abulfedæ* primum eſſe *Islaeano* gradibus ſeptem ampliorem.

XVIII. Quæritur porro, an tabulis longitudinum, quæ exſtant, tuto inniti queamus, tabulam geographicam adornaturi. Reſpondendum eſt, intereſſe multum inter iſtas tabulas, nec eisdem ſingulas ſuperſtructas fuiſſe fundamentis. In tabulis *Ptolemæi*, *Naſſir Ettuſæi*, *Ulug Beigi*, *Albirunii*, *Alfaraſi*, *Saidi*, *Kiaſi*, *Albariri*, & *Abulfedæ*, maxima deprehenditur paſſim varietas & pugna. Et, cum locorum, quorum ipſi deſcripſerunt longitudines ac latitudines, maximus ſit numerus, facile eſt divinatu, plerasque ex tabulis, ad itinerum intervalla factis, fuiſſe decerptas. Cum vero in tabulis hiſce olim regnaverit vehemens & immanis nævorum multitudo; illi errores in ipſas longitudinum ac latitudinum tabulas influxerint, neceſſum eſt. Nolim vero omnem vi-

ris illis denegare fidem, dummodo hæ præmittantur cautiones. Conſiderandum enim eſt, 1) an umbra ſolis in loco commemorato memorabili & notiſſimo momento ſit inclita. Quis enim negabit, *Syenen* recte a *Ptolemæo* ad latitudinem 23° 50′ fuiſſe alligatam? Ratio autem in promtu eſt. In oppido Syenes ſol recta demittit radios in ſolſtitio æſtivo, nec umbram efficit. Unde perſpicitur, locum ſitum eſſe (*o*) in Tropico Cancri. Perpendendum eſt 2), an de longitudine diei longiſſimi in hoc, vel illo, loco veteres Geographi notitia fuerint imbuti. Norant enim veteres, diem longiſſimum ſub Tropico Cancri æqualem eſſe 13½ horis æquinoctialibus (*p*). Circa Rhodi medium, in Peloponneſo, Xanthi Lyciæ urbe, & ad Syracuſarum latus meridionale, dies longiſſima eſſe æqualis 14½ horis æquinoctialibus credebatur. Inde iuxta Alexandriam Troadis, Amphipolin, Apolloniam in Epiro, & eos, qui Roma verſus meridiem, Neapoli vero verſus ſeptentriones, aberant, dies longiſſima horarum æquinoctialium quindecim fuit exiſtimata (q). Apud Byzantium dies longiſſima credita eſt æqualis 15½ horis æquinoctialibus. Omitto reliqua, id unum addens, longitudines dierum obſervatas haud eſſe tam exactæ menſuræ, ut latitudines locorum inde accurate ſatis potuerint determinari. Quis enim ignorat varietates crepuſculorum ac diluculorum? Quis ignorat imperfectiora veterum clepſammidia & clepſydras? Perpendendum eſt 3), an Geographi

(*o*) *Strabo Geogr. Lib. II p.* 132, 133.
(*p*) Idem *p.* 133. (*q*) Idem *p.* 134.

phi ac Mathematici in certis locis animadverterint, ſtellas lucidiores verticem ſuum tranſire, vel tranſeuntes Meridianum, determinatis notisque a ſeſe diſtare declinationibus verſus boream, vel auſtrum. Perpendendum eſt 4), an Mathematici ex umbra gnomonis ſatis longi latitudinem locorum aliquot collegerint. Credibile eſt, *Abulfedam*, Hamæ Principem, latitudinem Hamæ in Syria, quam incoluit, eiusque longitudinem, recte determinaſſe. Definit vero illam 34° 56′, hanc 53° 45′ (*r*). *Naſſir Ettuſæus* latitudinem Hamæ definit 34° 40′, longitudinem 53° 46, eamque vocat *Hems*. *Ptolemæus* Apamiæ tribuit latitudinis 34° 45′ ac longitudinis 53° 0′. Ex qua collatione intelligitur, Hamam recentiorum eſſe Apamiam veterum. *Ptolemæus* definit Alexandriæ latitudinem ad 31° 20′ longitudinem ad 60° 30′, id eſt, ſecundum Meridiani primi *Islæi* rationem ad 43° 30′. Rem habemus cum Alexandria Ægypti. Latitudinem *Ptolemæus* propemodum aſſecutus fuit; at longitudo fallit. Pater enim *Chazelles*, Ieſuita, ex eclipſi determinavit latitudinem Alexandriæ 30° 11′ 0″, longitudinem vero ad 47° 54′ 0″. Difficilius ſcilicet invenire longitudinem cuiusdam loci, quam latitudinem. Perpendendum eſt 4), an catalogi latitudinum ac longitudinum reſpondeant plagis mundi ac intervallis, aliunde certo cognitis. Si pugnam animadvertimus, tunc latitudini ac longitudini, a veteribus Geographis, ſupra memoratis, recenſitæ, eſt renuntiandum. Illuſtrabo regulam exemplis. *Said* determinat latitudinem Hieroſolymorum 30°

(*r*) *Grabius* in *Præfat. ad Tabulas Abulfedæ.*

8′ & longitudinem 56° 31′. Idem definit latitudinem Gazæ 32° 8′ & longitudinem 56° 8′. Quis vero neſcit, Hieroſolymam disiunctiorem eſſe Gaza ab Æquatore, ac ab oppido Gaza ultra 20 milliaria Romana, ſeu quinque Germanica, diſtare? *Alſaras* poſuit latitudinem Hieroſolymæ 31° 50′, Boſtrorum vero 31° 30′. At quis ignorat, Boſtra Hieroſolymis eſſe ab Æquatore disiunctiorem? Nec ſatisfacit rei ipſi ea, quam *Ptolemæus* utrique loco adſcripſit, latitudo. Hic enim Hieroſolymis dedit latitudinem 31° 20′, & Boſtris 31° 30′. Idem *Ptolemæus* Aſcalonis tribuit latitudinem 34° 20′, & Cæſareæ *Stratonis* 32° 30′. At norunt omnes, Cæſaream *Stratonis* fuiſſe Aſcalone ſeptentrionibus propiorem. Omitto in præſens exempla complura, quibus complures inſident errores, ſive ab Auctoribus, ſive a librariis, profecti. Colligendæ ſunt idcirco obſervationes recentiorum accuratiores, eæque cum veteribus ſunt conferendæ. Reſpiciendum eſt ad locorum plagas & poſitiones mutuas, ad intervallorum numeros, & ad omnia ſimul momenta, quibus certus loci ſitus determinari ac figi poteſt. Miror itaque, cur R. P. *Angelus Flærchen* in *Chronologia univerſaliſſima pag.* 21 Meridianum primum ducendum ſuaſerit per urbem Hieroſolymorum, ratus, hunc a *Ptolemæi* Meridiano primo abeſſe 60 gradibus. Vide *p.* 23. Ipſe enim *Ptolemæus* tribuit Hieroſolymis 62° 20′ longitudinis, latitudinis vero 31° 20′. *Naſſir Ettuſæus* adſcripſit urbi eidem longitudinis 68° & latitudinis 31°. *Ulug Beig* ab eo diſſentit adeo, ut longitudinem determinet 66° 30′, ac latitudinem 31° 50′. *Lieutaudus*

taudus vero definivit longitudinem Hieroſolymæ, *Ptolemai* more computatam, 70° 30′, latitudinem 31° 50′. Nec dubito, hanc determinationem, recentiorem quippe & accuratiorem, præferendam eſſe illi, quam *Ptolemaus*, *Naſſir Ettuſæus*, & *Ulug Beig*, tradiderunt. Quantopere veteres Geographi fluctuati fuerint in poſitione Hieroſolymorum, ex *Abulfeda* perſpicitur, qui refert quatuor diverſas opiniones hunc in modum:

Alſaras	numerat longitudinis	66°	30′	latitudinis	31°	50′
Albiruni		66	8		33	8
Said		66*	31		30	8
Ptolemæus		66*	8		32	8

* 67

Reduxi gradus longitudinis ad Meridianum *Ptolemæi* primum, nec annotare omitto, *Abulfedæ* in manibus verſatum fuiſſe *Ptolemæi* locum, ab eo, quem *Ioannes Hudſonus* in lucem emiſit, ſatis abhorrentem & diſcrepantem. Hinc vero intelligitur, quantopere R. P. *Flærchen* a ianua aberraverit in determinando Hieroſolymæ ſitu, & quam incertus adhuc ſit ipſius urbis primus Meridianus.

XIX. Non eſt, quod exiſtimemus, latitudines & longitudines, a recentioribus determinatas, in minutiſſimis momentis concordare. Ea enim, quæ vertici noſtro haud impendent, refractioni ſunt obnoxia, per aerem conſpicua, ob humorum copiam, per quos radii ad oculos ſpectatoris transferuntur ac propagantur. Quo aer eſt denſior, eo maior inde oritur refractio. Unde colligere licet, 1) loca ſeptentrionibus propiora aere laborare, hu-

mo-

moribus magis completo, quam ea, quæ propius ab Æquatore abſunt, 2) nec quotidie ſupra eundem locum eosdem refracti aeris gradus inveniri. Machinæ ipſæ, e metallo factæ, contrahuntur, vel diducuntur, prouti aer diverſe eſt affectus. Qui ex profeſſo obſervationibus aſtronomicis operam navant, ii norunt artes, quibus innoteſcunt refractionis gradus, & quibus inſtrumenta metallica a viciſſitudine affectionum aeris poſſunt defendi. Ipſi norunt artem obſervationes iterandi, invertendi, ac aliis corroborandi. Expedit itaque, haud ignorare, a quo & quoties & qua via longitudo & latitudo loci fuerit obſervata. De ſitu Pariſiorum dubitat nemo, ex quo de Meridiano & ſitu eius *Dominicus Caſſini* admodum fuit meritus. Ad ſitum Noribergæ, ac ad gradus refractionis ibi obviæ, determinandos Cel. *Wurzelbauerus* omnem operam impendit. Exiit in lucem *Ioannis Wurzelbaueri Uranies Noricæ Baſis aſtronomico-geographica, ſeu Civitatis Norimbergæ ſitus geographicus ſecundum latitudinem & longitudinem*, Noribergæ, 1697, fol. De Bononiæ & Romæ ſitu dubitat nemo, ſiquidem is multis crebrisque obſervationibus extra dubitationem fuit collocatus. Secus pronuntiandum eſt de aliis obſervationibus, nondum ſatis ad accurationem perductis, necdum repetitis.

XX. In ſitu Lugduni Batavorum obſervato nonnihil ſupereſt variationis. *Willebrordus Snellius* latitudinem eius deprehendit 52° 10′ ½ (*s*), latitudinem Alcmariæ determinavit ad 52° 40′ 30″, Ber-

(*s*) In *Eratoſthene Batavo II, 9, p. 196 ſeq.*

Bergæ ad Somum 51° 29′. *Dominicus Caſſini* altitudinem poli invenit Lugduni Batovorum 52° 9′ 45″, Alcmariæ 52° 38′ 30″ (*t*). Doctor *Zum Bach*, Caſſellis A. 1728 defunctus, ex eclipſi Ioviali latitudinem Lugduni Batavorum reperit 52° 12′. Differentia eſt ſatis tolerabilis, indubie ex diverſitate refracti aeris nata. Celeberrimus Aſtronomus *De l'Isle*, Academicus Petropolitanus, latitudinem Petroburgi reperit 59° 55′ 50″, eclipticæ vero obliquitatem 23° 28′ 30″. Ipſe latitudines locorum imperii Ruſſici complurium detexit, recenſitas *Tomo III Commentariorum Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ*, ac inde in *Novis Eruditorum Actis* repetitas *A. 1734 Iun. p. 266.* Berolini latitudinem Cel. Duumviri *Kirchius* & *Hoffmannus* ex eclipſibus ſolis ac lunæ determinarunt ad 52° 30′ 10″. Nihilo minus Domini *de la Croyere*, eiusque frater *de l'Isle*, in Ruſſiam profecturi, cum B. *Kirchio* A. 1726 ex altitudine ſolis meridiana eandem latitudinem definierunt ad 52° 32′ 30″ (*u*). Videtur differentia hæc etiam in refractionis differentiam coniicienda. Hi enim ſecuti videntur ſolis declinationes, quæ in tabulis *Philippi de la Hire* leguntur. *Ioannes Krabbius* latitudinem Wolferbuttelæ ſtatuit 52° (*x*). *Caſpar Dauthendey* hæc poſuit in *Deſcriptione geographica Ducatus Brunſuicenſis*: „Per ſextantem aſtronomicum 6 pedes longum in aula Guelphica Poli elevationem ſupra 32 gradus inter 9 & 10 minuta exactiſſime obſervavi.„ Reſcribendus eſt indubie

nu-

(*t*) *Acta Erud. Lat. A. 1703 p. 220.*
(*u*) *Acta Eruditorum Latina A. 1727 April. p. 179.*
(*x*) *Newes Aſtrolabium p. 62.*

pateſcit, Vindobonæ ſitum eſſe Orienti propiorem, quam Romæ, minutis 15 & ſecundis 18. Nec tamen omittendum eſt, deliquia lunæ ſpectari de nocte per aerem, plerumque vaporibus denſioribus plenum, aerem vero interdiu eſſe puriorem & a fecibus liberiorem. Aſtronomi hanc ob cauſam pluris faciunt obſervationes, quæ depromtæ ſunt ex immerſu & emerſu ſatellitum Iovis, ac interdiu inſtitutæ. Sententiam illuſtrare iuvat aliquo exemplo (z). Noribergæ A. 1699, 21 Aug. obſervata fuit emerſio primi ſatellitis Iovialis

in articulo	horæ	8	min.	27	ſec.	15
nec non Pariſiis a *Caſſinio*	-	7	-	52	-	38
Differentia Meridianorum		0		34		37

P. *Koegler* Peckini A. 1732, 25 Febr. obſervavit immerſionem primi ſatellitis Iovialis

in articulo	horæ	17	min.	16	ſec.	50
nec non *Zanottus* Bononiæ	-	10	-	17	-	14
Differentia Meridian.		6		59		36

Petroburgi A. 1732, 3 Apr. obſervata fuit primi ſatellitis Iovialis emerſio

in articulo	horæ	8	min.	46	ſec.	23
nec non Bononiæ	-	7	-	31	-	40
Differentia Meridian.		1		14		43

Si loci alterius longitudo ſatis eſt cognita, gradus, ex horis inventi, adduntur, vel ſubtrahuntur, longitudini eius loci, qui iam erat cognitus. Situs occidentalior exigit ſubtractionem, orientalior additionem.

XXII.

(z) *Merckwürdiger Himmelsbegebenheiten XI Stück A. 1738*, 4, Noribergæ.

XXII. Diſſerendum porro eſt de obſervationibus, quae ad tranſitum Mercurii per ſolis diſcum attinent, ſiquidem tempus definitum, quo Mercurius ſeſe immergit in eum, ac rurſus ex eo ſeſe emergit, inſervit determinandis longitudinibus locorum, in quibus ipſae obſervationes peraguntur. Quid obſervatoribus in hoc labore ſit curandum & providendum, ut obſervationi ſua conſtet accuratio, oſtendunt Aſtronomorum praecepta. Solide ac compendioſe curam obſervationis inſtituendae deſcripſit Cel. *Ioannes Bernhardus Wideburgius* (*a*), ne alios in praeſens commemorem. Nobis cum Geographia practica iam res eſt. Quamobrem exempla ſunt afferenda, e quibus intelligi queat differentia Meridianorum unius alteriusque loci, ac ipſa locorum a Meridiano primorum disiunctio, ſeu longitudo. Obſervavit P. *Fontenay* in imperio Chinae atque urbe Canton A. 1690, 31 Oct. ſtil. vet. emerſum Mercurii e ſole in articulo horae

veſpert. 3	min. 18	ſec. 3.	
Eandem Noribergae obſervavit aliquis hor. mat. 8	- 27	- 31	
Differunt itaque Meridiani 6	- 50	- 32	

Anno 1736, 11 Nov. *Marinonius* obſervavit Viennae immerſum Mercurii in ſolis diſcum, optice ſpectatum,

hora 10	min. 29	ſec. 7
nec non *Manfredius* Bononiae hora 10	- 7	- 56
Differunt itaque loci utriusque Meridiani 21	- 11	

XXIII.

(*a*) In *Einleitung zu der hoehern Matheſi p. 437 ſeq. Ienae, 1726, 8.*

XXIII. Nemo ignorat, Meridianum primum, quem plerique nunc ſequuntur, Pariſiis occidentaliorem eſſe gradibus 20. Meridianus vero, quem ſol efficit, tranſiens loca, vel eis ſuperimminens, intra horam procedit per 15 gradus Aequatoris ac parallelorum. Adde, horam æque ac gradum dividi in 60 minuta, minutum in 60 ſecundas. Unde conſequitur, 15 gradus eſſe 900 minutis æquales, immo ſecundis 54000 pares: ac ſecundæ horariæ uni æquales eſſe ſecundas, a gradibus cognominatas, 900. Ut igitur ex differentia Meridianorum, horis horariisque minutis ac ſecundis computari ſolita, reperiri poſſint gradus longitudinis locorum, res ſic eſt peragenda. Multiplica ſecundas horarias datas per 900 ſecundas graduum, &, quoniam horum ſexaginta ſunt minuto graduum æquales, ſummam divide per 60. Id ſi feceris, prodierunt minuta graduum. Multiplica porro minuta horaria per 900 minuta graduum, ac ſummam, cui minuta graduum, ante inventa, prius ſunt addenda, divide per 60, ut gradus definias. Tandem multiplica horas per 15 gradus, ac adde eis gradus, iam antea inventos. Id ſi feceris, negotium omne, quod erat perficiendum, expediviſti. Suffecerit nobis exemplum unum, ut regula illuſtretur. Anno 1703, 3 Ian. *Manfredus* obſervavit Romæ initium deliquii Lunæ ad 18 hor. 15 min. 30 ſec. horologii Italici. *Caſſinius* iunior idem obſervavit Pariſiis ad 17 hor. 35 min. Differentia Meridianorum deprehenditur 40 minutorum ac 30 ſecundarum. Exinde longitudo Romæ ita colligitur:

1 mi-

1 minutum gr. : 15 min. hor. = 40 ½ minuta gr.

60 ſec.

2400

30 add.

2430

15 multipl.

12150

2430

divide per 60) 36450 (6 0 7 / 6 6 0

gr. min. ſec.

(10 7 30

Cum vero Pariſii a Meridiano primo 20 gradibus verſus Orientem abſint, hi gradus 20 ſunt inventæ ſummæ addendi. Quo ipſo Romæ longitudo fuit detecta, nempe 30° 7′ 30″.

XXIV. Docent Aſtronomi præterea, quibus artibus ex deliquiis ſolis curate obſervatis, ac inter ſeſe contentis, poſſit addiſci locorum longitudo. Docent iidem, qua ratione latitudines locorum ex altitudine ſolis, ex ſtellæ notabilioris erga nos ſitu, ex tempore ſtellarum a luna tectarum, &c. poſſint addiſci. Cum vero hæ obſervationes a peritis exercitatisque Aſtronomis tantum recte expediantur; Geographi eſt videre, quis & qualis exſtiterit ille, cuius obſervationes in hoc genere ad tabulas ſuas conſtruendas adhibere ſtudet.

XXV. Difficillimum ſane eſt, littorum ac riparum faciem recte delineare. Quæritur itaque 1), an geometrica littoris, vel ripæ, dimenſio,

cui fidere liceat, uſpiam exſtet. Si ea defecerit, quæritur porro 2), quænam loca, & quonam ordine, in littore, vel ripa, iaceant, vel olim ſita fuerint. Quæritur tandem 3), an exſtet urbs aliqua, cuius latitudo & longitudo iam ſit inveſtigata. Tum quæritur 4), quænam innotuerint urbium intervalla, & a quonam Auctore notitia eorum fuerit profecta. Cum tabulam Græciæ adornavi, poſitiones certas Conſtantinopoleos, Smyrnæ, Theſſalonicæ, Myli Inſulæ, Caneæ, ſeu Cydoniæ, in Creta inſula, Candiæ, Alexandriæ Ægypti, & urbium aliarum paucarum, fundamenti loco adhibui. Poſtea ſedulo locorum notavi intervalla ex *Itinerario Antonini*, ſive Hieroſolymitano, ex *Plinio*, *Herodoto*, *Solino*, *Pomponio Mela*, *Strabone*, *Arriani Periplo Ponti Euxini*, *Georgii Wheleri* libro *Voyage de Dalmatie & de Grece & du Levant Tom. I*, *Scylacis Caryandenſis Periplo*, *Dicæarchi Statu Græciæ*, eiusque deſcriptione metrica, *Scymno Chio*, & ex *Agathemeri Geographia*. Conſului præterea alios, nec oblitus fui longitudinem Trapezuntis 62° 57′ 45″ ac latitudinem eiusdem 41° 3′ 54″, a *P. Beza* determinatam. Vidi inter hæc, Meliten, *Pauli* hoſpitium, ad Maltam haud quadrare, niſi auctoritatem veterum Geographorum funditus velimus exſtirpare. Tabula, iam conſtructa, a me poſthæc ſub examen fuit revocata. Tum vero intellexi, montem Sinai, qui eiusdem eſt latitudinis ac urbs Ægypti Cairo, a me nimis ad meridiem fuiſſe protruſum. Dolui inprimis, Halyn, fluvium Aſiæ minoris, ac Iſthmum Aſiæ illius, a me haud curate fuiſſe delineatum, id quod ſenſi, ex quo ea legi in *Miſcellaneis Lipſienſibus* hiſce, quæ Cl. *Waltherus Vol. I P. II* inibi

inibi *p.274* monuerat. Confer *Nova Eruditorum Acta A.1743 Febr. p.91.* Ordinem urbium, in littoribus maris mediterranei ſitarum, ex *Scylace* ac *Antonini* Itinerario licet addiſcere. Littoris Ægyptiaci ac Syriaci notitiam omnem *Ptolemæo Alexandrino*, Peluſii nato, denegare nolim. Sæpius ex collatione ſcriptorum recentiorum ac priſcorum verus loci ſitus pateſcit. Qui locum *Harañ* inveſtigant, ii notant hæc momenta. Locus ipſe 1) iacuit trans Iordanem, 2) itinere dierum ſeptem a Gileade, ſeu Mizpah, id eſt, Ramoth, fuit remotus, poſitusque 3) ultra amnem Iabocum, 4) ad ſeptentriones Ramothæ, 5) in regione *Paddan-Aram*, id eſt, Aramæa Bathanææ, 6) prope regionem Bathanæam, ſeu Baſchan. Noſtra ætate ibi viſitur regiuncula *Hburan* ad confinia Trachonitidis, nunc vocatæ Sgif, auſtralia, teſte *de la Roque* in libro *Voyage de Syrie & du Mont Liban Tom. I Lib. II p. 185.* In tractum terræ eundem incidit oppidum *Aere*, quod in Itinerario *Antonini* interiicitur Damaſco & Neve, & viam militarem olim præbuit proficiſcentibus Damaſco Capitoliada, Gadaram, Scythopolim, ac Neapolim Palæſtinæ. Nulla igitur reſtat dubitatio, quin *Hbaran*, חרן, ſit idem locus ac *Hburan*, Arabibus *Hbavrán*, *Aere* Latinis, appellatus.

XXVI. In tabulis geographicis conſtruendis, quæ faciem orbis priſci referant, labor eſt gravior, lucrum vero tenuius. Situs fluminum haud ſolet facile turbari. Littora maris pleraque antiquam ſervant formam. Portus antiqui raro naturam ſuam depoſuerunt. Nec ullus tyrannorum ſic exſtitit immanis, ut urbes ſuſtulerit omnes, ac

plane novas exſtruxerit per regionem quamcunque univerſas. Natura igitur regionum, quam noſtra ætas viſentibus offert, eis, qui tabulas veteris Geographiæ condunt, multa affert adiumenta. Sæpius arte critica ad teſtimonia veterum dextre exponenda opus eſt. Providendum ea de cauſa, ut requiſita veritatis detegamus, vel ſuffectura, vel potiora in ſententia quacunque data. Quæ ſi detexerimus, nævi Auctorum facile deteguntur, tanto certius librariis tribuendi, quanto disiunctior in locis aliis luculentis ab eis nævis Auctor exſtitit. Liceat rem illuſtrare exemplo. Quæritur, an *Ptolemæus* Alexandrinus mare Adriaticum protenderit uſque ad Siciliam & Maltam, ac ideo *Melite Lucæ* poſſit eſſe Malta. Legi ſic vulgo in exemplaribus *Ptolemæi*, haud inficior. Arbitror vero, locum illum *Ptolemæi* eſſe | corruptum ab eis, qui *Paulum* transſcribere Maltenſibus pro hoſpite contenderunt. Rationes, cur ſic ſentiam, has accipe. *Agathemerus* paullo iunior exſtitit *Ptolemæo*, & hunc ſecutus fuit. Utrumque oſtendit *Henricus Dodwellus* (*b*). Nihil igitur prohibet, quo minus *Agathemerus* in definiendo maris Adriatici ſpatio *Ptolemæum* quoque fuerit aſſectatus. *Agathemerus* vero Adriam verſus auſtrum determinavit Iapygia regione prope Hydruntum e regione montium Epiri Acroceraunionum. En eius teſtimonia! Ipſe ſic tradidit *Lib. II Cap. 14: Siculum mare occupat tractum magnum verſus meridiem uſque Pachynum & promontoria Cretæ verſus Orientem,* ver-

(*b*) In *Diſſ. de Agathemero §. 8 ſeq. p. 142 ſeq. Vol. II Hudſoni.*

verſus boream uſque Iapygiam: poſt hanc Adriaticus ſinus ſane magnus diffundit ſeſe ſurſum verſus ſeptentriones, ſed mox ad occaſum obliquatur, longus quidem ſtadiorum 3000 - - Huius oram dextram prætendit Illyricum, lævam Italia uſque ad intimum receſſum circa Aquileiam & Polas. Poſt Siculum pelagus eſt Creticum. Eadem ratione Siculum pelagus ab Adriatico diſterminat *Lib. I Cap. 3.* Adriaticum mare, qua eſt anguſtiſſimum, Ionium vocavit æque, ac *Scylax.* At Siculum ab Adriatico diſtinxit, & hoc ab illo ſecrevit. *Scylax* luculente: *Os Ionii ſinus eſt a Cerauniis montibus uſque ad Iapygiæ promontorium. Strabo* etiam mare ſuperum, *Golfo di Venetia,* vocavit Adriam, & hoc patere uſque ad traiectum illum, ſeu os inter Hydruntem & montes Ceraunios, tradidit, ratus, mare Siculum a Sicilia uſque ad Cretam patuiſſe, & verſus boream uſque ad promontorium Iapygum infra Hydruntum, & ex adverſo ad ſinum Ambracium, proceſſiſſe, *Lib. VII p. 327.* Confer *Chreſtomathias Strabonis Lib. VII p. 1252,* & *Strabonem Lib. II p. 123.* Conſentiunt *Pomponius Mela I, 2,* & *Dionyſius Periegetes,* ac *Scymnus Chius* in *Orbis deſcriptione v. 192 ſeq.,* confiſus teſtimonio *Theopompi.* Ex quibus ſingulis momentis intelligitur, locum *Ptolemæi* eſſe corruptum, & Meliten, *Pauli* hoſpitium, in Adria, non in mari Siculo, eſſe figendam.

XXVII. Neceſſum iam eſt, ut, quæ hactenus expoſuimus, in ſummam colligamus. Statuimus itaque, Geographiam mathematicam, eamque practicam, eſſe reformandam & emendandam, tum

probabiliter reſpectu totius telluris, tum ratione partium ſingularum in tabulis, quæ præſentem orbem & priſcas regiones repræſentant. Globus terraqueus non eſt præciſe rotundus, ſed probabiliter ad polos contractior, quam ſub Æquatore (§. 4), licet figura ipſa nondum ſit ad liquidum perducta (§. 10). Mappæ geographicæ particulares exhibent vel partes orbis terrarum pro ratione noſtræ ætatis, vel eas offerunt ad modulos priſcæ mediæque ætatis. In utrisque recte conſtruendis methodus *Sanſoniana* eſt dimittenda, & introducenda proiectionis ſtereographicæ methodus (§. 14, 15, 16.). Certi latitudinis ac longitudinis gradus ſunt exquirendi & colligendi (§. 19 ſeq.). Meridianus primus, Pariſiis 26 gradibus occidentalior, in medium eſt adhibendus, quippe commodiſſimus (§. 17). Colligenda ſunt locorum intervalla (§. 25). Catalogi veterum, qui longitudinem & latitudinem locorum exhibent, ſolicite ſunt examinandi (§. 18). In conſtruendis tabulis priſcæ ætatis provocandum eſt crebro ad teſtimonia ſcriptorum, & hæc accurate ſunt examinanda (§. 26). Si munificentia Principum curaverit integras provincias opera Geometrarum peritorum dimetiendas & delineandas, beneficio hoc eſt utendum, & catalogus quidam Mapparum, hac ratione elaboratarum, eſt condendus, ut e partibus tabularum geographicarum accuratioribus Mappæ maiores emendentur. Hæc vero emendatio nullis temporum ſpatiis circumſcribi, vel definiri, poteſt. Perpetuo enim huc usque inde ab exordio conſtructionis tabularum emendatio iſta fuit adhibita (§. 11). Nec ſperanda eſt ea tempo-

ris

ris felicitas, quo omnes terræ incognitæ ſimul detegentur; quo longitudines & latitudines ſingularum urbium ſimul accurabuntur & exhibebuntur; quo nihil in Geographia antiqua & media reſtabit emendandum; & quo Geographi univerſi, tabularum ſtructores, erunt lyncei, ac omniſcii, nec amplius fallentur. Inter hæc tamen univerſa eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra.

XXVIII. Sapientiſſimus mundi director per hanc quoque mutationem & reformationem voluit multorum commodis uſibusque conſulere. Creſcente enim hominum numero, genera commercii etiam, ut omnes alantur, creſcant, neceſſe eſt. Tantum igitur abeſt, ut iconum nundinatores his reformationibus obſiſtant, ut potius hanc reformationem geographicam remis veliſque ſint promoturi, ac usquequaque amplificaturi (c).

VI.

GOTTLOB ERDM. ZEIBICHII

LIBERAL. ARTIVM MAG.

DE

IOVE VICILINO,

AD LIVII XXIV, 44,

QVÆSTIO CONIECTVRALIS.

I.

Cum multæ res in Theologia veterum mythica nequaquam ſatis adhuc, ob incertam obſcuramque

(c) *M. Maty de l' Uſage Cap. I §. 20, Utrecht, 1741, 8.*

ramque rationem, explicatæ ſunt; tum perdifficilis eſt quæſtio de nominibus cognominibusque Deorum, quæ & ad cognoſcendum tantæ ſuperſtitionis errorem utiliſſima eſt, & ad intelligendos priſcæ memoriæ ſcriptores neceſſaria. Namque ea res habet plurimas cauſas, quæ pariunt inſignem difficultatem. In his locum haud extremum des ipſorum veterum ſcriptorum diſſenſionibus. Hi enim, cum proxime attingant illam ætatem, qua quidem ipſa nomina, aut cognomina, Deorum excogitata ſunt, ut ab eisdem veram exſpectare rationem omnino poſſis, tanta tamen varietate opinionum haud raro inter ſeſe diſcrepant, ut, quid cogitandum ſit, non facile reperias. Exemplo ſit *Ceres*. Quam veterum nonnulli (*a*) a *creando*, alii (*b*) a *gerendis* frugibus, dictam volunt eſſe. Sic *Iunonis* cognomen, *Lucinam*, modo a liberis in *lucem* (*c*) edendis, modo a Lunæ *lumine* (*d*), modo denique ab æde in *luco* (*e*), dici meminimus. Omitto plura huius generis exempla, quorum quædam tantum delibavi. Sed politicam rationem, quæ ſpectat ad arcanum, ſive, ut verius dicam, ad flagitium, dominationis Sacerdotum, cur præteream? Iſti enim homines, ut, in ſuam ipſorum utilitatem, callidi ſunt, & ad fraudem acuti, proiectique ad fallendum, ſic omnem operam eo conferunt, ut imperitum vulgus, velut inie-

(*a*) *Serv.* ad *Virgil. Georg.* I, 7.
(*b*) *Cic. de Nat. D. Lib. II, Varr. L. Lat. IV p.* 18.
(*c*) *Plutarch. Qu. Rom. p.* 282.
(*d*) *Cic. loc. laud. Catullus* in *Epigr.* 32, 13, 16.
(*e*) *Plin. H. N. XVI*, 44.

iniecto freno, retineant in officio, ad ſuamque regant voluntatem, & a ſeditioſis conatis retrahant. Sic, *quos ratio non poteſt, eos ad officium religio ducit*, ut ait *Cicero* (*f*). Id quo facilius perfici poſſit, ingentem Deorem turbam, quæ populo terrorem incutiat, comminiſcuntur. Eam ad rem opus eſſe putatur cognominibus recens procuſis. Quorum quidem ſingula, ut eo citius amplum reddatur Deorum concilium, nova Numina repræſentant, ſacrisque Sacerdotum libris, quos *Indigitamenta* (*g*) ideo dixerunt, ne iſta res auctoritate careat, inſcribuntur. Ex quo fit, ut ſacrorum antiſtites, non uno fraudis genere probati, tam inſana copia cognomentorum unum in Deum effuſa, tantam vim Deorum plebi obtrudant, ut non male videatur exiſtimare, qui credat, hos homines, in excogitandis iis, ne ſeſe quidem ipſos ſæpius intellexiſſe. Neque minus eadem cognomenta obſcurata ſunt, amiſſu veterum librorum, qui de Diis expoſuerunt. In his enim ut, plurimas Deorum appellationes explicatas fuiſſe, non eſt dubium, ſic multa in eodem argumento nunc non tam obſcura eſſent futura, niſi illa ſcripta, magna ſui parte, calamitate longinquiorum temporum, intercidiſſent. Auget difficultatem impudentiſſima cacodæmonis nequitia. Namque huic, furi Dei ac ſacrilego, moris eſt, nomina divina, miſere diſtorta, quo occultior ſit aſtus, fictis gentium idolis tribuere, ſanctiſſimumque

Hebræo-

(*f*) *de N. D. Lib. I.*

(*g*) *Guther. Vet. Jus Pontif. I, 20, Scalig. Opuſc. Var. P. I p. 195.*

ramque rationem, explicatæ ſunt; tum perdifficilis eſt quæſtio de nominibus cognominibusque Deorum, quæ & ad cognoſcendum tantæ ſuperſtitionis errorem utiliſſima eſt, & ad intelligendos priſcæ memoriæ ſcriptores neceſſaria. Namque ea res habet plurimas cauſas, quæ pariunt inſignem difficultatem. In his locum haud extremum des ipſorum veterum ſcriptorum diſſenſionibus. Hi enim, cum proxime attingant illam ætatem, qua quidem ipſa nomina, aut cognomina, Deorum excogitata ſunt, ut ab eisdem veram exſpectare rationem omnino poſſis, tanta tamen varietate opinionum haud raro inter ſeſe diſcrepant, ut, quid cogitandum ſit, non facile reperias. Exemplo ſit *Ceres*. Quam veterum nonnulli (*a*) a *creando*, alii (*b*) a *gerendis* frugibus, dictam volunt eſſe. Sic *Iunonis* cognomen, *Lucinam*, modo a liberis in *lucem* (*c*) edendis, modo a Lunæ *lumine* (*d*), modo denique ab æde in *luco* (*e*), dici meminimus. Omitto plura huius generis exempla, quorum quædam tantum delibavi. Sed politicam rationem, quæ ſpectat ad arcanum, ſive, ut verius dicam, ad flagitium, dominationis Sacerdotum, cur prætercam? Iſti enim homines, ut, in ſuam ipſorum utilitatem, callidi ſunt, & ad fraudem acuti, proiectique ad fallendum, ſic omnem operam eo conferunt, ut imperitum vulgus, velut inie-

(*a*) *Serv.* ad *Virgil. Georg.* I, 7.
(*b*) *Cic. de Nat. D. Lib. II*, *Varr. L. Lat. IV p.* 18.
(*c*) *Plutarch. Qu. Rom. p.* 282.
(*d*) *Cic. loc. laud. Catullus* in *Epigr.* 32, 13, 16.
(*e*) *Plin. H. N. XVI*, 44.

iniecto freno, retineant in officio, ad ſuamque regant voluntatem, & a ſeditioſis conatis retrahant. Sic, *quos ratio non poteſt, eos ad officium religio ducit*, ut ait *Cicero* (*f*). Id quo facilius perfici poſſit, ingentem Deorem turbam, quæ populo terrorem incutiat, comminiſcuntur. Eam ad rem opus eſſe putatur cognominibus recens procuſis. Quorum quidem ſingula, ut eo citius amplum reddatur Deorum concilium, nova Numina repræſentant, ſacrisque Sacerdotum libris, quos *Indigitamenta* (*g*) ideo dixerunt, ne iſta res auctoritate careat, inſcribuntur. Ex quo fit, ut ſacrorum antiſtites, non uno fraudis genere probati, tam inſana copia cognomentorum unum in Deum effuſa, tantam vim Deorum plebi obtrudant, ut non male videatur exiſtimare, qui credat, hos homines, in excogitandis iis, ne ſeſe quidem ipſos ſæpius intellexiſſe. Neque minus eadem cognomenta obſcurata ſunt, amiſſu veterum librorum, qui de Diis expoſuerunt. In his enim ut, plurimas Deorum appellationes explicatas fuiſſe, non eſt dubium, ſic multa in eodem argumento nunc non tam obſcura eſſent futura, niſi illa ſcripta, magna ſui parte, calamitate longinquiorum temporum, intercidiſſent. Auget difficultatem impudentiſſima cacodæmonis nequitia. Namque huic, furi Dei ac ſacrilego, moris eſt, nomina divina, miſere diſtorta, quo occultior ſit aſtus, fictis gentium idolis tribuere, ſanctiſſimumque Hebræo-

(*f*) *de N. D. Lib. I.*
(*g*) *Guther. Vet. Jus Pontif. I, 20, Scalig. Opuſc. Var. P. I p. 195.*

Hebræorum ſermonem, atque adeo Deum ipſum, ludificari. Cuius rei veſtigia non obſcura ſunt in *Iupiter*, in *Sabazius*, in *Adonis*, item in *Veſta*, *Saturnus*, & aliis denique compluribus. Sunt hi quidem fontes potiores, ſed non omnes, tam grandis obſcuritatis, cuius vitio laborare, oſtendimus, doctrinam de Deorum cognominibus. Sed addamus his unicum fontem, eumque haud prætereundum hoc loco. Sunt enim non pauca Deorum cognomina, quorum ſemel tantum fit mentio in commentariis antiquorum, ſuppreſſa etiam denominandi ratione. Id Numinibus quibusdam Aegyptiorum, quæ unus duntaxat ſcriptor appellet, eveniſſe, *Paulus Erneſtus Iablonſkius* (*h*) erudite obſervat. Simile autem geminumque fatum ſunt experti Latinorum Dii. Non huc refero Iovem *Lucetium*, quem ſoli *Virgilio*, non alibi uſpiam, commemorari, nollem *Servius* (*i*) dixiſſet, cum hoc idem nomen apud *A. Gellium* (*k*), & *Macrobium* (*l*), atque *Feſtum*, itemque in *Gloſſis*, eruditis illis quidem, ſed emendandis, Iovi tribuatur. Illos volo, qui, niſi in unico loco ſcriptoris, plane non ſunt obvii. Ex his ergo ſuccurrunt, quos dicam. Deus *Pauſus*, ab *Arnobio* (*m*) e latebris extractus, quem, bellis adverſantem, pauſam & quietem attuliſſe, *Adr. Turnebus* (*n*) auguratur.

(*h*) *de Remphab* §. 15 *p.* 74, 76, 77.
(*i*) ad *Aen. IX*, 570.
(*k*) *V*, 2.
(*l*) *Saturn. I*, 15.
(*m*) *I*, *p.* 15.
(*n*) *Adverſ. XV*, 21.

ratur. *Vibilia* Dea, apud eundem Afrum (*o*), modo proba ſit lectio, Iupiter *Velſurus*, cuius mentio exſtat apud *Tullium* (*p*), nuſquam alibi abs *Turnèbo* (*q*) repertus. *Iupiter Cingiduus*, ſi veterem Inſcriptionis titulum (*r*) ſequare. *Iupiter* denique *Paganicus*, de quo erit inferiore loco dicendum.

II. His in cognominibus Deûm, quorum ſemel tantum, non ſæpius, mentio fit, iure meritoque cenſetur nomen Iovis *Vicilini*. Hanc quidem vocem cum ſpectes, videare tibi intueri neſcio quid monſtri, cuius vel adſpectum perhorreſcas. Quis enim unquam eruditorum hujus, tam mirifici, nominis meminit? Verum hoc idem vocabulum, quod, nulla cujusquam ſagacitate veſtigatum, in obſcura ſecuritate ſat diu ignavius latitaverat, ſagaciſſime nuper odoratus eſt, diſcuſſaque caligine extraxit, & in lucem protulit, Vir illuſtris, *Fridericus Otto Menckenius*. Atque is quidem incredibile ſuum, bonas literas iuvandi, ſtudium uti in perſequendo *Actorum Eruditorum* opere, quod, Lipſiæ, magno ſcientiarum incremento, edi cœptum, multa apud omnes literarum amantes auctoritate floret, ſumma laude declaravit, ſic novum, idque præclarum, illius meritum elucet ex *Miſcellaneorum Lipſienſium Novorum* labore utiliſſimo, eiusdem ampliſſimi Viri conſilio atque opera ſuſcepto.

(*o*) *IV*, *p*. *131*.
(*p*) *in Piſon*.
(*q*) *L*. *l*. *XXI*, *15*.
(*r*) *Spon*. *Miſcell*. *p*. *72*.

ſcepto. Cuius in *ſecundo Volumine* (s) Diatribe *Menckeniana*, ſucci plena & bonæ frugis, quæ voces Latinas, haud in Lexicis obvias, reſtituit, locum obtinet. Hic quoque tangi, videas, vocabulum *Vicilinus*, unde *Iupiter Vicilinus*, non vero explicari. Quare idem eruditiſſimus Vir, alio loco (t), veram cauſam atque rationem huius nominis ex eruditis quærit. Accipe verba, plena humanitatis: *Quærimus autem ex viris eruditæ civitatis, quotquot antiquitatibus Latii favent inveſtigandis, quænam ſit ratio, quid cauſæ, cur Iupiter cognomen* Vicilini *impetraverit. Qui clare & ſolide ſatisfecerit quæſtioni propoſitæ, eum & laudibus, & obſervantia, proſequemur, imo, ſi maluerit, is Phyllida ſolus habeto.* His ego perlectis, neſcio qua animi motione compulſus, continuo ſtatui, aliquid mihi conſilii eſſe capiendum, qua ratione vim & ſententiam vocis, tam obſcuræ, qualicunque ingenii facultate, conſequerer. Poteram quidem ego, imo potius debebam, ab hoc propoſito aliquanto abſterreri, propterea, quod, tantum *eruditæ viris civitatis* id negotii datum eſſe, ſentiebam, quorum ego veſtigia, lento admodum gradu ac titubante, e longinquo vix legere valeam. Verumtamen, cum me *antiquitatis* veteris *Latii* pariter atque Græciæ peramantem ſemper ſim profeſſus, non poteram adhortationi tanti viri tam humanæ non ſummiſſe obſecundare, tametſi, *ſolidi* quid a me proficiſci poſſe, deſperarem. Feci igitur id, quod animo propoſueram, ſed ita feci, ut

(s) *Part. I p. 180.*
(t) *Act. Erud. ad A. 1744 p. 45.*

et, multis magnisque moleſtiis, quæ non continuo devorari poſſe videbantur, obſeſſum me ac circumdatum ſentirem, quas tamen, opi divinæ confiſus, nihilo minus ſuperare me poſſe ſperabam.

III. Declarata ſcribendi occaſione, locum ipſum *Livianum* (u) iam, age, contemplemur. *Murus ac porta*, inquit, *& Aricia etiam Iovis ædes, de cælo tacta fuerant, & alia ludibria oculorum auriumque credita pro veris, navium longarum ſpecies in flumine Tarracinæ, quæ nullæ erant, viſa, & in* IOVIS VICILINI *templo, quod in Compſano agro eſt, arma concrepuiſſe.* Sic emendatius hæc ſcribuntur. *Conradus Lycoſthenes* (x), Rubeacenſis, ut lacunas *Iulii Obſequentis*, de prodigiis, compleret, hæc ſub *Q. Fabii Maximi* ac *T. Sempronii Gracchi* Conſulatu ponit, ſed ex *Livio*. *In Iovis Vicillini templo, quod in Coſſano agro eſt, arma concrepuerunt.* Hic autem *Livii* locus, quem adduxi, eiusmodi eſt, ut attentionem noſtram excire poſſit, præſertim ob peregrinum nomen *Vicilini*. Adſunt hic diverſæ quædam lectiones, breviter attingendæ. Magna eſt enim, in exaranda voce *Compſano*, diſcrepantia veterum librorum. Quorum alius habet *Compſino*, alius *Compino*, rurſus alius *Compcino*, & alius denique *Comptino* (y). Exſtat etiam *Coſſano* in antiquis editionibus, quas evolvi, quodque iam monuit, ad hunc locum, *Car. Sigonius*. Pari modo *Lycoſthenem* ſcribere, vidimus. Haud multo aliter *Hubertus Goltzius*

(u) *XXIV*, 44.
(x) *Cap.* 35 *p.* 19 *ed. Scheff.*
(y) *Gronov.* & *Hearn.* ad *Liv. loc. laud.*

tzius (z), cuius maximum eſt in ſcientiam æris antiqui promeritum. Mavult is *Coſano*, nixus auctoritate nummi, quem ipſe (*a*) affert, in quo aquila, coronam ungue dextro tenens, ſiniſtro ſceptrum, viſitur. Titulus numiſmatis: ΚΟΣΩΝ, *Coſanorum*, *non ambiguo ſymbolo*, *Iovis numen in ea Colonia in veneratione fuiſſe*, ut idem addit Antiquarius. Coniecturam novam *Gronovius* affert, *Pomtino*. Sed, quæ mea ſit de hac voce ſuſpicio, dicam deinceps, inferiore loco. Ipſum quoque vocabulum *Vicilini* aliquam ſcriptionis mutationem eſt expertum, eamque leviorem. Huius enim loco, duo ſcripti notæ optimæ & ingenui vultus *Viſilini* ponunt, teſte *Gronovio*. At *Lycoſthenes*, *Vicillini*, quod mendoſum. Ceterum editiones *Livii*, typis exſcriptæ, *Vicilini* tuentur. Et ſic etiam interpretatio Italica, formæ ordinis quarti, *in Vinegia* impreſſa, A. 1581, quam Bibliotheca Regio-Electoralis Dreſenenſis aſſervat, reperias, *di Giove Vicilino*. Neſcio tamen, quid cauſæ ſit, quam ob rem in Francogallica interpretatione, Pariſiis A. 1615, in forma ordinis maximi, edita, *Vitelin* ſcribatur.

IV. Ea eſt ratio nominis *Vicilini*, ut haud inique feciſſe iudicandus ſit, qui eidem vocabulo, quod numero *Platonis* obſcurius videtur, locum quendam in *Ignotis Diis*, a *Iac. Sponio* collectis, aſſignandum putet. Adeo vix quidquam tentandum, niſi uno atque altero Codice MSto adiuti fuerimus, quorum tamen optimos parum recedere a recepta lectione,

(z) *Numiſm. Magn. Gr. p. 316.*
(a) *Lib. laud. Tab. XXXVI, 7.*

ctione, oſtendimus. Nec quidquam conſilii aliunde facile exſpectandum. Cupidiſſime evolvi & excuſſi, veteres pariter ac recentiores, de *Iove* ſcriptores. Nihil profeci. Nam hi, neſcio quo pacto, inter ſe omnes ad commune ſilentium conſenſerant, tanquam ſederent in Areopágo. Scribit *Io. Bocatius*, magnus homo, quem pro regula & cynoſura elegantiæ Etruſcæ ſermonisque Italici habent Itali *b*), Genealogiam Deorum. Quem librum magni inprimis faciunt eruditi, doctrinam hominis, in tam difficili ac retruſo argumento, admirantes. Ita enim hic ſcribit, ut reliquos omnes, qui antea de eadem materia expoſuerant, longe ſuperaſſe videatur. Tanto minus verendum erat, ne illud cognomentum *Iovis* ſit ab eo prætermiſſum. Certe eſt autem prætermiſſum, ut ipſemet intellexi. Quemadmodum vero huius *Bocatii* laboribus bene uti novit, in eruditiſſimo Hiſtoriæ Deorum Syntagmate, *Lil. Gregor. Gyraldus*, qui, *Scaligeri* (*c*), τȢ πάνυ, judicio, *hominis oculatiſſimi & accuratiſſimi* laudem fert; ſic facile coniectura conſequi poteram, pari fato hic omiſſa ea fore, quæ apud alios quæſieram. Nec me decepit opinio. Quare, mea quidem ſententia, plus liberalitatis, quam veritatis, habet illa laus, quam in eosdem libros *Gyraldi*, de Diis gentium, effundit *Franciſcus Robortellus* (*d*), ardui ſupercilii Criticus, eſſe

(*b*) *Giacintho Gimma Italia letterata, in Napoli, 1723, p. 394, 395, Tom. I.*

(*c*) *Ad Euſeb. p. 92.*

(*d*) *Epiſt. Præfat. in Lib. de Vita & victu pop. Rom. Bonon. 1559.*

eſſe eos libros *tam uberes, tam plenos, ut nihil omnino prætermiſerit.* Fruſtra excuſſi *Iuliani Aurelii Leſſignienſis*, Belgæ, hominis diligentis, qui nunquam tamen, ut ipſe fatetur, *Diodorum Siculum*, Græcum, oculis vidit, *Libros tres de Cognominibus Deorum gentilium*, ab adoleſcente quidem, ſed ſatis bene, ſcriptos, ubi de pluribus *Iovis* cógnominibus varia, diffuſe opera dedita tractata, reperias. Hac quoque ſpe deiectus, huc & illuc circumſpiciens, incido in *Lexicon Antiquitatum Romanarum*, quod opus, vaſtum & infinitæ diligentiæ, *Sam. Pitiſcus* condidit, cunctis eruditorum ſuffragiis probatum. At vero, quomodo talis labor in hoc genere perfectus, expletusque omnibus ſuis numeris, nulla opera humana perfici poteſt, ſic facile excuſatur *Pitiſcus*, quod, tanta rerum affluentia varietateque perfuſus, non omnia attingere potuerit, quo ſpectat nomen *Vicilini*. Hoc magis miremur, eos etiam, qui *Livium* nobis expurgatum emendatumque dederunt, abſtinere ſe, quam incerta proloqui, ſatius exiſtimaſſe. Namque & *Sigonius*, & *Gronovius* pater, & *Drackenborchius*, & *Hearnius*, ita ſeſe gerunt, uti nihil, vel emendando, vel explicando, audeant. Quid, quod *Henr. Glareanus*, ut iam *Menckenius* ſubmonuit, aperte fatetur: *Quis ſit Iupiter Vicilinus, aut unde ita dictus, non equidem memini.*

V. Itaque, caute pedetentimque verſandum cum ſit in hoc loco, quod & veſtigia doctorum hominum nulla apparent, & ſolis ea res ſuſpicionibus nititur, omnibus iam coniecturis, quas, adiuncta ſimul rationum explicatione, feceramus de *Iove Vicilino*, miſſis, ne lector impediatur, neu nobis arrogare, ne-

ſcio

ſcio quam, fœcunditatem ingenii velle videamur, continuo tranſitur ad eam nominis interpretationem, quæ quidem mihi, ut ab initio capti conſilii, ſic etiam nunc, aptiſſima videtur, maximeque veriſimilis. Etenim in eam ingredior opinionem, ut, *Iovem*, putem, ideo dici *Vicilinum*, quod *Vicis* præeſſe, horumque incolas facultatesque conſervare & tegere, ac ruſticis præſidere rebus, exiſtimabatur. Fit igitur ex *Iove* iam Deus tutelaris Vicorum, atque adeo ruſticum Numen. In hoc nempe caput ſententiæ noſtræ ſitum eſt. At quærere poſſis haud imperite, quid *Iovi* cum *Vicis*, cuius curam præſidiumque urbibus veteres attribuerint. Laudat ideo *M. Tullius (e)* Iovem, *antiquiſſimum cuſtodem Urbis*. Parique modo IVPITER CVSTOS & IOVIS CVSTOS in priſco ære Romanorum fingitur. Eandem ob cauſam *Cornutus (f)*, (ita enim rectius *(g)* ſcribitur, quam *Phurnutus*,) *Iovem* dicit Πολιέα, cuius fanum, *in ſublimi arce poſitum*, *Polyænus (h)* commemorat. Hunc Deum ſibi Creta delegit, ut *Sidonius Apollinaris (i)* docet, quem in eiusdem Inſulæ Regibus primum locum tenuiſſe, ex *Diodoro Siculo Prudentio*que *Io. Meurſius (k)* planum facit. Sic, *Dodonam (l)*, accepimus, ſingulari *Iovis* tutela gloriari ſolitam. Volo ceteras nominare urbes, ce-

X 2 lebres

(e) *Catil. I.*
(f) *Nat. Deor. Cap. 9.*
(g) *H. Valeſ.* ad *Euſeb. H. E. p. 122.*
(h) *Strateg. V, 1.*
(i) *IX, 167.*
(k) In *Creta, III, 1.*
(l) *Priap. Sciopp. LXXVI, 1.*

Tibullus (z) appellare videtur. Sed nollem huc revocare *Lares Vicinos*, quos *Io. Meurſius (a)*, cum eoque *Frid. Taubmannus (b)*, Vicorum Præſtites fuiſſe dicunt. Nam vehementer ego dubito, utrum id nomen uſpiam inveniatur. Aliter certe ſentiendum eſt de *Apolline Vicino*, ſicuti poſtea dicemus. Sed iidem tamen docti viri, & alii quidam, cum Θεοὺς Ἀγυιεῖς nobis hic offerunt, haud videntur obſervaſſe diſcrimen Vicorum, de quo paullo ante eſt expoſitum. Neque enim Ἀγυιαὶ Græcis ſunt Vici in agris, verum in urbibus, ſive, ut *Macrobius (c)* interpretatur, *viæ, quæ intra pomoeria ſunt*. Veruntamen ad præſidium Vicorum ſpectare arbitror Θεοὺς πεδιονόμους, quos *Aeſchylus (d)* τοῖς Πολιούχοις opponit, quosque, *Ez. Spanhemio (e)* duce, *Deos Paganos*, aut *Agrorum Præſides*, Latine reddas.

VII. Nec vero nobis iſta ſufficiunt, niſi ipſos Deos Vicorum nominatim quoque noverimus. Quibus in enumerandis, ordinem nos, ab antiquis traditum, ſequemur. Ergo, ex Conſentibus, ordinem ducat *Apollo*. Nam de *Iove* erit inferiore loco ſigillatim agendum. Hunc autem ruſticis eſſe cultum, conſtat. Unde Ἄγριος in Indigitamentis Orphicis *(f)* uſurpatur. Eiusdem vero tutela Vicos maxime uſos, non eſt obſcurum. Namque *Apollinem*

(z) *I*, 1, 20.
(a) *Auctar. Philol. Cap.* 2.
(b) Ad *Plaut. p.* 547.
(c) *Saturn. I*, 9.
(d) *Sept. Theb. v.* 273.
(e) Ad *Callim. p.* 590.
(f) *H. Apoll. v.* 5.

nem Lariſſæum, a Vico Epheſi, Lariſſa, nominatum, legimus, de quo deinceps dicam, ubi ad Iovis Vicilini templum in agro deſcendero. Sic *Apollinis Lycorei*, Φοίβου Λυκωρέως, mentio fit apud *Callimachum* (*g*), itemque, ut κριτικώτατος huius vatis explanator iam monuit, apud Auctorem Carminis Orphici (*h*), *Apolloniumque Rhodium* (*i*). Colebatur is in *Vico Lycoreo*, ad Parnaſſum ſito, qui mons ideo ipſe *Luciano* dicitur Λυκωρεὺς, & adhuc hodie, ab incolis Græcis, *Liacura* (*k*). Sed enim, quis fuerit ille Vicus, unde dictus, infra oſtendam. Eſt porro locus aliquis Epiri, qui *Oricus*, atque *Oricum*, iuxta dicitur, de quo *Th. de Pinedo* (*l*), *Chriſtophorusque Cellarius* (*m*), erudite diſſerunt. Hunc quidem locum *Stephanus* (*n*), *Euſtathius* (*o*), *Mela* (*p*), *Livius* (*q*), *Urbem* vocant, *Civitatem Servius* (*r*), atque *Oppidum Cæſar* (*s*), *Pliniusque* (*t*), appellant. At vero in titulo veteris Marmoris, quem, ex *Pyrrhi Ligorii* ſchedis, *L. Holſtenius* (*u*) deſcribit, expreſſis verbis *Vicus* nominatur: ORICO. VICO. APOLLIN. Atque illud ipſum, ni fallor,

X 4 ex

(*g*) *H. Apoll. v.* 19.
(*h*) *H. Apoll. v.* 1.
(*i*) *IV*, 1490.
(*k*) *Anna Fabri*, ad *Callim. loc. laud.*
(*l*) Ad *Steph. p.* 733.
(*m*) *Notit. Orb. antiq. II*, 13, *p.* 1082.
(*n*) Voc. Ὠρικό.
(*o*) Ad *Dionyſ. Perieg. v.* 399.
(*p*) *Sit. Orb. II*, 3.
(*q*) *XXIV*, 40. (*r*) Ad *Aen. X*, 136. (*s*) *B. C. III*, 11.
(*t*) *H. N. III*, 23. (*u*) Ad *Steph. Byz. p.* 362.

ex laudato *Livio*, qui tamen ipſe urbem dicit, haud difficile patet. Etenim, eum locum, ait, ſitum *in plano*, ergo in campeſtri loco, *neque mœnibus*, *neque viris*, *neque armis*, *validum*. Ex quibus ſane magis Vicum, quam Urbem, agnoſcas. Sic apud Arabas, ut *Iac. Golius (x)*, quo nemo peritior fuit interiorum huius gentis literarum, obſervat, haud raro مدينة, *Madinaton*, pro قرية, *Kiriaton*, ponitur, & verſa vice, quorum illud *Civitatem*, hoc *Vicum*, ſignificat. In hoc igitur *Vico*, qui *Apollinaris* ideo dicitur in memorato lapide *Ligoriano*, ſacra procurata ſunt *Apollini*. Probat idem illud præterea *T. Claudii* numus, ex eiusdem *Pyrrhi* penu depromtus ab *Holſtenio*, in quo lyra *Apollinis*, Genii Vici tutelaris, adiectis verbis: COL. CLAVDIA. ORICOS. APOLLINAR. AVG. Atque hoc loco non eſt prætereundum illud, quod, ſub perſona *Chryſali*, ſervi, *Plautus (y)* dicit:

> *Saluto te*, Vicine Apollo, *qui ædibus*
> *Propinquus noſtris accolis*, *veneror que te*.

Hic, quis ſit *Apollo Vicinus*, ambigitur. *Adrianus Turnebus* (z), vir, ſi quiſquam, admirabili εὐςοχία in enucleandis veterum ſcriptorum locis difficillimis, *Proſtaterium Apollinem* intelligit, Athenis, tanquam ædium præſidem, in veſtibulo domus coli ſolitum. Sed ab hac alienus ſententia eſt erudititiſſimus Græcarum mercium venditor, *Io. Meurſius*, quem ſupra adduximus, docens, falli eos,

(x) Ad *Alfergan. Elem. Aſtron. p. 244.*
(y) *Bacchid. Act. II, Sc. 1, 3.* (z) *Adverſ. II, 30.*

eos, qui de Προστατηρίῳ hic cogitent, eſſe potius ad curam præſidiumque *Vicorum*, quibus præſit *Apollo* Ἀγυιεὺς, cognomentum hoc revocandum. Habet in hoc ſibi ſuffragantes *Georg. Vonnam (a)*, &, quem diximus, *Taubmannum*. At vero maior omnino commendatio eſt *Turnebianæ* explicationi, quæ in ipſo contextu *Plauti* multum præſidii habet. Dicitur enim Apollo *propinquus ædibus accolere*, idque propterea, quod huius ſimulacrum erat in viis publicis urbium, atque itineribus, poſitum, haud procul ab ædibus civium, adeo ut ipſe *Apollo* civibus eſſet ΓΕΙΤΩΝ, πρὸς πύλας προθύρου, VICINUS, *ante portas veſtibuli*. Sic enim aptiſſime *Plautum*, *Ariſtophane (b)* duce; explicamus. At, relicto *Apolline*, pergamus ad *Bacchum*; nam hunc quoque Vicis præeſſe voluerunt. Dictus eſt ideo *Limnæus*, quæ ratio denominandi refertur ad Λίμνας. Fuit is Δῆμος Ἀττικῆς, *Pagus Atticæ*, teſte enarratore (c) *Callimachi* Græco. Sunt autem Δῆμος & Κώμη ſynonyma (d), quod ſemel hic moneo. Pari modo veteres explanatores *Ariſtophanis (e)*: Λίμναι, χωρίον Ἀττικῆς. Quod *Gyraldus (f)* optime reddit *Vicum*. Ita enim ſæpe ſumitur Græca vox. De divinis autem *Bacchi* honoribus in hoc *Vico* idem Vir doctus, ex *Harpocratione*, hæc commemorat: *Limnæ locus eſt Athenis, in quo Dionyſius*, (cur non potius *Dionyſus?*) *colitur*. Sed nihil huius illic reperias. Vo-

(a) *de Geniis Exerc. I Cap. 3 §. 5.*
(b) *Veſp. v. 870.* (c) *ad H. Dian. v. 172.*
(d) *Steph. Byz. v.* Κώμη. (e) *ad Ran. v. 218.*
(f) *Hiſt. Deor. VIII p. 286.*

Ἱερὰ μὲν τῆς Ἀθηνᾶς ἐϛιν ἥτε ἄλλη πόλις, καὶ ἡ πᾶσα ὁμοίως γῆ. Et ſacra quidem Minervæ eſt cum univerſa urbs Athenienſium, *tum omnis pariter regio* Attica. Sic videntur hæc Latine exprimenda. Puto enim, pro ἄλλη, quod hic non tolerandum, rectius legi ἅλη. Adiungatur his Nummus artificii Græci, cuius ex *Ligorii* Collectaneis meminit *Holſtenius* (z), in quo caput *Minervæ* galeatum cernitur, his incluſum literis: ΜΑΡΑΘΩΝ, ut ex eo cognoſcas, *Minervæ* ſacra in hoc *Atticæ* Pago fuiſſe. At vero *Dianæ* ut providere credebatur, ne quid frugibus detrimenti inferant feræ, ſic, eandem præſidem Vicorum adſcitam eſſe, liquet. Hanc enim Athmonenſes, cognomento *Amaryſiam*, ut *Pauſanias* (a) prodit, venerati ſunt. Eſt autem Ἄθμονον, quod multimodis ſcribitur, aliquis locus, qui in Pagis Atticis, ſpeciatim tribus Cecropiæ (b), numeratur, cuius rex, *Porphyrion*, multo ante *Actæum* exſtitiſſe dicitur, ut idem ait *Pauſanias* (c). Pari quoque veneratione in *Limnis Diana* culta fuit. Sed duæ ſunt *Limnæ*, probe diſcernendæ. Altera Atticæ, altera Laconicæ, utraque Vicus. Has perperam miſcet enarrator *Callimachi* (d), qui de Atticæ Vico Cyrenaicum Vatem explicat, cum is de altero Vico (e) velit intelligi. Eisdem in Limnis Laconum templum *Dianæ Limnatidis* exſtitiſſe, pluribus

e locis

(z) *ad Steph. Byz. p. 198.* (a) *Attic. Cap. 31.*
(b) *Steph. Byz. Heſych. Harpocrat. Suid.*
(c) *Lib. laud. Cap. 14.* (d) *ad H. Dian. v. 172.*
(e) *Spanh. ad Callim. p. 248.*

e locis *Pauſania* (*f*) commonefimus. Utrum vero etiam Limnæ Atticæ, quo loco *Bacchi* ſacra floruiſſe docui, *Dianam* coluerint, id certe nondum mihi ſatis exploratum eſt. *Nicol.* quidem *Friſchlinus* (*g*), doctiſſimus vir, templum *Dianæ* in Limnis Atticis ſtructum, a *Thucydide*, in ſecundo, commemorari ſcribit. Sed hoc ego fruſtra ibi quæro. Sic *Diana* Vicis præſidet. Verum pari fungitur officio *Venus*, ut nunc dicemus. Gaudet *Corinthus* portu maxime celebri, Κεγχρεαὶ dicto, ut a *Paulo* Apoſtolo & *Strabone*, aut Κεγχρέαι, ut a *Ptolemæo*, ac *Stephano*, aut denique Κεγχρεῖαι, ut a *Thucydide* atque *Pauſania*, ſcribitur. De quo exquiſite, ut ſolet, diſſerit magnum lumen Germaniæ, *Chriſtoph. Cellarius* (*h*). Sed idem etiam *Vicus Cenchreenſis*. Hunc enim locum Κώμην claris verbis *Strabo* (*i*) nominat, quem, eadem ratione, *Pauſanias* (*k*) Χωρίον appellat. Unde *Philippus Cluverius* (*l*), vir Geographiæ veteris haud ignarus, *Cenchreæ portus*, inquit, *erat*, *Vicum ſibi coniunctum habens*. Neque eo ſecius idem ille Vicus tanta fuit apud Corinthios celebritate atque exiſtimatione, ut eandem ob cauſam, ſicut videtur, πόλις a *Stephano*, atque *oppidum* a *Mela* (*m*), imo vero a *Livio* (*n*) *Corinthiorum emporium*, vocetur. Fuit hic templum *Veneris* ac ſimulacrum li-

(*f*) *Lacon. p. 208, 220, 248, 271, Meſſen. 287, 356.*
(*g*) *ad Callim. p. 408.*
(*h*) *Notit. orb. antiq. II, 13, p. 1173.*
(*i*) *VIII, p. 262.* (*k*) *Corinth. Cap. 24.*
(*l*) *Introd. in Geogr. IV, 7, p. 405.*
(*m*) *II, 3.* (*n*) *XXXII, 17.*

ligneum, ut *Pauſanias* (*o*) memoriæ tradit. Habuit præterea *Athmonon*, de quo Atticæ Pago iam diximus, ſanum *Veneris* cœleſtis, cuius κτιστὴς & conditor *Porphyrion* exſtitiſſe fertur, teſte eodem Geographo (*p*). Huius inſiſtunt veſtigiis *Iac. Sponius* (*q*) *Ioannes*que *Meurſius* (*r*), explanatores horum Pagorum ambo ſolertiſſimi. Conſentes Deos, quorum dedimus exempla quædam, relinquimus, & in locum illorum iam ſuccedant Selecti. Ex his *Plutonem* commemoro, quem, in enumerandis Diis Vicorum, cur omittam, plane non video. Is enim ut a Nyſæis, Cariæ populis, magna cerimonia fuit cultus, quod, ut alia mittam, inprimis patet ex pereleganti Numo *Valeriani* (*s*), a Nyſæis cuſo, cuius pars averſa ΘΕΟΓΑΜΙΑ ſpectanda præbet, quæ ſunt ſacra, inſtituta in memoriam connubii *Plutonis* cum *Proſerpina*, quod vix attigit Doctiſſ. *Meurſius* (*t*), multo autem eruditius, & ex penu reconditioris doctrinæ, declaravit *Ez. Spanhemius* (*u*), ſic in *Acharaca*, qui Vicus inter Tralles ac Nyſam interiacet, haud miremur, eundem *Plutoni* honorem tributum eſſe. Illuſtris ea de re eſt locus *Strabonis* (*x*): Ἐν δὲ τῇ ὁδῷ τῇ μεταξὺ τῶν Τράλλεων καὶ τῆς Νύσης, Κώμη τῶν Νυσαέων ἐστὶν, οὐκ ἄπωθεν τῆς πόλεως, Ἀχάρακα, ἐν ᾗ τὸ Πλουτώνιον, ἔχον καὶ ἄλσος πολυτελὲς, καὶ

νεὼν

(o) *Corinth. Cap. 2.* (p) *Attic. Cap. 14.*
(q) *de Pag. Attic. Cap. 7.*
(r) *de Popul. Att. p. 685 T. IV Gronov.*
(s) *Morell. Spec. rei num. Tab. XIV, 4.*
(t) *Græc. Fer. IV p. 149.*
Epiſt. II ad Andr. Morell. (x) *XIV p. 447.*

νεὼν Πλȣ́τωνός τε καὶ Κόρης. *In via inter Tralles & Nyſam, Vicus eſt Nyſaenſium, haud procul ab urbe, dictus Acharaca, in quo Plutonium, habens & lucum pretiioſum, & templum Plutonis ac Proſerpinae.* Hunc Vicum idem *Strabo*, ſed alio loco (*y*), *Characa* nominat, ubi *Cellarius* (*z*), Codice meliore adiutus, an ingenio fiſus, neſcio, legit *Acharaca.* Dubius videtur ὁ πάνυ *Caſaubonus* (*a*), quae ſit vera lectio. Sed tamen *Stephano Byzantio* Χάραξ in aliis eſt Καρίας πόλις, ἡ νῦν Τράλλις. Quam ego urbem, ut is vocat, ab Acharaca *Strabonis* minus diverſam eſſe putem. At in laudato loco *Strabonis* III. *Spanhemius* (*b*) omnino recte emendat, Πλȣ́τωνός τε καὶ Κόρης. Vulgo Ἥρας legitur, perperam. Non tamen hic per Πλȣτώνιον, quae eiusdem *Ezechielis* mens eſt, *lucus Plutonis* intelligendus videtur; huius enim in conſequentibus ſit ſigillatim mentio. Nec *templum Plutonis* hac voce comprehendi cenſeo, quemadmodum, ſimili flexione, Ἀσκλήπιον, Ποσιδεῖον, Θησεῖον, Ἰσεῖον (*c*), item *Aeſculapium* (*d*) & *Minervium* (*e*), Graecis Latinisque pro illorum Numinum aedibus ſacris dici conſuevit. Sed Πλȣτώνιον, ut omnino videtur, ipſa ſacra ſunt, & ſolemnia, & celebritates, quae dantur honori *Plutonis*, perinde ac *Dianium* pro ipſo ſacro *Dianae* ponitur apud *Livium* (*f*). Iam vero ex minorum

(*y*) *XII, p.390.* (*z*) *Notit. orb. antiq. III, 4, p.139.*
(*a*) Ad *Strab. p. 182.*
(*b*) *Loc. laud. p. 113.* (*c*) *Spanh. Epiſt. I ad Morell. p. 79, 80.*
(*d*) *Turneb. Adverſ. II, 3.*
(*e*) *Arnob. VI p. 193.* (*f*) *I, 48.*

norum gentium Diis, quos dixerunt Indigetes, *Hercules* huc iure refertur. Etenim in Μελίτῃ, quæ fuit Pagus Atticus, tribus Oeneidis, ut *Stephanus*, ſive, ut *Harpocration*, Cecropidis, quem & *Phocionis* ædes, adhuc *Plutarchi* ætate ſuperſtes, & domus Athletarum *(g)*, illuſtrarunt, *Herculis* Ἀλεξικάκου, cuius imaginem vetera monumenta *(h)* monſtrant, exſtitiſſe templum, teſtis eſt *Heſychius (i)*, ſicuti *Jac. Sponius (k)*, a *Gallandio* monitus, obſervat, inprimisque *Io. Meurſius (l)*, & *Heſychium* caſtigans, & ex *Ariſtophaneis* Criticis *Tzetzæ*que Chiliadibus idem erudite confirmans. Etiam *Marathona*, celeberrimum Pagum, tribus Leontidis, Athenienſium inſigni de Perſis victoria, *Miltiadis* virtute parta, illuſtrem, *Herculi* ſacrum fuiſſe, ideo ſuſpicor, quod Græcus *Pindari* enarrator *(m)*, ludos *Heraclios* eo in loco fieri conſueſſe, memoriæ prodidit.

VIII. Numina quondam exſtitiſſe, quæ, profanarum gentium inveterata opinione, Vicorum curam gererent, ſatis, opinor, demonſtratum eſt. At vero de *Iove*, (nunc enim id, quod caput eſt, videamus,) quid ſentiendum ſit, excutiendum nobis eſt. Aio igitur, *Iovem Vicilinum* a *Vicis* dictum, quoniam veteres, hunc Vicis præeſſe, voluerunt. Hoc ut confirmetur, quæramus nunc argumenta. Nec vero ea plane deſunt. Atqui Lares Vicorum præſides

(g) *Pined.* ad *Steph. p.* 455.
(h) *Beger. Hercul. Ethnic. Tab.* 27.
(i) Voc. Ἐκ Μελίτης. (k) *De Pag. Att. p.* 26.
(l) In *Piræeo Cap.* 4.
(m) Ad *Olymp. Od. IX*, 134, *p.* 114, *ed. Oxon.* 1697.

des fuerunt, uti ſupra eſt expoſitum. Num tu ergo his annumerare maximum Deorum non dubitas? Sed enim, ut omittam Deos magnos, quorum idem munus fuit, multum ſane dignitatis, multum excellentiæ, habet ipſum nomen Larium. *Lar* enim, ex origine ſua Tuſca *(n)* ſpectatum, nihil aliud eſt, quam Προςάτης, *Princeps*, *Dux*, *Præfectus*. Talis autem Iupiter ad ceteros Deos. Quare, vel ipſos maiorum gentium Deos Larium nomine compellari, videmus, ut *Aſtorius* *(o)* quoque recte monuit, nulla tamen adiecta ratione. Sed hanc ego dixi. Huic rei indicio eſt ratio Lararii veterum. Illud enim Lararium, quod exemplo *Alex. Severi* *(p)* diſcimus, duplex olim erat. In priore parte, præter homines ſingulari pietate, ac ſanctimonia, vitaque emendata, conſpicuos, ipſi etiam Dii collocabantur, cum in poſteriore parte homines tantum clari ponerentur. Sic *Ianus* dictus *Lar Cunctalis* *(q)*, quaſi dicas παντοκράτορα, qui cuncta poteſt; *Neptunus*, *Lar Permarinus* *(r)*. Quid, quod ipſum Iovem *Larem cœleſtem* *(s)* appellarunt. Nec id mirum. Ecquid enim aliud eſt Lar, quam Deus domeſticus? At notiſſimus, ex ævi priſci ſpoliis, Iupiter *domeſticus*, itemque ἐφέστιος. Hæc eadem cauſa eſt, cur *Veiovis*, una cum *Laribus*, effingatur

(n) *Ioſ. Scalig.* ad *Propert. p.* 286, *Voſſ. Etymol. p.* 280, *Dempſter. Etrur. Regal.*
(o) *De Deo Brotonte p.* 3.
(p) *Ael. Lampr. Vit. Sev. p.* 123, 124.
(q) *Mart. Capell. de Nupt. Philol. Lib. I.*
(r) *Liv. XL*, 52. (s) *Capell. loc. laud.*

ſingatur in Numo Cæſiæ gentis (*t*), ſicuti, ſimilem in modum, *Iouem Paternosque Lares* coniungit *Iuvenalis* (*u*). Quo tendit titulus priſci lapidis (*x*): IOVI PRAESTITI. Et *ſacellum Iovis Præſtitis*, apud *Jul. Capitolinum* (*y*). Sunt enim *Præſtites*, quos interpres *Plutarchi* male *Præſides* vocat, Lares privati, ab effecto nominati, quod domum focumque ſervant. Unum addo, videlicet BONUM DEUM BROTONTEM, quem rectius dicas *Brontontem*, id eſt, Tonantem. Sic enim *Iupiter* appellatur in monumento antiqui operis, quod ſingulari Epiſtola, Venetiis A. 1698 impreſſa, *Aſtorius* breviter, & bene, explicavit. Larem autem atque *Bonum Deum*, ſive Ἀγαθὸν Δαίμονα, eundem eſſe, tritum eſt, & in vulgus notum. Igitur haud aliena eſt a Iove ponenda cura Vicorum, quamvis etiam Lares præſidere vicis exiſtimati ſint. Veteres nimirum, *Iovem* præcipuis maximisque cerimoniis, quæ ſummum Deum decerent, venerantes, ſatis ſeſe præſidii habituros, tutiſſimosque futuros, ſperabant, ſi hoc tanto loci patrono fruerentur. Quare eius maxime tutelam avide expetiiſſe homines, in vicis degentes, credimus. Nec vero non poterat ſibi hoc genus hominum *Iovis* præſidium, ob rem agrariam, frumentique conſervandi cauſa, vehementiſſime exoptare. Priſcos enim populos, verbi divini verique Numinis expertes, ſola ſpe atque metu religionem dimen-

(*t*) *Baudelot. Utilité des Voyages Tom. I p. 171, 174, Patin. Famil. Rom. p. 54 n. 1.*

(*u*) *Sat. XII, 89.*

(*x*) *Gruter. p. 22, 1, 1065, 2.*

(*y*) In *Max. & Balb. p. 167.*

menſos eſſe meminimus, quorum tamen Numina, Deus Iſraelis (z) teſtatur, *nec obeſſe poſſe*, *nec iuvare*, לא ירעו וגם·הטיב אין אותם. Hinc *Sol* & *Luna*, atque alia denique cœli lumina, Deorum in numero habita ſunt. Hinc *Iupiter* ipſe, quem Φυσικοὶ Aerem explicant, modo Pluvius, modo Fulminator, cultus. Neque enim eos latebat, quantam hæ res naturales, quas ipſi convertebant in Numen, vim tactumque haberent, quantum aut commodi, aut detrimenti, frugibus afferrent. Hanc ob cauſam Gazenſes, ut Auctor *Etymologici M.* ſcribit, *Iovem* Ἄλδον, ſeu Ἀλδήμιον, venerati ſunt, ab *augendis frugibus*, quod eſt ἀλδαίνειν. Ruſticos homines Θεοῖς Ἐπικαρπίοις ſacros devotosque fuiſſe, *Maximus Tyrius* (a) prodit. *Iovem* autem his Diis annumeratum, non dubitabit, qui, huic, ſciat, cognomen Ἐπικαρπίου, ab *Ariſtotele* (b), & *Heſychio*, & *Cornuto* (c), indi, quod *Apuleius* (d), excellens artifex in vocibus Græcis, apte Latine exprimendis, *Frugiferum* interpretatur. Hunc *Iovem* Ἐπικάρπιον videor mihi inveniſſe in Numo quodam Punico, apud *Andr. Morellium* (e), ubi *Iupiter*, ſedens, ſpicam atque uvam, dextra porrigit. Poſſis ergo ſuſpicari, hunc etiam forſan a Pœnis, ob idem munus, cultum fuiſſe. Neſcio, an commode huc referam *Alexandri M.* Numiſma, cuius iconem dat *Hub. Goltzius* (f).

(z) *Ierem. X, 5.*
(a) *Diſſ. XIV p. 142.*
(b) *De Mundo Cap. 7.*
(c) *Nat. Deor. Cap. 9.*
(d) *De Mund. p. 75.* (e) *Specim. rei num. Tab. XXVI, 1.*
(f) *Numiſm. Gr. univerſ. Tab. XXXII, 10.*

In hoc enim *Iupiter*, throno inſidens, aquilam manu extenſa ſuper ſimulacrum *Pirapi* attollit, credo, ut intelligatur, *Iovem* tueri conſervareque res ruſticorum. Nam *aquila* eſt providentiæ ſignum in Numis, & *Priapum* vicis præfecerunt veteres, ut dixi. Hoc idem officium *Iovi Axuro*, (ſic enim in antiquo ære conſtanter, non *Anxuro*,) *Virgilius* (*g*) tribuit, quem dicit *præſidere arvis*. Et ſic etiam *Iovem* inter XII Deos, qui duces ſint agricolarum, atque omnes fruges in agris ſervent, *M. Varro* (*h*) refert. Iam quis eſt, qui non continuo perſpiciat, cauſas non defuiſſe vicorum ſeſſoribus, cur *Iovem* potiſſimum præſidem rerum ſuarum ſibi deligerent? Idcirco etiam a Procuratoribus Vicorum, pro ipſorum ſalute atque incolumitate, *Iovi* vota facta ſunt, ut teſtatur lapis antiquus (*i*), in villa Brixienſi repertus. Namque illud marmor *Iovi Opt. Max. Conſervatori Poſſesſionum Roſciorum*, duo Roſcii, ambo *Procuratores* harum villarum, ex voto ponunt. Quin etiam ipſos vicos, Iovem ſibi præſidio eſſe exiſtimantes, nomen huius Dei credimus ſuſcepiſſe. Nam Capreis, quæ inſula eſt Italiæ, *Villa Iovis* exſtitit, in qua *Tiberius* (*k*) aliquandiu ſe tenuit. Quam quidem lectionem, contra *Memmianum* ſcriptum, in quo *Ionis* legitur, *Taciti* teſtimonio *Iſ. Caſaubonus* tuetur. Sed eam rem, in quam diligenter hactenus mihi videor inquiſiviſſe, luculentius iam tradere ſtudebo. Nunc enim, vicos illos, quos *Iupiter*

(*g*) *Aen. VII, 799.*
(*h*) *R. Ruſt. I, 1.*
(*i*) *Gruter. p. 18 n. 10, Pitiſc. Lex. Antiq. R. Tom. I p. 990.*
(*k*) *Suet. Tiber. Cap. 65.*

ter tueretur, eidem cognomina dediſſe, demonſtrabo: *Labrandenſem* Iovem, ſeu *Labradenſem*, *Lambradenſem*, *Lauradenſem*, *Labradeum*, *Labradium*, ſic enim reperio, ſed nunquam, quod ſciam, ut *Aſtorius* (*l*) ſcribit, *Labræum*, nec *Labrondæum*, aut *Labrodium*, ut *Caſp. Bartholinus* (*m*), haud incelebri loco Caria vetus habuit. Hunc, priſcis ſcriptoribus haud ignotum, cum *ſecuri*, quam ξίφον *Aelianus*, aptius *Plutarchus* πέλεκυν, vocat, pingi ſolitum, antiquæ elegantiæ atque artis opera monſtrant. Namque huius ſimulacrum, ad hunc modum ornatum, in vetuſtis Numismatibus cernitur. Sic ille *Iupiter*, in templo ſtans, ſecurim haſtamque manibus tenens, effingitur in Numo *Septimii Getæ*, apud *Philippum Buonarrotam* (*n*), cum hoc titulo: ΜΥΛΑΣΕΩΝ. Eſt idem Numus etiam ab aliis (*o*) productus. Sed iconem *Iovis* Labrandenſis, etiam ſine templo, cum iaculo & ſecuri, dat *Laur. Begerus* (*p*), ex *Hecatomni*, regis Cariæ, Numismate. Pertinent omnes hi Numi ad *Mylaſenſes*. Ita enim, exemplo æris antiqui, accuratius ſcribitur, quam vulgo Mylaſſenſes, ut recte eleganterque monet *Chriſtoph. Cellarius* (*q*). Mylaſenſes autem, teſte *Plinio*, maxima veneratione colebant Iovem Labrandenſem. Hæc

(*l*) *De Deo Brot. p. 6.*
(*m*) *De Inaur. vet. Cap. 9 p. 140.*
(*n*) *Oſſervazioni iſtoriche ſopra Medaglioni antichi. Rom. 1698, Tab. X.*
(*o*) *Numism. Ludov. XIV Tab. XXIII, 3, Seguin. Sel. Num. Petit. de Amaz. Cap. 24 p. 166, 167.*
(*p*) *Theſ. Brand. Tom. I p. 266.*
(*q*) *Notit. orb. antiq. III, 3, p. 104.*

quidem bene ſibi conſtant. At vero, nominis ipſius cauſam & originem ſi quæras, eam rem plurimum, videas, quæſtionis dare, quod tam multis modis a pleriſque fuit tradita. *Lactantius* (*r*), neſcio qua fide, refert ad *Labradeum* quendam, qui *Iovem* hoſpitio exceperit, adiutorque eius in bello fuerit. *Aelianus* (*s*) autem eam addit rationem, quod *Iupiter* Labrandenſis, cuius in templo ſit fons, piſcium, monilibus atque inauribus ornatorum, quos *Plinius* (*t*) anguillas vocat, multitudine refertus, impetuoſe vehementerque pluat, ὕσας λάβρῳ καὶ πολλῷ, intellige ὄμβρῳ, aut ὑετῷ. His multo probabilior *Plutarchi* (*u*) ſententia, nec tamen ideo veriſſima. Quærit ille, qui factum ſit, ut *Iovis* Labrandenſis ſimulacrum ſit ſecuri munitum, non ſceptro, aut fulmine. Cuius quidem rei hanc reddit rationem: *Herculem*, interfecta *Hyppolite*, in aliis eius armis ſecurim quoque abſtuliſſe, quam poſtea dono dederit *Omphalæ*, hinc fieri conſueſſe, ut Lydorum omnes poſt *Omphalen* reges eam, tanquam pignus imperii, ſucceſſione geſtaverint. *Candaulen* vero, indignum id perſona ſua ratum, uni ſociorum ſuorum ferendam dediſſe. Tum *Gygen*, *Candaule*, a quo deſciverat, bello oppreſſo, adiutum copiis ab *Arſele*, *Candaulen* ipſum, una cum ſocio, necaſſe, ipſamque adeo ſecurim, cum ceteris ſpoliis, in Cariam aſportaſſe, ex quo *Labrandenſis Iupiter* cognominatus ſit. Λάβρυν enim Lydorum in lingua eſſe *ſecurim.*

(*r*) *Div. Inſtit. I*, 22.
(*s*) *Hiſt. Anim. XII*, 30.
(*t*) *H. N. XXXII*, 2.
(*u*) *Quæſt. Gr. p.* 301, 302.

tim. Sic ille Chæronenſis, cuius veſtigiis, præter conditores Lexici Baſileenſis, *Sam. Bochartus* (*x*), ac *Petrus Petitus* (*y*), &, quem ante adduxi, *Aſtorius*, magni viri, inſiſtunt. Fuerit autem *Hercules*, ut veteres produnt, cum regina Amazonum, *Hippolyte*, congreſſus & conflictatus, tamen, ſecurim eius ab *Hercule* abſtractam, nondum ſatis, opinor, demonſtratum eſt. Secures in armis Amazonum exſtitiſſe, illud quidem probatione haud indiget, cum has viragines, ſecuribus munitas, in Numis, Gemmis, aliisque veteris artificii mercibus (*z*), oculis cernere poſſimus. Sed hoc ambigitur, utrum tum *Hippolyte*, cum *Hercules* eam adoriretur, ſecurim ſecum portaverit, ut is hanc ſibi rapiendi poteſtatem habuerit. Equidem non auſim *Plutarchi*, magnæ auctoritatis ſcriptoris, fidei deeſſe. Veruntamen, ſi *Apollodori* (*a*), *Hygini* (*b*), *Qu. Calabri* (*c*), aliorum eius pugnæ ſcriptorum, narrationes ſequare, *Herculem* certe non *ſecuri*, ſed balteo, ſeu cingulo, Reginæ potitum, accurate intelligas. Nec ſecurim videas in monumento veteri, ac Numismate *Macrini*, apud *Laur. Begerum* (*d*), ubi idem illud *Herculis* factum effingitur. Denique ego dubito, num quis unquam, ſi diſcedas a *Plutarcho*, *Λάβρυν* ſermone

(*x*) *Phaleg. II, 12, p. 87.*
(*y*) *De Amazon. Cap. 24 p. 165.*
(*z*) *Chauſſe Gemme antiche n. 22, Petit. loc. laud. p. 161, 162, 164.*
(*a*) *Biblioth. II, p. 112.*
(*b*) *Fab. 301.*
(*c*) *Troi. expugn. VI, 242.*
(*d*) *Herc. Ethnic. Tab. 11.*

ne Lydio *ſecurim* ſignificare, dixerit. Nam in *Polybii* ſeptimo, quem huc teſtem advocat *Aſtorius*, ipſe male Λαβρὶν ſcribens, vocem illam fruſtra quæras. Iam, ut rem in anguſtum cogam, *Iupiter* nulla alia de cauſa Labrandenſis dictus fuiſſe putandus eſt, quam a *Labranda*, vico Mylaſenſium in Caria. Audiatur, quæſo, *Stephanus* Byzantius: Λάβρανδα, κώμη Καρίας. *Labranda, Vicus Cariæ*. Quod ille ſumſit ex quarto decimo *Strabonis* (*e*): Τὰ δὲ Λάβρανδα, κώμη ἐστιν ἐν τῷ ὄρει, κατὰ τὴν ὑπέρθεσιν, τὴν ἐξ Ἀλαβάνδων εἰς τὰ Μύλασα. *Labranda Vicus eſt in monte, qua is ex Alabandis Mylaſa euntibus ſuperatur*. Ab hoc igitur vico *Iovem* dici Labrandenſem, & ipſa nominum convenientia docet, & Mylaſenſium Numi, ſupra commemorati, ad quos vicus ille pertinebat. In his maxime commemorabiles ſunt, ac digni attentione, duo Numi *Hadriani*, quos, ex *Pyrrhi Ligorii* ſchedis, laudat *Luc. Holſtenius* (*f*). Ecquid autem hi habent, notatu dignum? In uno, *Iupiter* ſedens, cum haſta & corona. Titulus: ΛΑΒΡΑΝΔΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. In altero *Iovis Iunoniſque* capita, adiectis literis: ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΒΡΑΝΔΑΙΩΝ. Ex his antiquæ memoriæ Numiſmatis, (nolumus enim hic *Ligorium*, cuius non ſemper accuratum eſt, in Numorum notis diſcernendis (*g*), iudicium, in ſuſpicionem fraudis adducere,) Iovem Larandenſibus cultum eſſe, patet. Huius honoribus templum in

(*e*) *XIV, p. 453.*

(*f*) Ad *Steph. Byz. p. 184.*

(*g*) *Spanh. Epiſt. III ad Morell. p. 152.*

in eodem vico excitatum fuit, ut non modo *Strabo* teſtatur, ſed *Herodotus* (*h*) etiam atque *Aelianus* (*i*). Ita, niſi me omnia fallunt, rectius ſentitur de *Iove* Labrandenſi, merito ideo in Vicorum Diis Tutelaribus cenſendo. Sed *Iupiter* celebratur etiam *Nemeaus*, Ζεὺς Νεμεαῖος, ut Auctor tertii *Argumenti Nemeorum Pindari* (*k*), ſive, ut *Stephanus* (*l*) ſcribit, Νεμεήτης Ζεὺς, nempe a *Nemea*, quam idem urbium ſcriptor in Elide collocat, *Plinius* in Arcadia, *Strabo* autem; cum *Ptolemaeo* ac *Pauſania*, idque verius, in Argea. Vicum quendam fuiſſe, exiſtimo. Quanquam enim, eam a *Stephano* Χώραν, a *Plinio* (*m*) *Regionem*, appellari, ſcio, quare etiam Geographiae veteris longe peritiſſimus, *Chriſtoph. Cellarius* (*n*), *dubium*, inquit, *opidum, an regio, an aliud*; nihilo ſecius tamen, vici potius conditionem habuiſſe, ex eo patet, quod *Pauſanias* (*o*) eum locum χωρίον uſurpat, id eſt, ut huius interpres ac *Cellarius* apte transferunt, *vicum*. Ea enim huius vocis notio frequentiſſima eſt. In hoc igitur vico magna *Iupiter* religione cultus fuit, ut dixi. Namque eo in loco fanum hic habuit, quod θέας ἄξιον, *dignum adſpectu*, *Pauſanias* dicit, diſtinctum ab aede Διὸς Νεμείου, quam in Oenoe, Locrenſium oppido, fuiſſe, veteres tradunt (*p*). Magno eidem vico fuit decori *lucus*, *Iovi* conſecratus, Νεμεαίου πολυϋμνητον Διὸς ἄλσος, ut *Pindarus* (*q*) ait, in quo lu-

 dicrum

(*h*) *V*, 119. (*i*) *Hiſt. Anim. XII*, 30.
(*k*) *Pag.* 319 *ed. Oxon.* 1697. (*l*) Voc. Νεμέα.
(*m*) *H. N. IV*, 6. (*n*) *Notit. orb. antiq. II*, 13, *p.* 1218.
(*o*) *Corinth. Cap.* 15. (*p*) *Holſten.* ad *Steph. p.* 221.
(*q*) *Nem. B. p.* 31.

dicrum Nemeorum huic Deo fieri conſuevit. Iam nos ad ſe vocat *Iupiter Croceates*; hunc enim in recenſendis Vicorum Præſidibus omittere non debemus. Scio, non ſatis convenire inter doctos homines de loco, qui Κροκέαι dicitur. Namque erudito populorum explanatori *Crocea* ſunt Πόλις Λακωνική. Si urbs, qui poteſt eſſe vicus? At vero nonne potior nobis & antiquior ſit *Pauſaniæ* (*r*) auctoritas, qui aperte nominat Κώμην, *vicum*, mare adiacentem, lapidibusque, qui in eodem loco crebro effodiantur, abundantem, cuius in conſpectu ſignum Διὸς Κροκεάτα, an forte Κροκεάτȣ, ex lapide fictum, conſtitutum ſit. Nec vero hic prætermittendus videtur *Lycoreus Iupiter*. Sic enim ille appellatur a vico, cui nomen *Lycorea*. *Callimachus*, tertio, ut *Stephanus* (*s*) auctor eſt, Libro, quem nos in deperditis numeramus, Λυκώρεια, Κώμη ἐν Δελφοῖς. Confirmant eruditiſſimi ad *Apollonium Rhodium* Critici (*t*): Οἱ Δελφοὶ τὸ πρῶτον Λυκωρεῖς ἐκαλȣ̃ντο, ἀπό τινος Κώμης Λυκωρείας. *Delphi primum Lycorenſes dicebantur, a vico quodam Lycorea.* Quem quidem ego locum (cur enim celarem?) Clar. *Holſtenii* diligentiæ debeo. Sed tamen idem vicus tam inſignis, tam excellentis, amplitudinis fuiſſe cenſendus eſt, ut hunc *Pauſanias* (*u*) πόλιν appellare non ſit veritus, ſicut etiam *Strabo* (*x*), ipſe, ut videtur, animi pendens, nec urbis, nec vici, ſed τόπȣ voce utitur. Hoc in loco, quem *Pauſanias*, cum eoque

(*r*) *Lacon. Cap.* 21.
(*s*) Voc. Λυκώρεια, *Bentlei. Fragm. Call. XXXI, p.* 311.
(*t*) *IV*, 1490. (*u*) *Phoc. Cap.* 6.
(*x*) *IX, p.* 288.

eoque *Cellarius* (*y*), in ſummo vertice Parnaſſi ſitum, aiunt, marmor autem Parium, a *Io. Seldeno* explicatum, &, huc forte reſpiciens, doctiſſima *Tanaquilli Fabri Anna* (z), ad radices montis eiusdem collocant, *Deucalion*, ſuperatis ærumnoſi cataclysmi moleſtiis, conſediſſe, ibidemque regnaſſe, fertur. Utcunque tandem hæc ſe habent, certe id exploratum eſt, magnam huic vico gloriam celebritatemque peperiſſe *Iovis* ſacra, hic adminiſtrari ſolita, ut ipſum nomen eius Dei, Λυκωρεῦος, aut Λυκωρεῖος (*a*), ſatis ſuperque declarat. Miſſis ceteris cognominibus *Iovis*, quæ ad curam Vicorum ſpectent, ut ſatietati lectoris medeamur, unum adiungam, quam breviſſime potero, quod propius accedere puto ad rationem *Vicilini*. *Iovem* volo *Paganicum*. Cuius quidem nominis mentionem, ſi qua forte fuit, adeo vetuſtas obliteravit delevitque, prorſus ut id nusquam appareat, niſi ſemel tantummodo, perinde ac *Vicilinus*. Unica hæc vetus Inſcriptio (*b*): IOVI PAGANICO SACR. *Iupiter* autem ipſe *Paganicus* a *Vicilino* nomine, non re & officio, diſtinguitur. Etenim is ideo, ut videtur, hoc cognomen nactus eſt, quod huic a Paganis ac Vicorum incolis, pro frumento in agris atque horreis conſervando, tectisque cuſtodiendis, honos divinus fuit tributus. Itaque eius rei memoriam quot-

annis

(*y*) *Orb. antiq. II, 13, p. 1127.*

(*z*) Ad *Callim. H. Apoll. v. 19.*

(*a*) *Steph.* voc. Λυκώρεια.

(*b*) *Gruter. p. 21 n. 11, Gyrald. Hiſt. Deor. II, p. 117, Pitiſc. Lex. Antiq. Tom. I p. 994.*

apparantibus. Taceo templi, in agro *Herodis* Attici excitati, conſecrationem, quam, poſt *Iſ. Caſaubonum*, *Cl. Salmaſius* perite explicat. Non attingo campum, qui Rharius appellatur, fano *Liberi* Patris (*r*) celebrem; non Larium Permarinûm ædem in campo (*s*), non denique *Priapi* ædiculam in agro (*t*). Tantum illud dico, quod maxime huc pertinet, *Iovem* quantumvis amantem *agrorum* fuiſſe. Hoc obſceniſſimi amores *Iovis* & *Europæ*, in agro Cretæ Gortynênſi (*u*), declarant; hoc *Iovis* nuptiæ, inter Euphratem Tigridemque, fluvios, ut eſt in ſacro ſermone (*x*), cum *Iunone* celebratæ; hoc ipſe *Campus Elyſius*, *Iovi* cum ceteris ſexus utriusque Numinibus communis, quem, ſingulari voce, *Plato campum Veritatis* nominat. Scribit *Vitruvius* (*y*), *Iovi ædificia ſub divo* exſtrui ſolita. Quare *Cadmus*, *Iovi* ſacra facturus, *agros ſalutaſſe Ovidio* (*z*) dicitur. Huc pertinet Numus (*a*) Olympiæ, urbis, in quo *Iovis* Olympii fanum, in agro prope montem, cernitur. Fuit ædes Iovis ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρατονικέων, ut *Strabo* (*b*) loquitur, quod cum *Livio* (*c*) rectiſſime dicas *in agro Stratonicenſi*, quam ædem, ex eodem Geographo, *Salmaſius* (*d*) Gy-

(*r*) *Pauſan. Attic. Cap. 38.* (*s*) *Liv. XL, 52.*
(*t*) *Ferret. Muſ. lap. I, mem. 13, p. 30.*
(*u*) *Spanh. ad Callim. p. 19.*
(*x*) *Aelian. H. Anim. XII, 30.*
(*y*) *Archit. I, 2.*
(*z*) *Metam. III, 25.*
(*a*) *Goltz. Num. Gr. Uñ. Tab. X, 1.*
(*b*) *XIV, p. 454.* (*c*) *XXXIII, 2.*
(*d*) Ad *Solin. p. 588.*

Gyraldus (*e*), *Cellarius* (*f*), deſcribunt. Neque enim alius quis, niſi fallor, præter *Strabonem*, eam rem memoriæ prodidit. Hoc ad templum, in quo *Iupiter*, *Chryſaoreus* cognomento, ab agro Cariæ, Χρυσαορὶς dicto, quæ vox *omnem Cariam* Epaphrodito, apud *Stephanum*, comprehendit, colitur, homines potiſſimum ex vicis, teſte eodem *Strabone*, confluunt. Habet ergo idem fanum, meo quidem iudicio, non parum convenientiæ cum æde ipſius *Iovis Vicilini*. Utriusque unus tantum ſcriptor meminit, utrumque vicorum ſeſſoribus ſacrum eſt, & utrumque in agro ſitum. Iam, ſi cuncta hæc, quæ de ſanis Deorum in agris hactenus diſſeruimus, animo complectare, ac *Vicilinum* contendas, hunc, videas, rebus Vicorum præpoſitum, horumque incolis conſervatorem exſtitiſſe. Relinquitur, ut intelligamus, aliquid roboris noſtræ ſententiæ acceſſiſſe, commemoratione eius loci facta, quem excuſſimus.

X. Qualem autem locum agri tenuerit templum *Vicilini*, ſi quæras, eius in termino atque finibus, iuxta viam, ſitum videri, reſpondeo. Novum enim hinc argumentum? Moris antiqui fuiſſe, ut ad vias publicas, religionis cauſa (*g*), templa Deum ſtruerentur, quis ignorat? Talem ædem Cyamitæ, ad viam, *Pauſanias* (*h*) commemorat. Eo reſpicere videntur *Theodoſius* & *Valentinianus* (*i*), qui

(*e*) *Hiſt. Deor. II, p. 101.*
(*f*) *Orb. antiq. III, 3, p. 103.*
(*g*) *Vitruv. IV, 5.*
(*h*) *Attic. Cap. 37.*
(*i*) *Cod. Theod. Tit. de Pagan. Leg. 10.*

qui magnas imperant pecunias, ſi quis *templum in itinere, adoraturus, intraverit.* Ne longus ſim, adeatur Doctiſſ. *Ever. Otto* (*k*), qui erudite ea de re diſputat. Ita vero eſt, dices, ſed viæ quid ad *Iovem?* Multum, inquam. Etenim, huic inprimis curam viarum a veteribus datam, meminimus. Hoc *Iovis* officium *Heſiodus* atque alii, maxime *Homerus* pluribus locis, deſcribunt, item Lapidum & Numorum tituli. Quæ afferrem, niſi, hoc negotio *Chriſtianum Weiſium* (*l*), cuius immatura morte damnum & eccleſiæ res, & bonæ literæ, fecerunt, iam præclare functum eſſe, ſciremus. An ergo male acturus ego ſim, ſi, templum *Iovis Vicilini*, quod, *in agro Compſano* poſitum, *Livius* dixerat, ſimiliter prope viam excitatum fuiſſe, ſuſpicer? Ipſum illud *Compſanum*, haud ſcio, an, temporum longinquitate, mendum quoddam ſuſceperit. *Compſino*, *Compcino*, *Compino*, *Comptino*. Sic Codices manu exarati, non ſine ſuſpicione erroris. Diximus ſupra. At *Gronovius*, *Pomtino*. Et *Goltzius*, *Coſano*. Id quoque diximus. Quid, ſi fortaſſe *Livius* ſcripſerit *Compitali*? Hæc enim lectio a MSS. non ita longe recedit. Eſt autem *Compitale* id, quod ad Compita pertinet. *Cicero Compitalitium* vocat. In hanc ſententiam *Compitales Lares Tranquillo* (*m*) ii dicuntur, qui ſunt ad Compita, & ad Vias, poſiti. Nec *Cato* (*n*), rem divinam *Compitalibus* in Compita fieri docens, aliud intelligere videtur, quam Deos

(*k*) *De Diis Vial. Cap.* 2 *p.* 17.
(*l*) *De Numin. Vial. Diſſ. II* §. 5.
(*m*) *Aug. Cap.* 31. (*n*) *R. Ruſt. Cap.* 5.

Deos Compitales, etſi haud ignorem, *Meurſium* id ad compitalia ſacra referre. Viderint acutiores. Fuerit ergo *Ager compitalis*, qui porrigitur ad compitum, cuius terminus extremique fines viam adiacent & attingunt, ita ut templum *Iovis Viciłini*, poſitum in extremitate agri, qua viam contingit, utrumque illum locum, inſtar termini cuiusdam, ſeparaverit. Hæc mea eſt qualiscunque conjectura, quam & modeſte profero, nec ulli obtrudo. Poteſtne *Iupiter* ergo Vicorum Viarumque idem eſſe Deus? Poteſt vero. Nam viæ atque vici, ut plerumque ſitu ſunt coniuncta, ita communem etiam in plurimis rationem habent. Ideo coniungit *Arnobius* o) *Lares Vicorum* atque *Itinerum*. Sic homines, qui vicos habitabant, magna religione Numina viarum coluiſſe, accepimus. Hunc Diis QVADRVVIIS honorem *Vicanos* Bibienſes tribuiſſe, argumento eſt vetus Inſcriptio, apud *Caſp. Barthium* (p) ac *Th. Reineſium* (q). Solebant ergo, ut antiquus *Perſii* enarrator (r) docet, ruſtici, finita agrorum cultione, ſacra in *compitis* procurare. Quod idem, ut mihi quidem videtur, *M. Cato* (s) in officiis villicorum commemorat. Hinc intelligo *Ciceronem* (t), nolentem in *Albanum* venire *die compitalitio, ne moleſtus ſit familiæ*. Videlicet non vult adire *Tullius* villam *Pompeii*, ne ſuis, in ſolemnibus compitalitiis defixis atque occupatis, inopportune veniat, ſitque impedimento. Conſtituebant

(o) *III, p. 124.* (p) *Adverſ. LII, 1.*
(q) *Claſſ. I, 140.* (r) *Sat. IV, 27.*
(s) *R. Ruſt. Cap. 5.* (t) *Ad Attic. VII, 7.*

bantur hunc in finem certi *Magiſtri Vicorum*, quos *Magiſtros*, ſine adiectione, *Calpurnius* (*u*) vocat, ad quos & ludorum, & ſacrorum, compitalitiorum adminiſtratio (*x*) pertinebat. Poſſis huc fortaſſe non inepte referre titulum veteris lapidis, de quo ſupra dixi, qui ſacrificium *Iovis*, factum a *Villarum Procuratoribus*, memorat, ut ex hoc ſuſpicere, *Iovis* etiam in ipſis compitis rationem eſſe habitam. Sic iam illud, quod, de templo *Iovis Vicilini*, ab incolis vicorum prope viam ædificato, demonſtrandum erat, expeditum videtur. At vero, cum idem fanum tali in ſpatio fuiſſe volumus fundatum, quod, inter agrum atque viam interiectum, utriusque loci, velut conſtituto termino, fines effecerit, qui tandem, hoc eius Dei muneribus reſpondere, putemus? Hanc ergo nos dubitationem tollemus nullo negotio. Quis tam cœcus in contemplandis antiquitatis opibus unquam fuit, ut non videat *Iovem Terminalem*? Hunc, *Numa* inſtituto (*y*), Roma colit, Græce ὅριον (z) dictum. Adeo deſipiens fuit iſta ſuperſtitio, ut Deum ſibi formaret e ligno atque lapide. Quo quid fingi poterat obtuſius? Sed tamen hic ſimul latet arcani quid, & retruſæ artis. Vident prudentiores, quantum periculi pendeat ab agrorum terminis, ſede ſua nequiter motis. Non felicius ſeſe huic vulneri reipublicæ mederi poſſe credunt, quam ſanctitatis cuiusdam religionisque opinione his ipſis lapidibus adſperſa. Hæc ut facilius

(*u*) *Eclog. IV*, 125.

(*x*) *Scaliger Poetic. I*, 28, *Turnebus Adverſ. XXI*, 3.

(*y*) *Plutarchus Num. p.* 70. (*z*) *Pollux IX*, 1, 8.

ſius in animos, vulgi præſertim, influat, ipſe iam princeps Deorum convertitur in Terminum. Quæ ſane forma, a natura Dei quamvis abhorrens, minime hunc dedecet. Nam ſaxum (*a*) ingens *Saturno*, filii loco, devorandum *Rhea* porrigit. Ex quo ipſam originem *Iovis* Terminalis quidam (*b*) elicere cupiunt, quam, multo aptius, ad *Iacobi* בית-אל, *Betel*, cum doctioribus, referas. Huius iconem cernere mihi videor in antiquæ artis opere, apud *Laur. Begerum* (*c*). Eundem, puto, effingi in *Augusti* Numo (*d*), etſi alii ſecus ſentiant. Exſtat idem in Gemma & alio Numo (*e*). Nec dubitandum eſt, quin templo idem *Iupiter* terminalis cultus ſit, quod de *Vicilino Livius* ait. Ambos enim hos inter ſeſe comparamus. Aram certe is habuit, teſte *Demoſthene* (*f*). Mitto quærere de *Iove Caſio*, quem *Sam. Bochartus* (*g*), apex ingenii Francogallici, *Terminalem* interpretatur, ut alias dixi. Cuius in Peluſio templum *Achilles Tatius* (*h*) deſcribit. Tantum hoc attingo templum, quod, τοῦ Διὸς ὁμορίου, *Iovis Contermini*, dictum, Crotoniatas, Sybaritas, Cauloniatasque, coluiſſe, *Polybius* (*i*) auctor

 eſt.

(*a*) *Heſiodus Theog.* 485.
(*b*) *Rycquius Capitol. Cap.* 14 *p.* 177, *Obrechtus Diſſ. Acad. XIX p.* 408.
(*c*) *Hercul. Ethn. Tab.* 27.
(*d*) *Sponius Miſc. p.* 9 *n.* 5, *Oiſelius Tab. XLI*, 5, *Begerus p.* 75.
(*e*) *Begerus Theſ. Brand. Tom. I p.* 76, *II*, 573, *n.* 3.
(*f*) Ἁλοννήσ. *p.* 75 *Tom. I Gr.*
(*g*) *Phaleg. IV*, 32. (*h*) Ἐρωτ. *Lib. III p.* 167.
(*i*) *Lib. II p.* 126.

eſt. Poſſum hæc latius diducere, ſed prohibet loci anguſtia.

XI. At *Livius*, dum, *arma*, dicit, *concrepuiſſe* in templo *Iovis Viciliui*, hunc ad Vicos pertinere, ſuſpicandi anſam nobis dat. Namque id genus hominum, quod in vicis vitam ſuſtentat, cum nullis mœnibus ſit circumdatum, nullis operibus munitum, armis inprimis opus habet, quibus ſe ab incurſionibus hoſtium defendere poſſit. His autem armis *Iovem* conſtituunt cuſtodem. Quid, quæſo, huic cum armis, tam placido, tam miti, tam pacis ſecuritatisque amanti, ut deſcribitur? Noli hoc mirari. Neque enim magis eundem lenem volunt eſſe, quam minaci vultu, quam bellicoſum, quam pugnacem. Hunc ergo cum ipſo Marte, uno in lapide (*k*), coniungunt. Hunc *Ἄρειον* (*l*), five, ut *Cicero* non ſemel, & *Livius*, interpretantur, *Imperatorem*, appellant. Ex quo, velut in tranſcurſu, emendo *Ciceronis* (*m*) illum obſcurum locum, a *Brodæo* (*n*), *Turnebo* (*o*), atque aliis, cetera perſpicacibus, haud intellectum, necdum, quod ego ſciam, reſtitutum. *Quid? ex æde Iovis religioſiſſimum ſimulacrum Iovis Imperatoris, quem Græci* Urium *nominant*. Sic quidem vulgo. Sed, ſi *Arium*, *Ἄρειον*, legas, bene ſibi *Tullius* conſtabit. *Iupiter* autem *Virgilio* (*p*) *ægida concutit*, ut armatum paratumque ad pugnandum agnoſcas. Arma igitur omnino

(*k*) *Sponius Miſcell. p. 72.*
(*l*) *Plutarch. Pyrrh. p. 385, Pauſan. Eliac. I, 14.*
(*m*) *Verr. VI.* (*n*) *Miſcell. VI, 9.*
(*o*) *Adverſ. XXI, 15.* (*p*) *Aen. VIII, 354.*

no ad officium *Iovis* ſpectant, quod is ſuſtinere, in tribuenda belli fortuna, putatur. Quare Imperatores ante prælium *Iovi* ſupplicant, quem, credunt, hoſtium opes proſternere, ſibique concedere poſſe victoriam, de quo alio loco dixi. Mitto Fulminis notam, quam, ſcutis militum inſculptam, crebro Numismata monſtrant, quaſi hi, duce atque auſpice Iove ſeſe bellum gerere, declarare velint. Quid *Iovem Prædatorem* (q) commemorem, quid Τροπαῖον, aut Τροπαιοῦχον, ex *Euripide*, *Pauſania*, *Sophocle*, *Plutarcho*, *Cornuto*, & aliis, notiſſimum, cui ſpolia, ex hoſtibus capta, dedicari conſueverunt. Ei autem rei templa ſerviunt, ut de *Vicilini* templo *Livius* docet. His in ſedibus Deorum arma etiam, præter cetera dona, ſuſpenſa reperias. Cuius exempla non deſunt in ipſis Sacris Literis. Nam Philiſtæi (r) *Saulis* Regis arma, qui prælians mortem occubuit, in *Aſtarot*, Dei ſui, templo ponunt. Itemque gladium (s) *Goliati*, heroica *Davidis* virtute cæſi, ſacroſanctum Dei tabernaculum ſervaſſe legimus. At *Plato* (t), reipublicæ illius commentitiæ architectus, qui arma templis inferri vetat, nihil obſtat huic loco, qui teſtimoniis non caret. Arma enim, ut *Lucanus* (u) prodit, templis Penatium affixa fuerunt. Ex quo more *Veianius*, gladiator, *Horatio* (x) teſte, *Herculis* ad poſtem arma figit. Et fortaſſe *Iani* valvæ, tempore belli, non magis ad preces pro ſalute urbis ibi faciendas, quam ad

(q) *Servius ad Aen. III, 223.*
(r) *1 Sam. XXXI, 10.* (s) *1 Sam. XXI, 10.*
(t) *De Republ. V p. 469.*
(u) *I, 239.* (x) *Lib. I Epiſt. 1, 4.*

ad arma ex eodem templo ſumenda, patierunt. Scutum Phrygiæ artis, *Euphorbus* Troianus, Aedem *Minervæ* ingreſſus, in ceteris donis conſpicatur (*y*). Atque *Apollini Hector Homericus* (*z*), ad ſingulare certamen adverſarium evocans, vovet, ſi vicerit, velle arma ſuſpendere in eius templo. Neque id obſcurum de Gradivo Patre. Namque, ut omittam Aedem *Martis* Ultoris, *Auguſti* (*a*) conſilio in Capitolio ædificatam, quæ inſignia triumphorum continebat, refero huc inprimis *Ancilia mota* apud Romanos, quod *Maro*, *μετωνυμικῶς*, *Martem movere* dicit. Etenim Dux, cum vellet in hoſtes proficiſci, prius, quam urbe exiret, *Martis templum* ac *ſacrarium* (*b*) ingreſſus, arma cœleſtia movere ſolebat, his uſus verbis: *Mars vigila*. Hic autem quid verus Deus cogitaverit, ipſe declarat per Vatem ſuum (*c*): הוי אמר לעץ הקיצה עורי לאבן דומם *Va iſti, qui dicit ligno, expergiſcere, vigila, lapidi muto*. At *Iovis* templum, ut variorum generum donis, ſic armis quoque, vacuum non fuit. Hæc nimirum illa ſunt ſpolia bellorum, quibus exornari, ait *Lucanus* (*d*), templa Tonantis conſueſſe. Namque id victores, eventu belli, ſuum putabant, ut *Iovi Reduci*, ad teſtandam grati animi religionem, arma dicarent (*e*). Et quem fugit, quam grandem numerum ſignorum armorumque, hoſtibus detractorum, Capitolini *Iovis* Aedes complexa ſit

(*y*) *Max. Tyr. Diſſ. XXVIII p.* 281. (*z*) *Il. H.* 82, 83.
(*a*) *Suet. Aug. Cap.* 29.
(*b*) *Serv.* ad *Aen. VII*, 603, *VIII*, 3, 664.
(*c*) *Habac. II*, 19. (*d*) *VI*, 260.
(*e*) *Ovid. Heroid. Epiſt. XIII*, 50, 144.

ſit (*f*). Nec vero hæc non ſunt aperta. Unum nunc in memoriam revocemus templum *Iovis*, cui ſpolia, *ferri* in id ſolita, *Feretrii* (*g*) nomen dederunt. Hoc in templum *Romulus*, primus eius ædificator, ſpolia opima importat, memoria huiuſce facti in præclaro Numo *Antonini Pii* (*h*) conſervata. Sunt autem *ſpolia opima* (*i*), ſive, ut *Curtio* dicuntur, *opimum decus*, ſingularia ſpolia, quæ dux duci manu ſua detrahit. Qualia Chriſtus, principe cacodæmonum armis caſtrisque exuto, deportavit (*k*). Pari modo *M. Marcellum*, cum *Virdumarum*, Ducem Gallorum, prælio ſuperaſſet, in eadem Aede *Feretrii* opima ſpolia fixiſſe, & *Plutarchus* (*l*) *Maro*que (*m*) docent, & eximius Numus *Claudiæ* gentis (*n*) accurate quaſique ad vivum exprimit. Ad hanc ergo conſuetudinem, longo temporum uſu inveteratam, arma in templo *Iovis Vicilini* ſunt ſuſpenſa, idque, ut nos arbitramur, a vicorum incolis, cum hi, crebris adverſariorum vexationibus laceſſiti, tutius aliquod tectis ſuis præſidium quærere cogerentur. Certe, ut Labrandenſes, de quo Vico ſupra eſt expoſitum, templum *Iovis* Στρατίυ, id eſt, *Militaris*, ut a *Strabone* (*o*), *Herodoto*,

(*f*) *Rycquius de Capitol. Cap. 28.*
(*g*) *Liv. I, 10, Propert. IV, 11, 47.*
(*h*) *Beger. Flor. p. 22 n. 2.*
(*i*) *Bulengerus de Spol. bell. Cap. 36, Rutgerſius Var. Lect. IV, 7.* (*k*) *Coloſſ. II, 15.* (*l*) *Marcell. p. 302.*
(*m*) *Aen. VI, 855.* (*n*) *Gronov. Theſ. Antiq. Gr. Tom. III, lit. l, Beger. Theſ. Brand. Tom. II p. 547, n. 3, Pitiſc. Aurel. Vict. p. 167.*
(*o*) *XIV, p. 453.*

doto (*p*), atque *Aeliano* (*q*), accepimus, religioſe venerati ſunt, cui, ob eandem cauſam, *Hecatomni* Regis Numus (*r*) *iaculum* in manum dat, ſic, credam, *Iovem Vicilinum*, cuius templum pluribus armis fulſit, ad eiusdem generis homines pertinuiſſe.

XII. Hactenus quidem, in explicando confirmandoque nomine *Vicilini*, multum operæ conſumſimus. Sed iam acrem excitari video controverſiam, quæ nobis, neſcio quale, bellum grammaticum & Orbilianum indicere velle videtur. Quæritur enim, ecquid tandem ſibi velit nominis tam inſueta flexio, *linus*, ſi ducatur a *vico*; cur non potius ex *vicus* fiat *vicinus*, abiecta media ſyllaba. Habet hæc res, fateor, aliquid, ſententiæ noſtræ adverſarium, quod nos aliquanto poſſit in ſuſpenſo tenere. Quid ergo? Si *Priſciani* legibus, ſine exceptione, ſemper obtemperandum eſt, tum demum ego, cauſa mea me cecidiſſe, concedam. Ecquæ vero hæc lex, quam tibi vis hoc loco? Nomina Subſtantiva in *cus*, gignendi caſu in *i* terminante, faciunt Adiectiva in *cinus*, ut *vicus*, *vicinus*. Quid ais? Tam univerſe loqueris, tam animoſe? Nullane hic exceptio? At contra ego ſentio; nam nulla regula caret exceptione. Cedo, cur a *circus*, *circi*, dicitur *circenſis*, non *circinus*, cur a *viſcus*, *viſci*, *viſcatus*, & *viſcidus*, & *viſcoſus*, nunquam *viſcinus*? Nolo plura; quid enim opus eſt? Iam, velim, ipſe iudices de vocabulo *vicinus*, quod tam variam, vides, flexionem aſſumere. *Vicanus Cicero* (*s*) habet,

(*p*) *V*, *119*. (*q*) *Hiſt Anim. XII*, *30*.
(*r*) *Beger. Theſ. Br. Tom. I p. 266.*
(*s*) *Pro Flacco & Divin. Lib. I.*

bet, *vicaneus*, citeriori Latinitatis ævo, *Io. Saresberienſis* (*t*), & *vicinalis* denique, præter *Senecam* (*u*), Epitomiſten Troii (*x*), variosque *Finium regundorum* Scriptores (*y*), ipſe *T. Livius* (*z*), ut apud hunc voces *vicilinus* & *vicinalis*, transiectis vitio librariorum literis, confuſas eſſe, ſuſpicari poſſes. Nec tamen deſunt aliæ rationes. Mos fuit veterum Romanorum, a Græcis Aegyptiisque, ut videtur, accitus, uti cuncta, quæ ad ſacra Deorum ſpectarent, quæque ideo *Paulus*, tactus afflatu divino, τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης nominat, mirum in modum occultarent, partim quod ab aliis intelligi nolebant, partim ut fraus earum rerum tectior maneret, quarum vel ſola cogitatio, nedum adſpectus, prudentioribus ipſorum Sacerdotum pudori eſſe, eisque, exemplo *Tullianorum* (*a*) aruſpicum, riſum ciere, debebat. Ut ergo Deorum origines doloſe ſupprimunt, ſic horum nomina & cognomina identidem removere ſtudent ab intelligentia vulgi. Hoc idem accidiſſe *Vicilino* noſtro, reor. Loquitur res exemplis. Fit enim, a *Luce*, Iupiter *Lucetius*, a *Nocte*, *Noctulius* (*b*) Deus. Nihil dicam de *Iugatino*, *Collatina*, *Tutulina*, *Patelena*, *Hoſtilina*, *Limentino*, *Statilino* (*c*), atque aliis eius generis cognominibus, ob ſingularem inprimis flexionem *linus* huc revocandis. Sed addo duo cognomenta Deorum, ideo

(*t*) *Nug. curial. VIII, 21, p. 661.*
(*u*) *Benef. V, 24.* (*x*) *XLI, 1.*
(*y*) *Pag. 11, 79, 263, Collect. Rigalt.* (*z*) *XXI, 26.*
(*a*) *Nat. Deor. Lib. I.*
(*b*) *Spon. Miſc. p. 115, Beger. Theſ. Br. Tom. III p. 292.*
(*c*) *Auguſtin. Civ. Dei IV, 8, 21.*

non prætereunda, quod & ſignificatione, & flexu, non multum diſtare a *Liviana* voce videntur, *Vibilius* & *Paganicus*. Nominat *Arnobius (d)*, in *quarto*, *Vibiliam* Deam, quæ *ab erroribus viarum*, gentium opinione, *liberet*. Qua de re plura diſſerit *Ever. Otto (e)*, lautioris doctrinæ ICtus, ipſe nomen illud in *Biviam* convertens. Quodſi quis, *Arnobium*, a quo *Livius*, in profliganda immani gentium ſuperſtitione, diligenter omnino eſt excuſſus lectitatusque, *Vicilinam* ſcripſiſſe, opinetur, næ huic ego non valde repugnavero. Sin illud, *Vibilia*, id eſt, Vialis, vera lectio putatur, nam veterum eo de nomine ſilentium nihil officit, cum multis libris bona fide *Arnobius*, atque alii, uſi ſint, qui, poſthac & temporum iniuria perditi, & deleti fervore quodam Chriſtianorum, ad noſtram memoriam pervenire non potuerunt, tum certe, vel ex ſolo hoc exemplo, lucide apparet, quam diverſa ratione Deorum appellationes ſint inflexæ. Alterum eſt nomen *Paganicus*. Haud ſunt ignotæ *Feriæ Paganicæ*, in Pagis celebratæ. Sic *Pluma Paganica*, apud *Martialem (f)*. *Iupiter* ipſe *Paganicus* dictus, ut ſupra oſtendimus. Cur, quæſo, *Paganicus*? Satisne *Paganus*? At vetuſtati, liberiori hac in re iudicio uti, placuit. Pari ergo modo veteres, negligentiores interdum grammaticæ rationis, pro arbitrio ſuo, *Iovem Vicilinum* maluerunt, quam *Vicinum*, voce in fine longius extenſa, quod *productionem verbi M. Tullius (g)* nominat, eiusque ſubtiliſſimus explanator,

(d) *IV, p. 131.* (e) *De Diis Vial. Cap. 10 p. 172.*
(f) *Epigr. XIV, 45.*
(g) *Topic. Cap. 8.*

nator, *Boetius*, *protractionem vocabuli*, ut, in meditullio, *tullium*, & ſic in ceteris. His forſitan poterat lector eſſe contentus. Sed unicum dictis breviter adiicio. Latini, parvum Vicum appellare cupientes, *Viculum* dicunt. Hinc *minimi Viculi*, apud *Flav. Vopiſcum (h)*. Gl. Κώμη. *Viculus*. Quid, quod ipſe *Livius (i)*, cuius nos teſtimonio lubentiſſime hic utimur, idem vocabulum adhibuiſſe videtur. *Vicoſque circumiectos*. Sic in *Gronovii Gruteri*que editionibus. At ſcriptus Mediceus, quem *Io. Frider. Gronovius* inſpexit Florentiæ, *Viculosque circumiectos*. Quæ quidem lectio *Iacobo*, filio, quam in ſchedis, ut opinor, a patre relictis, invenit, adeo arriſit, ut eandem ille in contextum *Livianæ* orationis recipere non dubitaret. Iam, cum vox *Viculus* ab antiquis, ipſoque, uti videtur, *Livio*, ſit uſurpata, quid impedit, quo minus, a *Viculo* dictum eſſe, arbitremur, *Viculinum*, id eſt, talem, qui parvum atque exiguum aliquem vicum teneat. Atqui *Livius* non dicit *Iovem Viculinum*? Reſpondeo. Eruditiores Romanorum, non tam regulis Grammaticorum, quam aurium delinitione iudicioque, *emetientes ſcriptionem (k)*, voces, elementi *u* ſono aſperiores, literæ *i* ſuavitate mollire ſoliti ſunt. Quare iſta, MAXSVMI, IVSTISSVMVM, SIMILLVMVM, LEGITVME, & eiusmodi alia, quæ apud veteres, maxime in Tabulis *Caii Luciique*, *Cæſarum (l)*, legas, analogiæ quidem gram-

(*h*) *Aurel. p. 210.* (*i*) *XXI, 33.*
(*k*) *Vel. Long. Orthogr. p. 2219 Op. Putſch.*
(*l*) *H. Noriſ. Cenot. Piſ. Diſſ. IV p. 740, 741, Tom. III, Branchu Obſerv. ad Jus Rom. Cap. 10 p. 109, 110.*

grammaticæ ſatisfaciunt, ſed feriunt perpurgatas aures *Ciceronianas*, quibus ſuavius illa ſonant, *Maximi*, *Iuſtiſſimum*, *Simillimum*, *Legitime*. Maluit ergo *Livius Vicilinus*, quam *Viculinus*. Id maxime probabile mihi videtur. Tali modo, in appellatione *Iovis Vicilini* ſingulare argumentum providentiæ divinæ recondi, iudico. Quanta enim huius providentiæ ſit excellentia, quantaque amplitudo, qua quidem, ut omnis mundus adminiſtretur, ſic ne minimi quidem viculi careant, veteres videntur voluiſſe hoc ipſo nomine docere.

XIII. Hæc habui, quæ, de perobſcuro nomine *Iovis Vicilini*, dicenda putarem. Plura abieci, multa, quæ latius patebant, preſſe anguſteque dixi, & chartæ parcens, & lectoris patientiæ proſpiciens. Explicavi atque excuſſi, in ſat difficili, fateor, argumento, intelligentiam meam. Nec tamen id mihi ſumo, uti, verum me, in explicando nomine *Vicilinus*, vidiſſe, contendam. Nam, ſicut optime iudicat *Paulus Leopardus (m)*, Criticus ſagax, acutus, excellens, & ſummi iudicii, *animum, ut arcum, intentum habeat oportet, qui veterum ſcripta cum laude interpretari velit*. Tantum ergo diximus, quantum potuimus ingenii mediocritate. Sententiam expoſitam nemini obtrudimus, ſed duntaxat in medium attulimus, relicta ſua cuique libera iudicandi facultate. Quodſi cui videatur ea quæſtio, quam tractavimus, nimis levis, & humilis, & obſoleta, & vix digna lucubratione anicularum, is norit, & dignitatem veterum ſcriptorum, & ſtudium cognoſcendi, ad quod quidem ego feror, & inprimis

Men-

(m) *Emendat. X*, 10.

Menckenii deſiderium honeſtiſſimum, id poſtulaſſe, velutique extorſiſſe. Subiicimus hunc laborem, ſolo literas iuvandi animo, non fervore quodam iuvenili, ſuſceptum, eruditiorum, qui ſubiecto ſunt iudicio, cenſuræ. Si quis eſt, qui ſententiam propoſitam, firmis uſus rationibus, labefactare, ac meliora docere, inſtituat, huic ego magnas gratias habebo, neque impudenter, ut mos eſt quorundam, quem ſemper horreo, reſiſtam. Studia enim hæc animum requirunt mitem, manſuetum, placidum, ſedatum, non talem, qui alios, leviter errantes, contumelioſe inſectetur & concidat. Ad extremum, ſi qua ſunt, ut omnino ſunt, minus explorate dicta, ea, credo, argumenti gravitas excuſabit.

VII.
FRID. OTTONIS MENCKENII OBSERVATIO AD TRIA VALERII MAXIMI LOCA.

Mihi, nuper animi cauſa *Valerium Maximum*, eximium præ aliis ac locupletem Scriptorem, legenti, nec legenti tantum, ſed attente etiam diligenterque legenti, viſus eſt duobus in locis ita laborare hic Auctor, ut vix mirari ſatis potuerim, de adhibenda ei medicina a Criticorum ad hunc diem nemine cogitatum; in uno autem non potui

non

perſtetiſſet, debere? Ea ſane harum vocum inter ſe ſimilitudo eſt, ut, has inter ſe permutare, facillimum iudicari poſſit, inprimis ſi ſtupor & imperitia librariorum accedat, non ad verborum ſenſum, ſed ad formam ductumque literarum, attendentium, a quibus, ſi tot alii multo impudentiores in ſcribendo errores commiſſi, quidni hunc commiſſum putemus, ut *ſed* pro *ſtet* exſcriberent? Eſſe autem huic loco accommodatiſſimum vocabulum *perſtare*, & eo proprie notari *multum continuoque ſtare*, ſi aliunde non haberes cognitum, vel ex ipſo diſcere *Valerio* poſſes, hanc vocis *perſtare* vim locis uno pluribus firmante. Habes enim hæc *Lib. VIII Cap. 15 Ext. §. 1: Eundem ferunt aliquot horis in eodem veſtigio* perſtare *ſolitum*, *non ante moto pede*, *quam conſimili labore iuvenes fatigaſſet*. Habes alia *Lib. VI Cap. 6 Ext. §. 2: Illi tamen feminis*, *omnique ætate imbelli urbe egeſta*, *quo diutius armati famem traherent*, *pertinaciſſime in muris* perſtiterunt. Quibus illa addere liceat, in quibus eadem eſt, etſi ad animum translata, ſignificatio: *Lib. VIII Cap. 7 §. 1: Cato*, *ſextum & octogeſimum annum agens*, *dum in republica tuenda iuvenili animo* perſtat, &c. & *Lib. III Cap. 1 §. 2: Iterum deinde ac ſæpius interpellatus*, *in propoſito* perſtitit; & *Lib. I Cap. 8 §. 8: Quem C. Caſſius*, *nunquam ſine præfatione publici parricidii nominandus*, *cum acie Philippenſi ardentiſſimo animo* perſtaret, *vidit humano habitu auguſtiorem*; denique *Lib. IX Cap. 11 Ext. §. 1: Minor*, *corporis viribus fretus*, *in amentia* perſtitit. Atque hæc *Valerii* loca non eam tantum vocis *perſtare* vim,

quam

quam dixi, probant, ſed illud etiam perſuadere nobis poſſunt, non, ſi quis neget vocem hanc in locum, de quo nobis ſermo eſt, *Valerii* recipiendam, huic præſidium in ea ratione futurum, quæ alias a paucitate exemplorum deſumi ſolet. Eſt enim hoc vocabulum, ut vides, uſitatiſſimum *Valerio;* cui an alterum *perſedere* fuerit cognitum, vel ideo dubitare licet, quod, niſi in corruptiſſimo hoc eius loco, id nusquam alibi legatur. Quod autem dixi, ex antiqua ratione fortaſſe *perſtetiſſet*, quod ipſum propius, quam *perſtitiſſet*, ad *perſediſſet* accedit; *Valerium* ſcripſiſſe, hanc coniecturam vel ideo tueri poſſe ſatis recte videor, quod plurimis Auctorum veterum exemplis, & obſervatione Grammaticorum, inprimis *Voſſii de Art. Grammat. Lib. V Cap. 20*, id conſtet, compoſita verbi *ſtare* ſæpiſſime formam modumque ſuæ ſtirpis retinere, &, ut hoc uno utar, in Participio futuri *perſtaturus* pro vulgatiori *perſtiturus* dici. Ita enim *Livius Lib. VIII Cap. 34: Se tamen* perſtaturum *in incepto.* Iam vero, ſi in Supino *perſtatum* pro *perſtitum* dixere veteres, non video, cur a Præterito *perſteti*, in quo eadem, quæ in Supino *perſtatum*, ſimplicis *ſtare* forma eſt, abſtinuiſſe ſint putandi.

Alter *Valerii* locus, mihi non leviter ſuſpectus, hic eſt *Lib. IX Cap. 12 Ext. §. 10: Poſſunt hi præbere documentum, nimio robore membrorum vigorem mentis hebeſcere; quaſi abnuente natura utriusque boni largitionem:* ne *ſupra mortalem ſit felicitatem, eundem & valentiſſimum eſſe, & ſapientiſſimum.* Aut mihi, quæ Latine ſcripta ſunt, intelligere non datur, aut illud *ne* hic locum invenire nullo modo poteſt.

Facit enim hæc vocula, ut aliter dixiſſe *Valerius*, ac ipſi fuit in mente, ſit putandus. Plana & perſpicua huius eſt ſententia: *Ita comparatum natura eſſe, ut nemo mortalium corporis mentisque viribus iisdem valeat; ſi quis robore inſtructus membrorum ſit, hunc ſenſuum vigore deſtitui; ſingula hæc bona ſingulis, nulli coniuncta, tribui.* Ita graviter & ſapienter de hominum conditione iudicanti *Valerio*, inepte, ſi quid ſentio, excidiſſent hæc: *non eſſe ſupra mortalem ſelicitatem, eundem & valentiſſimum eſſe, & ſapientiſſimum,* quippe quæ cum ante dictis, ut vix aliud quidquam, pugnarent, & his prorſus haberi contraria poſſent. Nam, ſi æqualis ille corporis mentisque vigor menſuram felicitatis humanæ non excedit, quid eſt, quod, fieri poſſe, neget *Valerius*, ut ſit uni mortalium utrumque hoc bonum conceſſum? Satis potius, hoc voluiſſe *Valerium*, patet, ideo nusquam inveniri homines utraque ſui parte firmos ac robuſtos, quod ſit ſupra naturæ humanæ modulum, ad tantum felicitatis gradum pervenire. Itaque voculam illam *ne*, qua negatur id, quod affirmandum ſibi ſumſerat *Valerius*, exulem hoc loco & extorrem eſſe in perpetuum iubemus. Nec, qua hæc voce permutanda ſit, ut ſuum orationi robur conſtet, laborandum nobis eſt diu. Nam, ſi, ferri non poſſe illud *ne*, ſat certum eſt, per ſe patet, reponi in eius locum voculam, ei contrariam, *ut*, debere. Quæ ipſa ad bene de ſe merendum hoc promtiores nos habet, quo certiorem de culpa librariorum coniecturam literarum in utraque voce ſimilitudo facit. Literam *n* ſæpiſſime in Codicibus antiquis pro *u* exſcri-

ſcriptam, ſexcentis, ſi id nunc ageremus, oſtendi exemplis poſſet; nec deſunt alia, quæ hoc etiam probent, literam *t*, manifeſto librariorum errore, aliquando in *e* converſam.

Sed, ſi, quæ graviter laborant, de his ſanandis recte cogitamus, æque bonum eſt, cavere, ne integra & incorrupta ab intempeſtiva Criticorum medicina labem trahant. Hos ſi audias, in deſperato morbo illa ſunt *Valerii*, quæ *Lib. VII Cap. 6 Ext. §. 3* leguntur. Vix, quam aut illos ſuum fefellerit iudicium, aut mihi meum conſtet, ſatis Lectori poterit intelligi, niſi poſitam ante oculos ſeriem orationis *Valerianæ* integram habeat. Sunt igitur hæc Autoris verba: *Horum* (Numantinorum) *trucem pertinaciam in conſimili facinore Calagurritanorum execrabilis impietas ſupergreſſa eſt. Qui quo perſeverantius interemti Sertorii cineribus, obſidionem Cn. Pompeii fruſtrantes, fidem præſtarent; quia nullum iam aliud in urbe eorum ſuperat animal, uxores ſuas natosque ad uſum nefariæ dapis verterunt. Quoque diutius armata iuventus viſcera ſua viſceribus ſuis aleret, infelices cadaverum reliquias ſalire non dubitavit. En quam aliquis in acie hortaretur, ut pro ſalute coniugum & liberorum fortiter dimicaret! Ex hoc nimirum hoſte tanto duci pœna magis, quam victoria, petenda fuit; quia plus vindicatus* libertatis, *quam victus gloriæ, afferre potuit; cum omne ſerpentum ac ferarum genus comparatione ſui titulo feritatis ſuperarit. Nam, quæ illis dulcia vitæ pignora proprio ſpiritu chariora ſunt, ea Calagurritanis prandia atque cœnæ exſtiterunt.* Hic, nemo eſt inter-

pretum, qui non in voce *libertatis* hæreat, nemo, qui non aut expungendam ſtatuat, aut certe alienum a mente *Valerii* ei ſenſum tribuat. Nec diſſimulare nobis licet, obſcuriorem prima ſpecie hanc *Valerii* ſententiam videri: *plus libertatis vindicatum, quam victum gloriæ, afferre potuiſſe.* Nam, qui fieri poſſit, ut libertati conſulatur, homines tetros ac crudeles puniendo, vix, niſi rem accurate meditemur, aſſequi nobis coniectura liceat. Itaque digna hæc duxit, quæ aſteriſco notaret, *Pigbius*, libere, hæc ſe non intelligere, profeſſus. Nec melius *Pighio* hæc intellexit, etſi ſibi viſus eſt intelligere, *Vorſtius*, verborum tum conſtructionem potius, quam ſenſum, docens, cum ita ſcripſit: *Mihi ad intelligendum non adeo difficilia videntur. Vult nimirum Valerius, plus libertatis, ſi Calagurritani vindicarentur, id eſt, punirentur; conciliari potuiſſe, quam gloriæ, ſi vincerentur.* Non ignoravit, puto, *Pighius*, hoc verba ordine coniuncta eſſe, quorum ſeriem etiam in literis infantes intelligunt; ſed hoc doceri ipſe cum aliis voluit, quid pœna Calagurritanorum ad libertatem faciat. In quo neminem ſane doctiorem faciat *Vorſtiana* explicatio, quam ſine ea fuerat. Non igitur immeritum hæc contemtum *Perizonii* tulit, dicentis: *Vorſtium, dum explicare conetur, maxime ſe ridiculum exhibere.* Ita enim quærit idem *Perizonius: Cui libertatem afferre potuit vindicatus hoſtis? Si ipſi, non erat illa pœna, ſed beneficium; ſi Pompeio, ergo, qui imperium gerebat, libertate caruit?* Quibus cum difficultatibus exſolvere ſe nullo modo poſſet, ut laboranti *Valerio* ſubveniret, aut delere nos

vo-

vocem *libertatis*, qua ſublata, omnia ei ſana & perquam commoda videntur, aut, ſi iuſto vehementior hæc medicina iudicetur, pro *civitatis* legere vel *imperatori*, vel *imperanti*, iubet. Sed, horum poſtremum ut minus probatur *Torrenio*, ob id, quod paucis verbis ante *Valerius duci tanto* dixerit, nec exſpectari eiusdem pæne verbi iteratio a Scriptore ſatis caſto, certe non adeo prodigo verborum, debeat, ita plus tribuit priori emendationi; ſi quidem emendare is dicendus eſt, qui verba bona, & Codicum omnium conſenſu munita, vetuſta ſua ſede eiicere, relicta aliis, lacunam hanc ſupplendi, provincia, non dubitat. Et *Torrenio* quidem hoc ipſum *libertatis* natum videtur e Gloſſa, qua quis *vindicatus* explicuerit *liberatus*. Quæ, ſi qua fuit, Gloſſa certe hominis ineptiſſimi, & omnium rerum rudis, fuit. Cui enim, non dicam mediocriter docto, ſed ſano tantum, & ſenſibus recte utenti, in mentem veniat, vocem, qua *afficere pœna* notatur, per aliam, *abſolvere crimine* notantem, explicare. Talibus vocabulis ſi vim tribuere nos eandem iubeas; iam demum quidlibet quolibet vocabulo exprimere licebit. *Torrenio* certe, ut alia aliorum Auctorum loca, a me collecta in *Obſervationibus Latinæ linguæ p. 578*, taceam, hæc, quam dixi, verbi *liberare* vis vel ex his Scriptoris eius, quem interpretandum ſumſerat, exemplis eſſe cognita debebat: *Lib. VIII Cap. 5 §. 5: Siquidem iudices Clodium inceſti crimine, quam Ciceronem infamia periurii,* liberare *maluerunt; eod. Lib. Cap. 1 Abſol. §. 12: Crimen libidinis confeſſio intemperantiæ* liberavit; & *Cap. 3 §. 1:*

Amaſia Sentia rea -- prima actione, & pene cunctis ſententiis, liberata eſt; & *Cap.* 1 *Abſol.* §. 8: *Magis ergo Valerius in Coſconii abſolutione damnatus, quam Coſconius in cauſa ſua* liberatus, eſt; & *eodem Capite* extremo: *Quia ipſe neque* liberare, *cædibus duabus contaminatam, neque punire eam iuſto dolore impulſam, ſuſtinebat.* Quibus addi poſſunt illa eiusdem *Valerii Lib. VIII Cap.* 1 §. 1: *Itaque forti punitione* liberata *fratris dextera, tantum conſanguineo, quantum hoſtili, cruore gloriæ haurire potuit*; ubi recte, reiecto, quod habent editiones nonnullæ, *librata*, legere nos *liberata* iubet *Torrenius*, hanc lectionem ex illa, quam poſui, verbi *liberare* notione defendens. Quod igitur pace *Torrenii* fiat, abſtinebimus a Gloſſa accuſanda, quam vacare non tam culpa, quam ipſa culpæ ſpecie, apparet. Quo erroris deſtructo fundamento, nulla nobis amplius ne de errore quidem ipſo ſuſpicio ſupereſt. Nimirum, ne cum *Perizonio*, &, qui eum ſequitur, *Torrenio*, illud *libertatis* exeſſe iubeam hoc loco *Maximi*, illud inprimis me movet, quod, ipſo id teſtante *Torrenio*, vocem hanc Codices ad unum omnes habeant. Nam, quod idem *Torrenius*, ad marginem Baſileenſis Codicis adſcriptum, docet: *Ex hoc nimirum hoſte duci pœna, quam victoria, petenda fuit. Quia plus vindicatus liberis natis, quam victus gloriæ, afferre potuit*, id vel ideo, quod margini adſcriptum eſt, ingenio tribuendum, patet, gloſſatoris eſſe. Id mecum *Klokkius* agnoſcit, ſatis in videndo hic acutus, etſi non æque felix in emendando loco hoc *Valerii*, cui cum hanc formam dedit: *Quia plus vindicatus interemtis coniugibus liberisque piaculi dare, quam victus*

ctus victori gloriæ afferre, *potuit*, non immerito caſtigatus eſt *Torrenio*, ita ſcribenti: *Hac audacia ſi vetuſtis ſcriptoribus medicinam facere velimus, omnia iam facilia erunt & prona, neque ullus locus adeo conclamatus, ut reſtitui nullo negotio poſſit.* Facit igitur amica hæc Codicum conſpiratio, ut difficillimus ſim non ſolum ad tollendam, (id enim omni tempore in deſperatiſſimis remediis habetur,) ſed ad mutandam etiam cum alia, *libertatis* vocem, inprimis cum hoc etiam accedat, ut, quas paſſim venditari dixi, emendandi rationes aut nihil clariorem faciant ſententiam *Valerii*, aut plus audaciæ, quam ingenii, præ ſe ferant, nec his felicior ſit *Guyeti*, legentis *lenitatis*, quod ſenſum, mihi certe, habet nullum, coniectura; denique cum, delere illud *libertatis*, nulla nos neceſſitas cogat, nec ſatis eos uti putem ingenio ſuo, qui ſententiæ *Valerianæ*, ita, uti vulgo legitur, poſitæ, aſſequi ſibi negant vim licere. Habet enim illa *Valerii* oratio ſenſum, etſi paullo obſcuriorem, ſatis tamen, meo iudicio, bonum & commodum; quem ipſum ſervari, ſatius exiſtimo, quam laborioſa emendatione talem *Valerio* mentem, quam ipſe non agnoſcat ſuam, tribuere. *Libertas* in loco hoc *Valerii* opponitur *ſervituti*, ſicut *homo liber*, ex veterum Romanorum more, & ex iuris Romani ratione, *ſervo* opponitur. Fuiſſe autem antiquiſſimis temporibus miſerrimam hanc ſervorum conditionem, ut a dominis non verberari tantum, ac virgis cædi, ſed occidi etiam, impune poſſent, hocque vitæ ac necis iure ita uſos dominos, ut nemini vel crudeliſſime interfecti ſervi rationem redderent, ipſi in Iure tirones ſciunt. *In*

poteſtate, ait *Iuſtinianus l. 1 §. 1 Inſt. De his, qui ſui vel alieni iuris ſunt, &c. dominorum ſunt ſervi, quæ quidem poteſtas iuris gentium eſt. Nam apud omnes peræque gentes animadvertere poſſumus, dominis in ſervos vitæ necisque poteſtatem fuiſſe.* In eo igitur cum ſit a *libertate* diſtincta *ſervitus*, quod hæc dominorum crudelitati pateat, illa nemini ſit obnoxia; hinc ſatis patet, in gente Calagurritanorum uxores natosque, libidini coniugum ac parentum ita expoſitos, ut his, pecudum inſtar mactati, ſanguine ſuo pabulum præberent, hoc ipſo veram ſervitutem perpeſſos, &, efficere, ne deinde ita in vitam ſobolis ſuæ ſæviant parentes, idem eſſe, ac natos in libertatem vindicare. Quo velut explicationis fundamento iacto, nullo negotio in verborum *Valerii* ſenſum penetrabis. Nam, hæc legens: *Ex hoc nimirum hoſte tanto duci pœna magis, quam victoria, petenda fuit; quia plus vindicatus libertatis, quam victus gloriæ, afferre potuit*, ſtatim, modo oculos attuleris, videbis, hoc velle *Valerium:* A victo tali hoſte nihil gloriæ exſpectari *Pompeio* potuiſſe, at, repetitis ab eo facti crudeliſſimi pœnis, quæ ad emendandos gentis impiæ mores efficaciſſimæ putari poſſent, quaſi libertatem redituram in illa gente iis fuiſſe, quos olim atrociſſima illa maritorum, aut parentum, manus peſſime afflixerat. Efficere hoc, inquam, pœnæ poterant, quarum metu homines a delinquendo deterrentur, non victoria, quæ hoſti victo ſæpiſſime ad arbitrium ſuum vivendi libertatem relinquit. *Perizonio* igitur, cui libertatem afferre potuerit vindicatus hoſtis, quærenti, ita reſpondebimus: Non *Pompeio*, qui, ſummæ rerum

præ-

præfectus, minime omnium libertate caruit; nec ex devicta gente iis, quos conſtabat in prolem ſuam crudeliſſimum ius exercuiſſe: hi enim puniendi, non donandi eximio illo bono libertatis, fuerunt; ſed in eadem gente uxoribus & natis, ad quos, ſatis iam infelices, nec ſceleris cuiusquam reos, nihil pertinebant illæ pœnæ, ſed quorum ſortem miſeratus *Pompeius*, in tetros illos carnifices, parentes ac maritos, ſeveriſſime animadvertit. Ita explicare locum *Valerii*, fortaſſe etiam in mente fuit *Badio Aſcenſio*, cum ad verba, *plus libertatis*, hæc notavit: *Cum, tali populo, tamque impio, vivente, nunquam tuta eſſe libertas poſſit*. Certo enim, fueritne hæc eius ſententia, dicere vix liceat, cum hoc addere neglexerit, utrum Romanis victoribus, an genti victæ, aut eius potius parti, olim afflictiſſimæ, nunquam integram, vivente hoſte tam impio, libertatem putaverit.

INDEX DISSERTATIONVM, QVAE VOLVMINIS QVARTI PARTE SECVNDA CONTINENTVR:

I. Petri Zornii Diſſ. de שיקה, hoc eſt, de vita & morte beatorum per oſculum Dei, ex *Cantici I, 2, VIII, 1.* Pag. 194-206.

II. M. I. F. Frischii Obſervatio ſacra, fictum Iſraeliticum furtum de liberatione Ægyptiorum intelligendum eſſe, demonſtrans, ad loca *Exod. III, 22,* & *XII, 36.* Pag. 206-220.

III. Io. Georgii Walchii, D. Commentatio de Luthero Ienenſi. Pag. 220-241.

IV. Io. Frid. Falckii, Corbeienſis, de Codice Traditionum Corbeienſium inedito, propediem edendo, commemoratio, ſeu Promulſis. Pag. 242-272.

V. Io. Christoph. Harenbergii Diſſ. de Reformanda Geographia mathematica, eaque practica. Pag. 272-313.

VI. M. Gottlob. Erdm. Zeibichii de Iove Vicilino, ad *Livii XXIV, 44,* Quaeſtio coniecturalis. Pag. 313-365.

VII. Frid. Ottonis Menckenii Obſervatio ad tria Valerii Maximi loca. Pag. 365-377.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS QVARTI PARS TERTIA.

LIPSIAE,

IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM,

MDCCXLVI.

I.

GE. LVDOV. OEDERI, D.

DISSERTATIO

DE VEXATO LOCO

Gal. IV, 21. ſeq.

I.

In hoc loco etſi multum diuque ſudarunt eruditiſſimi viri; fas tamen arbitror, quærere, an, non dicam omnia, quod nemo facile credet, ſed pleraque ſaltem, adhuc acu tetigerint. Quæ mihi videntur, ita exponam, ut ſimul, quæ nuperrime Gottingæ à Celeberrimo Viro, *Andr. Georg. Wæhnero*, eiusque in hoc opere ſocio, Cl. *Io. Chriſt. Erytropelio*, d. XIV Mart. A. MDCCXLIV eruditorum examini ſubmiſſa ſunt, modeſte, ea tamen ratione, quæ liberum & ingenuum virum decet, excutiam. Itaque opella mea in *Sectiones duas* abibit.

SECTIO I.

II. Doctiſſimus, quem dixi, Vir Diſſertationi ſuæ hunc præſcripſit titulum: *Pauli Apoſtoli allegoriam, Gal. IV, 21-31, excutit* &c. Sed in eo ſolo argumento non ſubſiſtit, hinc & mihi, veſtigia eius

ſecuturo, neceſſe eſt, nonnunquam ad alia divergere, cuius rei, quoniam de rebus, tametſi alienis, minime tamen frivolis, ubique agitur, veniam me haud difficulter nacturum ſpero.

III. Sub ipſa initia Vir Doct. §. 1 p. 1 lectoribus denuntiat, non fore unquam, ut in explicandis *Pauli* allegoriis felix ſit, qui memor non fuerit, *quadruplicem* Iudæos ex divinis ſcriptis *ſenſum* eruere ſolere, *innatos duos*, פשט, *literalem*, & סוד, *myſticum*, item *duos illatos*, דרש, *rationativum*, & רמז, *accommodatum*. Ipſe autem, quantum ad hunc locum attinet, omiſſis tribus reliquis, eum ſolum, quem Iudæi *draſch* vocant, ipſe *rationativum* appellat, ſua cura dignum arbitratur.

IV. Hac de re mea opinio hæc eſt. Ut eſt res vehementer inſipida, quadruplicem ſenſum in uno dicto Scripturæ quærere, qua de re infra §. *LVI* B. *Lutherum* audiemus, cum ſimplicem, unumque adeo, ſenſum unius loci plane neceſſe ſit eſſe, ſi velit, qui loquitur, intelligi; ita maxime abſonum eſt, *illatos ſenſus*, hoc eſt, ex ingenio humano conficta commenta, obtrudere ſanctiſſimæ Scripturæ velle. Ceterum feliciter in *Pauli* & ceterorum Epiſtolis progredi poſſe arbitror, ſi quis ne fando quidem quidquam de Iudæorum artibus ſophiſticis acceperit. Ipſe Vir Celeberrimus de iſto *draſch*, & altero ſenſu, quem *remes*, ſive *remiſah*, appellant, ideam in nobis non pulcherrimam excitat, cum dicit, Iudæos ſenſus iſtos, *ubicunque ipſis libitum fuerit*, quærere.

V. Nec ornatior prodit facies ſenſus *ratiocinativi*, quando Viri docti confeſſionem legimus §. 2 p. 2: *Nos ne ſcriptorem quidem ſacrum idem ſem-*

per

per ſenſiſſe concedemus; nedum dicere voluiſſe. Vehementer doleo, & hoc iis, quæ deſcripſi, additum: *quales & hæ Pauli allegoria ſunt.* Hoc, obſecro! agamus, ne *Paulus* pro nugatore haberi videatur. Nihil enim certius, quam palam nugari, quos Iudæi *Darſchanim* appellant. Qui mihi e dicto Spiritus Sancti, quod nec ſenſit ille, nec voluit dicere, eruere conantur, longe rectius tacuiſſent.

VI. Sed amplius etiam in hac via proceditur. Nam paragraphum *3 p. 2* Vir Doctiſſ. ſic inchoat: *Docendi enim apud Iudæos receptam methodum Chriſtus & Apoſtoli retinuerunt.* Siccine, Chriſtum, eiusque Apoſtolos, docendi methodum, quam valde ridiculam modo vidimus ab ipſo viro docto pingi, ſectatos eſſe, credere iubemur? Equidem *Matthæo VII, 28*, & *Marco I, 22*, potius credo, qui alia omnia narrant. Docebat eos, ut auctoritate pollens, &, quod bene notandum, οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς. Etiam de plebe homines immenſum diſcrimen eius docendi methodi, quam Dominus ſectatus eſt, & quam Iudæorum magiſtri, obſervarunt. Nam *Io. VII, 46*, confeſſi ſunt: *Nunquam quisquam ita locutus eſt, ut hic homo.*

VII. Rem per ſe incredibilem hoc modo probare Vir Doct. conatur: Chriſtum parabolis uſum eſſe, ſed & in Talmude parabolas exſtare. Deſcripſerunt ſane docti Auctores *Horarum Ebraicarum & Talmudicarum* aliquot parabolas e Talmudicis libris, quarum argumentum, ſi paucas forte exceperis, ſatis inficetum, ætas plane incerta, denique ratio ita comparata eſt, ut, ſi eiusdem furfuris ſimilitudines ex Arabum ceterarumque Orientis gentium

libris promantur, nemo dicere auſit, Chriſtum iſtorum docendi methodum ſecutum eſſe.

VIII. Præcipue hoc obſervandum, minime quæri, an Servator noſter vocibus, phraſibusque, v. g. *interrogatoriis*, uſus ſit, quales & alii eius gentis eiusque ſeculi uſurpare ſoliti ſint. Hic enim vix quisquam erit, qui dubitet. Sed hoc agi: an Chriſtus, eiusque Apoſtoli, ita Scripturam V. T. tractarint, explicarintque, & ad dogmata ſua probanda eodem modo adhibuerint, quo magiſtri Iudæorum, quos ſæpe dicta Scripturæ obtorto collo, quocunque libitum fuerit, rapere, omnes norunt, & Vir Celeb. ipſe fatetur.

IX. Quo cœpit tramite, pergit Vir Doctiſſimus: *A Iudæis originem quoque habent allegoricæ V. T. effatorum expoſitiones, paſſim obviæ.* At ego paucis reſpondeo, mihi ne unicum quidem exemplum cognitum eſſe expoſitionum allegoricarum, quas *paſſim obvias* perhibet, dictorum V. T.

X. Verum, age, videamus, quæ exemplorum, a Viro docto laudatorum, ratio ſit. *Sic*, inquit, *Paſcha Chriſti ſymbolum eſſe dicitur 1 Cor. V, 7; diluvium baptiſmi 1 Petr. III, 20, 21, uberrimam earum ſegetem in Epiſtola ad Ebræos reperias.* Videtur Vir Doct. non ſatis promiſſorum ſuorum memor eſſe. *Effata* enim ſcriptorum V. T. quæ ab auctoribus Novi Fœderis librorum allegorico ſenſu induta ſint, pollicitus eſt. *Paſcha* autem & *diluvium* non ſunt *effata*. Itaque, ſi vel contigiſſet, eas *res* aliquando allegoriæ materiam fieri, ad præſentem cauſam non pertineret. Sed certiſſime nunquam factum. Chriſtus *1 Cor. V, 7*, ſine allegoria *paſcha*, ſeu agnus paſcha-

ſchalis verus, dicitur, is nempe, quem priſci illi agni omnes præfigurarunt, & eſt veriſſime, qui dicitur. Aeque parum allegorici videas in loco *Petrino*, ſi & placeat diluvium ſymbolum baptismatis, vel typum etiam, credere. Miratus autem dudum ſum, fieri potuiſſe, ut huic docto Viro, aliisque plurimis, in mentem veniret, rem omnium exitioſiſſimam, *diluvium*, rei ſaluberrimæ, & documentum horrendum iræ divinæ rei gratiæ pleniſſimæ, typum eſſe, cum res magis discordes, quam hæ ſunt, non putes cogitari poſſe. *Petrus* certe diluvium & baptisma ſibi mutuo ut *diſſimillima* opponit. Nam hæc vis eſt vocis ἀντίτυπον, mens vero hæc: cum olim aqua uſus ſit Deus *inſtrumento pœnæ* & ultionis, nunc uti eundem, contraria plane ratione, aqua, *medio gratiæ* ſuæ applicandæ.

XI. In Epiſtola ad Ebræos uberrimam ſegetem expoſitionum allegoricarum adeo non inveni, ut certus ſim, nullum ibi exemplum inveniri poſſe, e contrario *effata* V. T. omnia, quæ ibi laudantur, unico genuinoque ſenſu, hoc eſt, *literali*, accipienda eſſe, quem & in iis locis, unde petita ſunt, habent. *Allegoricam catenam*, quam perhibet Noſter, *Gal. IV*, paullo poſt contemplabimur.

XII. Inficiari nequeo, percelli me aliquantum verbis docti Viri in fine *p. 2*: *Suo loco dicemus, non explicari fortaſſe iis V. T.* effata; *ſed pro lubitu aliorſum trahi, id quod noſtrum aliquos attonitos facit, non vero niſi eos, qui docendi tum uſu receptam methodum ignorant.* Ego ſic animum induco: Qui mihi Sacræ Scripturæ dicta recitat quidem, & vultum induit interpretis, ea explicaturi, re vero minime ex-

 plicat,

plicat, ſed pro lubitu alio trahit, is, meo iudicio, fidem nullam meretur. Quodſi Chriſti, Domini noſtri, diſcipuli, neque hi ſolum, ſed ipſe ſanctiſſimus eorum magiſter, idem egiſſe perhibentur, ſummo me ſtupore fateor videre, quæ inde colligi poſſint, &, ſi verum fateri velimus, debeant.

XIII. Exprobratione *ignorantiæ*, vehementer vereor, ut Vir doctus alios, non omnino indoctiſſimos, moveat, ut mirari ipſius confidentiſſimam ſententiam deſinant. Quod ad me attinet, novi ſane, Scripturam S. a Rabbinis diſcerpi miſere & peſſime, &, quanquam a Talmudicis & Cabbaliſticis doctoribus, quos hodie legere poſſumus, ad ſcripta & auctores librorum eius ſeculi, quo Chriſtus inter homines vixit, intuta eſt conſecutio, tamen ſuſpicor, iam ea ætate peſſimum morem, abutendi Scripturis ſacris, inoleviſſe. Verum, quoniam hæc novi, obſtupeſco plane, exſtare in nobis, qui, rem abominabilem Apoſtolis ipſisque Chriſto in more fuiſſe poſitam, aiant.

XIV. Seorſum ab aliis ſentit Vir Doct. *p. 4 §. 6*, quod *Saram* ex eodem, quo *Abrahamum*, patre genitam exiſtimat, &, oportere ita intelligi locum celebrem *Gen. XX, 12*, cenſet. Verum, etſi hac de re litigare cum nemine velim, vix tamen credibile, ductam eſſe ab *Abrahamo*, quam eius regionis cives confeſtim negarent eſſe poſſe eius *uxorem*, cum audiſſent, *ſororem* ab ipſo *Abrahamo* appellatam. Hinc enim liquet, eo tempore, atque in iſtis oris, vulgo rem incredibilem viſam, coniugem eſſe ſororem fratris ſui. Ceterum ex hiſtoria, quam *Moſes* narrat, facile eſt videre, *Abrahamum* æquivocationibus

ſalu-

ſalutem quærere ſtuduiſſe. Itaque hoc loco non oportet, vocem *ſoror*, item alteram *filia*, maxime proprio ſenſu accipi. Solet vero *filia* illa quoque appellari, quam uxor alii viro olim peperit, eademque ſoror eius, quem idem iſte vir ex alia uxore genuerat.

XV. Profitetur Vir doctus eadem *pagina*, ab eorum ſe partibus ſtare, qui, polygamiam *Abrahami* tempore licuiſſe, exiſtimant, nec vetitam eſſe ulla lege *Moſis*. Sic ait: *Non ſolum iſta ætate licita polygamia fuit, ſed ne Moſaica quidem lege eſt interdicta.* Quod ait *iſta ætate*, facit, ut credam, *his temporibus* agnoſci polygamiam prohibitam a doctiſſimo Viro. Sed quærere lubet, quando cœperit eſſe interdicta. Chriſtus nec de aliis rebus, nec de re uxoria, novas leges ſanxit. Ceterum, ſi voce *licita* hoc velis, non eſſe rem punitam, dici ſane poteſt, licuiſſe tum plures ſimul uxores in matrimonio habere. At, ſi vocabulum *licere*, ut par eſt, ſignificet, *conſonum eſſe divino inſtituto*, nihil opus eſt, quam animum a præiudicatis opinionibus liberum afferre, ut videas, ex inſtitutionis matrimonii formula, quam *Moſes* narravit, Chriſtus repetiit, convinci, *marem unum cum fœmina una* matrimonii vinculo coniungendum eſſe. Neque minus certum, *Lev. XVIII, 18*, polygamiam prohiberi. Nam, minime de propria uxoris, quam aliquis iam habet, ſorore agi, ita luculenter a doctis viris, *Io. Meyero* potiſſimum, demonſtratum eſt, & in oculos, ut ſic dicam, incurrit, ut neſciam, an quidquam magis luculentum eſſe queat.

XVI. Eſt etiam, quod moneam ad hæc verba do-

cti Viri *p. 6 §. 7:* „Si *Iſmaelem* & ex *Ketura* ſu-„ſceptos filios naturalibus viribus genuit *Abraham*; „efficitur, neque *Iſaacum*, qui medio inter illum & „hos tempore ab illo procreatus fuit, per miracu-„lum natum fuiſſe. Largiamur igitur, nihil in eo mi-„raculoſi fuiſſe, ut *Abraham* eum gigneret.„ Equidem procreationem *Iſaaci* nolim miraculum, eximio ſenſu acceptum, dicere, ſed hoc certum, ſecundum ordinarium naturæ modum non eſſe factam. Vir Doctiſſ. autem, qui perhibet, haud negari ab Apoſtolo, vires gignendi tum in *Abrahamo* fuiſſe, vim affert dictis ſatis perſpicuis, *Rom. IV*, 19, *Ebr. XI*, 11, 12, niſi forte hunc ad Ebræos locum plane omiſit. Illum priorem ita accipit, non polluiſſe patriarcham viribus, ut olim melioribus annis, eſſe adeo *comparative* dictum, &, cum in Græco ſit ἤδη νενεκρωμένον, Noſter, neſcio quo iure, ponit: *iam* pæne *emortuum*. Certe, ſi tum *Abrahamus* in ſe facultatem gignendi reliquam ſenſiſſet, non ob eam rem fides eius tantopere prædicanda fuit, quod, non obſtante corporis ſui conditione, promiſſioni credidiſſet. Opinio vulgaris, ſed nullo nixa fundamento, *Keturæ* demum *poſt Saræ fata* ab *Abrahamo* ductæ, exploſa dudum eſt, nec ex ordine narrationis, *Gen. XXV*, 1, factæ, recte colligitur, rem tum demum factam. Manifeſta enim ratio eſt, cur hoc loco potiſſimum narrandum cenſuerit *Moſes*, quoniam nunc de liberis *Abrahami* omnibus, præter *Iſaacum*, hæreditate quidem excluſis, dotatis tamen, dicendum fuerat. Si, *Sara* defuncta, *Keturam* duxiſſet *Abrahamus*, non eſſet, cur *pellex* diceretur, quod *Geneſ. XXV*, 6, factum.

XVII.

XVII. Ceterum huius opinionis, quam & Noſter ſectatur, præiudicatæ utique & falſiſſimæ, tanta vis fuit, ut & B. *Zeltnerum* abriperet, in cuius ultima, fortaſſe autem interpolata, editione Bibliorum ad *Rom. IV*, 19, hæc leguntur: *Sahe auch nicht an ſeinen eigenen Leib, welcher ſchon erſtorben* (durch ſeines Weibes Unfruchtbarkeit und Iahre gleichſam getœdtet) *war*. Porro infra textum: *Daſs er nicht ſchlechterdings zum Kinderzeugen untüchtig geweſen, geben die Kinder mit der Ketura zu erkennen*. His gloſſis peſſime habetur effatum Apoſtoli, & mirabile ſane, ideo *viro corpus enectum* tribui, quod effœtam anum coniugem habeat. *Abrahami* corpus νενεκρωμένον Apoſtolus appellat, quanquam & de *Sara* eadem narrat.

VIII. Eodem *§. 7 p. 7* Celeberrimo Viro phraſes videntur eſſe tantundem valentes, ὁ διὰ τῆς ἐπαγγελίας γεννηθεὶς, *vi promisſionis natus*, & ὁ κατὰ πνεῦμα γεννηθεὶς, quod ipſe interpretatur, *vi oraculi divini natus*. Non intercedo equidem, & largior facile, voce πνεῦμα Spiritum S. vaticinii, vel promiſſionis, auctorem intelligi; at, quæ ſequuntur, admittere nequeo. Vir Clariſſ. contendit, πνεῦμα eſſe ipſum verbum Dei. Πνεῦμα, inquit, *oraculum divinum* reddimus. Quemadmodum enim „רוח הקדש Spiritus S. divinorum oraculorum & ſa„cræ Scripturæ auctor pro *oraculis & ſacra Scriptu„ra* a Iudæis non raro ponitur; ita πνεῦμα, vel τὸ „πνεῦμα τὸ ἅγιον, in N. T. ſimiliter.„ Difficulter ſane a me impetro, ut doctiſſimo Viro, in ea ipſa re, cuius præ aliis peritiſſimus eſt, vocum Ebræarum uſu, contradicam; ſed neceſſe eſt profiteri, me nec

in Iudæorum libris, nec in S. Scripturæ auctoribus, ullum unquam reperiſſe vocis *ruach*, vel *ruach hakkodeſch*, eo ſenſu acceptæ, exemplum, & vehementer vereri, ne nullum poſſit uſquam reperiri.

XIX. Eadem *pag.* *Iſmael* ideo *ſecundum carnem* perhibetur eſſe *genitus*, *quod genus quidem ab Abrahamo duceret*, *animo autem patri diſſimillimus eſſet*. *Iſaacum* autem, ait Vir doctiſſimus, *ſecundum promiſſionem natum*, *quod dignus eſſet propter virtutes*, *qui promiſſionum*, *patri divinitus factarum*, *hæres fieret*. Ego, cum videam, proteſtari Noſtrum, ſe de ea re uberius infra diſputaturum, hoc loco contentus ſum, monuiſſe, verba *ſecundum promiſſionem* certiſſime referri ad promiſſionem, quæ natales *Iſaaci* præceſſerat, non præceſſerat *Iſmaelis* nativitatem. Porro *ſecundum promiſſionem naſci*, non poſſe eſſe, *ita vivere*, *ut poſſimus promiſſionis alteri factæ participes fieri*.

XX. In fine *paginæ* 7 exſtat de *Iſmaele*, quem vehementer reprehendit Noſter: *Iſaacum*, *qui patri ſimilis eſſet*, *male habuit*, *illique illuſit*. Hoc Vir Clariſſimus & alii immenſo numero doctiſſimi homines ſcriptum aiunt eſſe *Gen. XXI, 9*. Sed certiſſime falluntur omnes. Legimus ibi, a *Sara* viſum eſſe *Iſmaelem mezachek*, hoc eſt, *ludentem*, animo indulgentem, tripudiis, ut videtur, more puerorum in geniali die, qui ablactati *Iſaaci* cauſa celebratus fuit. Præterea nihil exſtat, nec, quocum luſerit puer, verbo ullo indicatum eſt. Hinc plane incertus ſum, quid doctiſſimos viros hic male habeat, in quibus *B. Zeltneri* hæc gloſſa eſt ad *Gen. XXI, 9: Der Iſaac plagte, oder vexirte, wo er*

nur

nur konnte, mit Worten und auch Schlagen, *Gal. IV, 9.* De hoc *ad Galatas* loco dicemus deinde; in *Moſe* nec vola, nec veſtigium, harum omnium rerum. Quando eadem vox de *Iſaaco* legitur *Gen. XXVI, 8*, ubi diſerte narratur, quicum id, quod verbum hoc ſignificat, factum ſit, nemini in mentem venit, *Rebeccam* a marito verbis afflictam, fuſtibusve dedolatam eſſe, quæ, obſecro te, ratio eſt, idem plane vocabulum, quod in *Iſaaco* neminem offendit, in *Iſmaele* fratre tam horrendum in modum interpretandi? Nota mihi ſunt Theologorum nomina, qui *Iſmaelem* puerum atheiſmi accuſant, religionem aiunt ipſi omnem ludibrio fuiſſe, ſubſannatum ab eo Evangelium primum de ſemine mulieris, &c. Quorum criminum demonſtratio, ſi e Rabbinorum libro *Ialkut Rubeni* petere argumenta licet, facilis eſt. Saltem idololatriæ reus ibi eſt *Iſmael.* Promſit nobis ex ea, quam dixi, *pera Iudaica* Celeberrimus *Schoetgenius* locum *Tom. I Hor. p. 625*, quo narratur, *Iſmaelem*, adoleſcentulum XV annorum, idolum e trivio domum intuliſſe & adoraſſe; neque enim aliud eſſe *mtzachek*, quam idololatram, *Exod. XXXII, 6.* Ceterum *Sara* utique, ad eam rem divinitus concitata, expelli domo *Iſmaelem* curavit, flagitium vero nullum adoleſcenti exprobratum eſt.

XXI. Pergit autem Vir Celeberrimus detrahere honori *Iſmaelis p. 8. Servile aliquid*, inquit, *in Iſmaele fuiſſe, nimirum animum ſervilem, ſervilesque mores, minime negamus. Uti enim fortes creantur fortibus, ita ſervis ſervi.* Ita optimo quidem genitore creatus *Iſmael*, e matre neſcio

quam

quam animi ignobilitatem traxiſſe fertur, cum alii, contraria plane accuſatione, tyrannidem & faſtum hominis, quem nemo ferre potuerit, multis verbis deteſtari ſoleant. At, niſi fallor, *generoſa* potius, quam *ſervilia*, ingenia imperandi libidine corripiuntur.

XXII. Noſtro *p.* 13 §. 10 indubitabile videtur, voce *Hagar v.* 25 *Hagarenorum terram*, Arabiæ partem, deſignari, porro invertendum eſſe ordinem vocabulorum in textu *Pauli*, quæ non ſuo loco arbitratur poſita, denique vocem ὄρος e ſequentibus retrahendam. Sic ait: Naturalis verborum, diſturbato, ut fieri ſolet, ordine poſitorum, conſtructio hæc eſt: Τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος τὸ Ἄγαρ ὄρος ἐϛὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ. Harum coniecturarum cum nullam ſatis gravem rationem videam; credo potius, *Hagaram* eam ipſam eſſe, quæ intellecta *Paulo* ante fuerat, *Iſmaelis* matrem, de qua, fieri non poteſt, quin cogites, cœpta de duabus matribus oratione. De monte vero, cui *Hagar* nomen fuerit, nulla in loco *Pauli* ſuſpicio, & haud ſatis certum, exſtitiſſe aliquando hoc montis nomen, etſi de regione Hagarenorum nemo dubitat. Porro nihil iuſtius, quam eo ordine accipere verba, quo Apoſtolus poſuit. Facile intelligi poteſt, *Hagaram* ut imaginem Sinai montis, unde lex promulgata, quæ ſervile aliquod ſchema populo imponit, proponi. *Articulus* τὸ commode hic exſtat. Non enim ipſa *Hagara* eſt mons Sinaiticus. Sed, quod τῷ Ἄγαρ, hoc eſt, vocabulo *Hagaræ*, menti ſiſtitur cogitandum, mons ille eſt.

XXIII. Eadem *pag.* 13 ponit Vir Clar. in arbitrio lecto-

lectorum, quam ſignificationem velint verbo *συστοιχεῖν* tribuere. Licere, ſi quis velit, reddi Latine *pertingere*, ſive *attingere*. Eſſe enim a ſe §. 9 demonſtratum, *Hagarenorum montana continuo montium tractu ad Hieroſolymam pertingere*. Hic unum eſt, quod moneam, ipſummet Virum doctum §. 9 ſcripſiſſe: *Continuo propemodum montium jugo, intercedentibus tamen paſſim vallibus & planitiebus*. Mihi ſi liceat ſimilibus limitationibus uti, auſim contendere, vix ullum eſſe in terra locum, qui non ſit cum quovis alio coniunctus, &, quoniam fluminum tractus magis continuus eſt, quam montium, dicere, *Ulmam* ad *Albam græcam* pertingere. Verum hæc ut in tranſitu dicta ſunto.

XXIV. Merito autem *p. 14* mavult *συστοιχεῖν* ſignificare *ſimilem eſſe*, ſeu *eiusdem naturæ eſſe*, qua de ſignificatione multa exempla, in Lexicis potiſſimum ex *Ariſtotele* petita, dubitare vetant. Verum eam ſimilitudinem *Agaræ*, quam ipſe montem credit, certe montoſam regionem Hagarenorum, & *Hieroſolymæ quæ tum fuit*, in eo quæri a Viro Celeberrimo, quod *utraque iſto tempore in Romanorum ditione* fuit. Miror ſane, & res a veriſimilitudine abludere videtur. Hoc ſi voluiſſet Apoſtolus, ſequeretur planiſſime, Chriſtianos, ſeu eccleſiam N. T. iſti Hieroſolymæ oppoſitam, nunquam principibus huius mundi, ipſisque Romanorum Cæſaribus, paruiſſe, quod palam falſum eſt, cum Romani nullis civibus magis obſequentibus uſi ſint, quam Chriſtianis primis.

XXV. De *ſuperiori Hieroſolyma* agere orditur Noſter

Noſter *pag. 15 §. 13*, excerpto e *Taanith* libro Talmudico, loco aliquo cum *Raſchii*, ſeu *Iſaacidis*, commentario, ubi mentio eſt Hieroſolymæ *Schelmaalah*, h. e. *ſuperioris*, & Hieroſolymæ *Schelmattah*, h. e. *inferioris*. Ceterum Biblica loca duo *Hoſ. XI, 9*, & *Pſalm. CXXII, 3*, ita tractantur, ut Rabbini ſolent. In his Vir doctiſſimus quatuor theſes inveniſſe ſibi videtur: „1) Eſt Hieroſolyma „quædam ſuperior. 2) Inferior Hieroſolyma ſuperiori ſimilis eſſe debet & confœderata. 3) Ex „utraque Hieroſolyma Deus nunc abeſt, nunc in „utramque venit. 4) Ex inferiori abeſt, ſi illius cives officiorum ſint negligentes. Redit in „eam, ſi probi fiant & virtutum ſtudioſi.„ His quatuor theſibus ipſe quintam, ex illis collectam, adiicit, apud ipſum, ſi placet, legendam. Denique, ne quis forte effata Rabbinica incautius ſpernat, addit: *Non aniles fabulas, ſed ſublimes figuras, quas Novi Fœderis præcones imitantur, in his latere intelliget, quicunque plus veritati, quam odio in Iudæos, indulgere didicerit.*

XXVI. Mihi, quod ſpero invidia carere poſſe, cum & ipſe veritatis amantiſſimus ſim, neminem vero oderim, ſic videtur. Si verum eſſet, exſtare in Scriptura S. phraſin, *Hieroſolyma, quæ ſupra eſt*, tamen ieiuna & ſicca Iudæi neſcio cuius aſſertio, dari *Hieroſolymam ſuperiorem*, nos oppido parum iuvaret. Nam magiſtri illi nullo verbo explicant, quid ſit, quod his vocabulis appellatum volunt. *Ioſephi* autem *de B. I. Lib. VI Cap. 6 p. m. 912* diſtinctio inter ἄνω πόλιν & κάτω πόλιν, qua unius urbis eminentiores & depreſſiores partes intel-

intelligit, ad noſtrum inſtitutum nequaquam pertinet.

XXVII. At, cum noſtro loco phraſis iſta non exſtet, luce illa, e Rabbinorum commentariis petenda, uti nullo modo poſſumus. Non eſſet ſane inficeta iſta dicendi ratio, quemadmodum *Hieroſolyma cœleſtis Eph. XII, 22*, quam nollem a B. *Zeltnero* pro militante eccleſia accipi, & omnino de triumphante eccleſia, quacum fideles apud nos aliquo nexu coniuncti ſunt, intelligo.

XXVIII. Oppoſitio vocum νῦν & ἄνω nimis manifeſta eſt, quarum cum illa ſignificet *nunc*, hanc, neceſſe eſt, alterius temporis, nempe *iam exacti*, notionem habere. Itaque duplex Hieroſolyma commemoratur hic quidem, ſed non *inferior* una, altera *ſuperior*, quo ſenſu voces ἄνω & κάτω ſibi mutuo opponuntur, e. g. *Act. II, 19*. Verum una tum exſtitit, cum hæc Epiſtola ſcripta eſt, altera multo ante. Non erit, arbitror, qui dubitet, vocem ἄνω æque commode de *præterito tempore*, quam de *celſiore loco*, uſurpari. V. g. *Demoſthenes* τὺς ἄνω χρόνυς appellat *antiqua tempora*. Hinc ἀνώτερον *Ebr. X, 8*. Neque minus certum, paſſim, cum de emendatione Hieroſolymæ corruptæ agitur, dici, talem futuram, qualis olim fuiſſet, *Amos IX, 11*, *Malach. III, 4*.

XXIX. Neque eſt difficile, ſi circumſpicere velis, antiquam *Hieroſolymam*, ſeu *Salem*, quæ voces idem ſignificant, invenire. Ad *Melchiſedeci* tempora, age, revertamur. Huius maximi viri ſacerdotium non ejus tantum oppidi proprii cives, ſed & *Abrahamus*, & quos ſecum habuit, co-

lue-

luerunt. In ea *Solyma* omnes Dei filii, undecunque natales huius ſeculi duxerint, locum habent. Ejus urbis ſacerdos Chriſti typum geſſit pulcherrimum.

XXX. Duobus ex *Hoſea* & *Pſalmo* excitatis locis nulla lux commento Rabbinico accenſa eſt, potius, quod tantum non ſemper a Iudæis fit, peſſime habentur, neque eſt in utroque dicto quidquam de duplici Hieroſolyma. Quod ad *Hoſ. XI, 9*, attinet, abſtineo a recenſendis aliorum opinionibus; nam brevis eſſe volo; ſufficiet, expoſuiſſe meam ſententiam. Indicat Deus rationes, quæ ipſum parcere *Ephraimo*, neque, ut eſſet ille meritus, agere, moveant. Duæ ſunt; una: *Deus ego ſum, non vir;* ſolent autem viri, ſeu homines, iracundia & vindictæ cupidine vulgo abripi. Altera: *Sanctus in medio tui ſum, non iturus in urbem.* Conſiderandus hic Deus eſt, non ut qui velit demum intrare urbem, ſed qui dudum in ea ſanctitatem & maieſtatem ſuam demonſtrarit. Ex antiqua ſede autem nemo facile & lubens diſcedit. Humano autem more hæc omnia dicta eſſe, non opus eſt fortaſſe, ut moneam.

XXXI. De *Pſalmo CXXII, 3*, Rabbinici ingenii *εὕρημα* Celeberrimo quoque *Schoetgenio* tanti viſum eſt, ut in utroque *Tomo Horarum Ebraicarum* recitaret. Mihi, fateor, non eſſe datum, videre in eo *Pſalmi* loco Hieroſolymam *ſuperiorem;* minime omnium, quomodo inferior Hieroſolyma iſti, quam comminiſcuntur, *ſuperiori* connexa, ſeu *affixa*, ſit. Hæc enim vis eſt verbi *chübberah*, e. g. *Exod. XXXIX, 4.* Ceterum, ſi legas, urbem Hieroſo-

roſo-

roſolymitanam ſubinde auctam, & novas partes veteri urbi adiectas, muroque non uno conjunctas eſſe, quod *Ioſephus*, paullo ante laudatus, *de B. I. Lib. VI. Cap. 6* refert, vel mediocri attentione intelligi poteſt, laudatam eſſe Hieroſolymam, *ut urbem in ſe*, hoc eſt, omnibus ſuis partibus, *probe coagmentatam.*

XXXII. Quando oſtenſum eſt, omnia, quæ de *ſuperiore Hieroſolyma* perhibentur, infirmo admodum fundamento niti; nolo hærere in conſideranda explicatione figurarum, quam nobis Vir doctiſſimus *p. 17* dedit, utut aliquid monere poſſem. V. g. quærere luberet, cur tum Deus abeſſe a ſuperiore Hieroſolyma cenſendus ſit, cum pœnam differt. Ni fallor, rectius diceretur ab ea Hieroſolyma abeſſe, in qua peccatur, quoniam eius peccata non reſpicit.

XXXIII. Tranſilire aliqua placet, & pergere ad theſin, quæ in potiſſimis Viri Clariſſimi eſt, *Hieroſolymam ſuperiorem eſſe Angelorum & beatorum civitatem*, p. 19. *Hanc*, inquit, *Paulum quoque intelligere, nulli dubitamus. Qui enim receptam apud Iudæos figuram ſuam facit, is eodem ſenſu accipere recte creditur*. Præterea, meliorem explicationem, quam hæc Iudæorum eſt, negat, dari poſſe. Huc redit, ni fallor, quæſtio, (poſito, quod falſum eſſe vidimus, uti *Paulum* vocibus *Hieroſolyma ſuperior*,) an ullo ſenſu civitas Angelorum & beatorum hominum, potiſſimum animarum, in cœlo *mater* dici queat piorum, in terra degentium. Affirmare hanc quæſtionem non auſim. Sanctos angelos huc non pertinere, palam eſt, quos ſcimus

non uti, & ne egere quidem, iisdem ſalutis mediis, hoc eſt, redemtione Chriſti, verbo Dei, & Sacramentis, quibus nos. Beatorum hominum in cœlis eſt quidem aliqua cum piis in eccleſia militante communio, quod ex *Ebr. XII, 22, 23,* oſtendi; verum hi non ſunt inſtrumenta regenerationis, in terra factæ, neque in nobis quidquam operantur. Hinc fieri nequit, ut *mater* eccleſiæ, quæ in terris eſt, appellentur.

XXXIV. Noſter quidem pergit: *Idem eſt, quod Chriſtus dicit, Io. III, 3:* ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, *niſi quis ſuperne natus fuerit. Siquidem* ἄνωθεν *ſuperne ibi ſignificet.* At, cum ipſe dubitet, & merito quidem, ἄνωθεν ſignificare illo loco *ſuperne*, & ſane-abunde, ſi locum inſpexeris, pateat, de *nova* generatione ſermonem eſſe, argumentum, inde ductum, per ſe concidit. Etſi demus etiam, ἄνωθεν eſſe ibi *ſuperne*; minime tamen, quod Noſter vult, ſequeretur. Non enim triumphantium civitati, ſed Spiritui ſancto, deſuper venienti, & aquæ, qua is inſtrumento utitur, regeneratio noſtra debetur. Præterea nullis argumentis, quantum perſpicere poſſum, fulcire Vir doctiſſimus ſententiam ſuam conatur. Nam, quod ait aliquam eſſe cœtus triumphantium, & huius, qui in terris eſt, ſimilitudinem, non hoc efficit, ut alter alteri pro matre ſit.

XXXV. In iis, quæ adverſus *Witſium* & *Vitringam* Vir Celeberrimus diſputat, criticam limam exercere non eſt animus, etſi, errare & impingere paſſim omnes, res non difficillima eſt oſtendere. Verum, quæ *p. 22* Noſter de voce *lex* differit, tangen-

genda exiſtimo. Sex ait eſſe vocis *νόμος*, item תורה, ſignificationes. In his ſextam ſic exponit: „ Deni„que illi quoque *doctrinæ Iudaicæ*, quæ quidem in „ſacro Codice non comparet„ & nomine תורה שבה „על פה, *doctrinæ viva voce propagatæ*, venit, „iſtud nomen tribuitur. „ Horum ſignificatuum nullum eſſe contendit, in quo vocabulum Græcum *νόμος*, Ebraico תורה reſpondens, in N. T. non legatur. Hanc obſervationem ad intelligendas Epiſtolas Apoſtolorum apprime neceſſariam perhibet. Sic ait: *Qui huius vocabuli homonymiæ immemor fuerit, multis in locis ſe expedire non poterit, ubi contra νόμον, id eſt, doctrinam Phariſaicam, per Apoſtolos diſputatur.* Equidem confiteor palam, ut ingenuum hominem decet, mihi nullum N. T. locum cognitum eſſe, quo *traditiones* Iudæorum, quas vocant, *orales lex* dicantur; & tantum non certiſſimus ſum, haud exſtare ullum locum; uſum adeo obſervationis nullum eſſe poſſe. Et videtur profecto pulchrius eſſe vocabulum *lex*, quam ut de *commentis Iudaicis* uſurpetur.

XXXVI. Perhibet autem Vir doctiſſimus *p. 23* §. *16*, in hoc ipſo ſignificatu acceptam velle Apoſtolum vocem *νόμος*, cum ait: *Dicite mihi, qui ſub lege eſſe vultis, οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, illi ſunt, qui ritus & cerimonias Moſaicas, ex interpretatione Phariſaica, retinere vellent.* Idem Vir Clariſſimus §. *19 p. 25* repetit, &, *non igitur*, inquit, *niſi de ſolis legibus, Iudæorum ritus & res fori ſpectantibus, ſecundum Phariſæorum doctrinam, Apoſtoli verba accipere poſſumus.* Ego vero ita animum induco. Si vera ſit hæc aſſertio: Apoſtolum

 legem,

legem, non niſi in ſenſu Phariſaico, ſeponi velle ſequi inde, certe non ſine magna ſpecie colligi, debuiſſe obſervationem legis Leviticæ in genuino ſenſu, ſecluſis adiectionibus & interpolationibus Phariſæorum, in Galatis continuari (quidni vero & apud nos?) Eſt autem teſtatiſſimæ veritatis, debuiſſe ceſſare legum Leviticarum obſervationem, quantumvis recte & accurate exponantur, in N. T.

XXXVII. Neque ea probare poſſum, quæ Vir Clariſſimus §. 21 p. 27 ſcripſit: *Non niſi ſecundum carnem natus eſt Abrahamo, id eſt, corpus quidem & vitam ab Abrahamo habuit, nihil vero præterea*, &c. Vocum, *ſecundum carnem generari*, non hæc eſt ſignificatio, ut intelligamus, *quid* ea generatione aliquis *acceperit*, ſed, *qua ratione* facta ſit iſta generatio, ut oppoſitæ his voces, *per promiſſionem natum eſſe*, hoc eſt, *præmiſſa promiſſione*, non hanc vim habent, ut, *quid* acceperit *Iſaacus*, indicetur, ſed *quomodo* acceperit. Neque probatior eſt Viri docti explicatio vocum, *δι' ἐπαγγελίας*, & *κατα πνεῦμα*, (quas ait eſſe eiusdem ſignificationis,) *nati*, *p. 28*. Vult enim, idem eſſe, quod *paternarum virtutum æmulum eſſe*. Quod cum a recepto uſu vocabulorum longiſſime abeat, rogatos omnes velim, non forment mente hypotheſes, quibus deinde vocabula, velint nolint, accommodentur, ſed ex cognita vocum ſignificatione demum fingant formentque hypotheſes.

XXXVIII. Porro haud aſſentior doctiſſimo Viro, *p. 29* §. 21 ita colligenti: *Iam vero, ſi dignus futurus erat Iſaacus, quocum fœdus iniret ſummum Numen, non poterat non vir optimus eſſe & feli-*

feliciſſimus utriusque parentis fidei, virtutis, & ingenuitatis, æmulus. Hanc concluſionem nec per ſe probo, nec *Iſmaelis* cauſa admitti poteſt. Nam & hunc conſtat promiſſiones divinas accepiſſe grandes utique, etſi maiores *Iſaacus* nactus eſt, ut adeo iniquum foret, huius rei intuitu malum dicere *Iſmaelem*, pium *Iſaacum*. Tum, quod ad rem ipſam attinet, hoc aſſerto *dignitas hominum* fundamentum poneretur beneficiorum divinorum, quod plurimis Scripturæ locis adverſatur, ipſisque illis, quæ *p. 31* Noſter dixit, feciſſe Deum fœdus cum populo, *cuius feri mores eſſent.*

XXXIX. Ἅτινα ἐςιν ἀλληγορέμενα, reddit Vir Clariſſimus *p. 30: quæ allegoricam patiuntur explicationem.* Cur vero non mavult ſic transferre: *Quæ habent allegoricam interpretationem*, ſeu quæ in allegoriam verſa ſunt. *Pati* poſſe allegoriam, certe non exſtat.

XL. Eadem *pagina* ſæpeque alias multa narrat Vir Clariſſ. de *ſervilibus ingeniis per fœdus Sinaiticum generatis.* Ait enim: *Uti Hagar Abrahamo Iſmaelem, ita hoc fœdus Deo gentem Iſraeliticam, ut filium, peperiſſe dicitur. Non vero filium patri ſimilem, ſed ſervili ingenio præditum. Quippe dicit Apoſtolus: Fœdus ex monte Sina ad ſervitutem gignens.* Quærere lubet, unde hæc hauſerit Vir doctiſſimus. Servitus, cuius ſchema utique in obſervatoribus legis Leviticæ eſt, *fortunæ conditionem* ſignificat, non *animi.*

XLI. Haud lubens video, *p. 31* opinionem *Spenceri* a tot doctis viris, totque argumentis, confutatam, Noſtro non diſplicere. *Quod ut impetra-*

 retur,

retur, inquit, *maxime neceſſarium erat*, *ut illa cultus externi pompa iniungeretur*, *an indulgeretur*. Quid ſibi vox *indulgeretur* vult? Nempe, cerimoniarum ita cupidum fuiſſe populum, perhibent, ut, niſi daretur, quod mirum in | modum concupiſceret, frænari non poſſet. Verum ego nihil uſquam de iſta cerimoniarum ſiti invenio. Non *indulta* autem ſolum, ſed acriter inculcata, mortis etiam ſupplicio propoſito, præcepta pleraque eſſe, quæ in Leviticis legibus continentur, ita liquere arbitror, ut nihil magis. Docti illi viri, qui perſuadere nobis conantur, legum Leviticarum, ſeu ritualium, magnam partem, vel multo maximam, mutuo acceptam eſſe e gentibus externis, potiſſimum Aegyptiis, & interpolatam aliquantulum repurgatamque, non videntur unquam ſatis attente *Moſis* locum *Deut. IV, 6, 8*, legiſſe. Hoc enim inde arbitror collecturos fuiſſe: Si inſtituta, leges, & ritus, *Iſraelitarum* ita ſancta viſa ſunt externis gentibus, ut hoc loco exſtat, non probabile eſt, ipſas illas gentes eadem, vel ſimilia, inſtituta habuiſſe, imitari autem ut vellent aliqua, facile potuerunt adduci. Porro & hoc inde coniicio collecturos fuiſſe: Si Deus ipſe leges a ſe datas ut ſanctas iuſtasque prædicat & commendat, adiecta interrogatione, *ubinam ſit populus ita magnificus, tam bonis legibus inſtructus?* non eſt veroſimile, eum illas ipſas leges ab aliis accepiſſe, nec ſponte, ſed velut indignabundum, & tantum non coactum.

XLII. Fortaſſe nimio affectui, quo res Iudaicas Noſter amplectitur, debentur, quæ *p. 30, 31*, obſervari vult: Iudæos diſtinguere inter illos, qui מצרים

ex

ex ſervili timore Deum colant, & illos, qui מאהבה, *ex amore*, vel reverentia, piis filiis digna, eamque diſtinctionem Chriſtum, eiusque Apoſtolos, vel magis urgere. Ego, omiſſis aliis, quæ hic moneri poterant, unum hoc quæro, cur יראה, *timorem*, quem certe Deus ubique poſtulat, & in piis neceſſe eſt eſſe, *ſervilem timorem*, non alium melioris indolis, velit eſſe.

XLIII. Quæ nunc e *p. 31* deſcripturus ſum, cum ſanctitate inſtitutorum divinorum, & cum virtute atque efficacia Spiritus S. qui illi parti verbi ſui, quam legem appellamus, non minus præſens adeſt, quam alteri, quod Evangelium prædicatur, conſiſtere poſſe nego. Sic ait Noſter: *Iſmaelem igitur habuit ſummum Numen, quem Iſaacum eſſe voluerat, quippe ab hac matre ingenuus filius exſpectari non poterat. Cultus publici ritus ab idololatria quidem arcebant, minime vero animi nequitiam expurgabant.* Vehementer velim rogatos omnes, qui de rebus ſacris loquuntur commentanturve, ut abſtineant de ſanctiſſimis Dei legibus abjecte ſentire & loqui. Poſcunt ſane illæ, & graviſſime quidem, obſequium animi accuratum, non externa tantum, & quæ in ſenſus incurrunt, & Spiritus S. qui & in legibus loquitur, offert vires, ſancte & ſecundum earum legum formulam vivendi. Magnam populi Iſmaelitici partem non timuiſſe Deum, ut decebat, dolendum utique. Sed legis hic nulla culpa eſt, alioquin & N. T. doctrinam accuſari neceſſe eſſet, in cuius profeſſoribus, nedum auditoribus, quamplurimi mali ſunt.

XLIV. *P. 32 §. 23* Vir Clariſſimus mentem *Pauli*,

qui Iudæis, e *Sara* certe ortis, exprobret originem ex *Hagara*, ita exponit, ut facile videas aberrare a ſcopo. Sufficiet hæc deſcripſiſſe. Inducit Apoſtolum ita diſſerentem: „Ne vero nudis me allegoriis ludere cavillemini; en! argumentum, „quod fortius ſtringat. Ex Hagarenis quid boni „proveniat? Proavi ſane veſtri, ad montis Sinæ „radices in Hagarenorum terra ſtantes, ſervilem „Hagarenorum naturam induerunt, vel potius nōn „exuerunt.„ Huius generis ieiunia & vehementer exilia ratiocinia exſpectarem ſane ab ingenio Rabbinico, nequaquam vero a ſanctiſſimo & theopnevſto Apoſtolo. Nemo non offenderetur, ſi hodie vellem Teutonicæ urbis civem neſcio cuius indolis accuſare, quod ante annos mille proavorum eius aliquis aliquamdiu hæſiſſet in regione, cuius incolæ iſtam indolem habere incerto rumore perhibentur.

XLV. Lectorem non minus cupidum, quam ego ſum, arbitror cognoſcendi rationem, qua inductus Vir Celeberrimus *p. 33* §. 24 docuit, *Iſaacum e cœlitum civitate deſcendiſſe*. Ipſe non credet, opinor, argumentum aſſertionis adhuc inauditæ eſſe, quod eodem §. ſcripſit, dignum illum fuiſſe, quem Deus in cœlitum conſortium reciperet. Hinc enim colliget aliquis, *receptum in cœlos* eſſe, at, inde *deſcendiſſe*, nequaquam colliget.

XLVI. Quæſivi ſupra, quibus rationibus effici queat, triumphantem eccleſiam matrem eſſe noſtræ in terra militantis eccleſiæ. Reſpondet nunc *p. 33* Vir Clariſſimus: „Sufficit obſervaſſe, Hieroſolymam cœleſtem ſincerorum Chriſtianorum

matrem

„matrem dici, quoniam Chriſti, divinorumque illi-
„us legatorum, doctrina id unice urget, ut ad cœli-
„tum beatorumque exemplum non infucati animi
„affectu Deus pie colatur.„ Itaque ob eam cauſam triumphans cœtus militantis genitor eſt, quoniam hic illum imitari debet? Contra ea duo ſunt, quæ monenda cenſeo. Primo, nec Chriſtum, nec Apoſtolos, unquam quemquam ad exempla cœlitum imitanda ablegaſſe. Quodſi aliquando eorum, qui nunc in cœlo triumphant, mentio facta, non ea certe, quæ nunc in cœlo agunt, ſed quæ fecere olim, imitanda proponuntur. Deinde vereor, ut multi vim conſecutionis probent. Nam non videtur, qui imitatur alterum, eundem parentem ſuum cenſere debere.

XLVII. Nec vacat, nec lubet, excutere totam interpretationem, qua Vir Cl. allegoriam illuſtrare ſategit, ſed ſpeciminis loco hoc excerpo, quod *p. 35* in verbis: *Eiice ſervam & filium eius, vaticinium oppido triſte* inveniſſe ſibi viſus eſt, quo, Iudæorum *rempublicam, cultum, templum, per Titum Veſpaſianum deletum iri, prænuntiarit,* quod vaticinium fortaſſe nemo alius in his verbis quæſiſſet. Ego certe, cerimonias Iudaicas e Chriſtiana eccleſia per *Titum* eiectas eſſe, non credo. At, de eiiciendis ritibus Iudaicis, vel certe arcendis, quos obtrudere nonnulli Galatis auſi fuerunt, hic agi, longe eſt certiſſimum.

XLVIII. Brevi paraphraſi Vir Celeb. *p. 36* complectitur, quæ ipſi de tota allegoria videntur. In ea, utut alia non deerant, quæ poſſent diſputari, malo tamen unum & hinc quaſi ſpecimen, omiſſis ceteris, capere. Apoſtolum inducit ſic loquentem: *Cum*

de eo diſputetur, num Iudaicus, an Chriſtianus, cultus Deo acceptior ſit, videamus, uter horum Iſmaeli ſit ſimilior, uter Iſaaco. Quoniam ex mente Noſtri *Iſmael* imago eſt Iudaicæ eccleſiæ cerimonioſæ, *Iſaacus* autem Chriſtiani cœtus, longe paucioribus utentis cerimoniis ac ritibus; eorum, quæ deſcripſi, verborum hæc eſt ſignificatio, magis placere Deo, coli ſine ritibus, quam in iis. At ego, diſtinguenda hic tempora, arbitror. Antequam Chriſtus ſuo adventu, & præſtito lytro pro genere humano redimendo, Leviticam legem ſuſtulit, non licuit ſane cultoribus veri Dei abſtinere ab ritibus, lege illa mandatis, ſed accurate obſervandi fuere. Poſt ea tempora non potuere ſolum, ſed & debuere, ritus iſti omnes omitti.

XLIX. Lectores, ſi velint, arbitrentur, dixeritne Vir Clariſſimus ſuæ hypotheſi conſona, an contraria potius. Sic ait in fine *p. 36:* „Hic duo ſunt fœ„dera, per *Moſen* factum, & per Chriſtum; quæ ma„tres ſunto. Duæ ſunt eccleſiæ, Iudaica & Chriſtia„na; qui filii ſunto. Geminorum horum cultorum „illi, qui ſervili ingenio præditi ſint, *Iſmaeli* ſimiles „erunt; adeoque fœdus illud, per quod adſciti ſunt, „cum *Hagara* ſerva comparabimus. Illi vero, qui „ſincero animi affectu Deum pie reverentur, *Iſaa„co*, ſimiles erunt; & fœdus, per quod adſciti ſunt, „cum *Sara* ingenua comparabimus.„ Mens horum verborum hæc, quantum intelligo, eſt, parum referre, hoc, an altero, fœdere aliquis utatur, in utroque ſervilia ingenia eſſe, in utroque etiam filiali affectu prædita; hæc *Iſaaco*, illa *Iſmaeli*, reſpondere. Quæ ſi vera ſunt, Iudæis, qui hodie vivunt, non eſt

opus

opus ad ſacra Chriſtiana accedere, ſi ſalvi eſſe velint; poterunt, ſervatis legis ritualis inſtitutis, modo id ſincero animi affectu faciant, Deo placere.

L. Quid vero dicendum eſt de his Noſtri verbis *p.37: Moſaicum fœdus Hagari ſimile, & per illud natos Deo Iſmaeles vidimus. Iſmaelis* imago, qualem Vir doctus pingit, vehementer tetra eſt. Quodſi monſtra talia matrem habent fœdus Sinaiticum, quid tandem de illo fœdere, quid de lege ibi propoſita, ſentiendum erit?

LI. Cum ſupra *p. 2 §. 3* Vir Celeberrimus profeſſus ſit, in allegoriis, cuius generis & *Pauli* Apoſtoli allegoriæ ſint, effata V. T. non explicari, ſed pro lubitu aliorſum trahi; mirari ſubit, eundem nunc *p. 38* literis Q. E. D. uti, & ſcribere: *Convenientiſſimam allegoriam eſſe, &, quod demonſtrari debebat, ſolidiſſime demonſtratum eſſe, quemlibet videre confidimus.* Alii dicent, hic ne umbram quidem demonſtrationis eſſe.

LII. Audivimus ſupra non ſemel, *Hieroſolymam ſupernam*, item *cæleſtem*, eſſe *civitatem triumphantium.* At præter exſpectationem *p. 40* Vir doctus ait, eam Hieroſolymam eſſe *fœdus per Chriſtum.* Sic ait: *Opponuntur ſibi Hagar & Sara; Iſmael & Iſaacus; Sina mons, vel fœdus ſub Moſe, & Hieroſolyma cæleſtis, vel fœdus per Chriſtum.* Nemini autem temere perſuadebitur, *fœdus per Chriſtum*, & *cœtum electorum in cœlis*, rem eandem eſſe.

LIII. Præmiſſurum ſe, ait Vir Clar. *§. 35 p. 40*, doctrinam de *methodo, qua V. T. effata in Novo excitantur*, ſed, cum exſpectaſſes, Apoſtolorum loca excuſſum illico iri, ſic pergit Noſter: *Non uno modo*

Iu-

Iudæorum Theologi ad ſacri Codicis effata provocant. Enimvero quid ad nos, obſecro, Rabbini, cum de Apoſtolis a Spiritu S. actis nobis ſermo ſit? Illos, fatetur, ſubinde dicta V. T. *eo trahere, quo per ſenſum literalem, & ſcriptoris ſcopum, trahi non debere, probe norint.* Neque tamen *mala fide* id facere homines iſtos cenſet. En modum, quo Rabbinos excuſari poſſe credit. *Si dubium moveatur*, inquit, *iſti effato vim fieri, eoque non probari, quod probari debebat; ingenue fatentur, illo ſe nihil probare velle; ſed ſcriptoris ſacri verba, quo proprie non ſpectent, deflecti; ex quibus quod eliciatur, probationis non niſi ſimulachrum eſſe, quod* אסמכתא, *fulcimentum, appellant.* Quærere licebit, qua fini putridos tibicines ipſi ſuis aſſertionibus ſupponant, quos probe norunt nihil eſſe, & ſumto pulcherrimo vocabulo *fulcimenti* vendere conentur. Volunt certe, ſibi credi, & probaſſe cauſam videri. At hoc, niſi vera rerum vocabula amiſimus, eſt, impoſtorem agere.

LIV. Allegoricas interpretationes Iudæorum rituum ſuorum, maximam partem eiusdem furfuris eſſe, nolo negare, Viro Clariſſimo affirmante *p. 40.* Verum, quod adiicit, *id quod neſcire non debet, qui, Novi Fœderis monumenta legens, in difficultates, ex quibus ſe & alios extricare nullo modo poſſit, incidere nolit*, de ea re mihi alia omnia videntur. Iudæorum modi, Scripturis utendi, ad rationem, qua Apoſtoli ſcripta V. T. laudarunt, nullo modo pertinent. Nulla mihi difficultas cognita, unde me Iudæorum commenta extricent, nulla, in qua ſine eorum ope hærendum ſit.

LV. Fateor, vehementer animum meum percelli

celli his V. C. verbis *p. 41: Etiam eorum effata per Novi Fœderis ſcriptores nonnunquam deflecti, quo ex Auctorum mente non pertineant, nos quidem extra omnem dubitationem poſitum eſſe cenſemus.* Hæc aſſertio ita mihi comparata eſſe videtur, ut, ſi vera eſſet, totam religionis noſtræ compagem fatiſcere, neceſſe eſſet. A ſpiritu veritatis plane alienum eſt, recitare effata, & ea exponere, ſeu ſenſum indicare, videri velle, re negligere, & pro vero ſenſu vendere, quicquid in mentem venit.

LVI. Videt Vir Celeberr. fore, qui hæc improbent, ſed eos putat, qui, multiplicem in Scriptura S. ſenſum ineſſe, arbitrentur. Sic ait: *Non quidem ignoramus, multorum auribus hanc doctrinam intolerabilem eſſe; qui ſenſus Scripturæ Sacræ myſticos, allegoricos, tropologicos, anagogicos, nobis opponunt.* Hic admodum fallitur Vir doctus. Potiſſimum eos hic ſibi contrarios habet, qui, ut par eſt, ubique non niſi unum, hoc eſt, literalem, ſenſum quærunt. De myſticis, allegoricis, tropologicis, anagogicisque, ſenſibus idem mihi, quod B. *Luthero*, videtur, qui in *Caput IV ad Galat. Tom. IV Ienenſ. p. 142 b. edit. an. 1558* ea ſcripſit, quæ Noſtrum præterea docere poſſunt beati Viri mentem de *Hieroſolyma ſuperna*: „Quare „Ieruſalem, quæ ſurſum eſt, id eſt, cœleſtis, eſt ec- „cleſia in hoc tempore, non ἀναγωγικῶς futuræ „vitæ patria, vel eccleſia triumphans, ut otioſi & „inerudititi monachi & ſcholaſtici doctores nugati „ſunt, qui tradiderunt, quatuor eſſe ſenſus Scripturæ, „literalem, tropologicum, allegoricum, & anagogi- „cum, & ſecundum hos ſingula fere verba Scriptu- „ræ inepte interpretati ſunt. Ut Ieruſalem literaliter

„ſigni-

„ſignificabat illis urbem eius nominis, tropologice „conſcientiam puram, allegorice eccleſiam militan„tem, anagogice cœleſtem patriam, ſeu eccleſiam „triumphantem. His inſulſis & nugacibus fabulis, „quibus diſcerpſerunt Scripturas in tot ſententias, fe„cerunt, ut de nullis rebus conſcientiæ certo erudi„ri potuerint. Sed *Paulus* hic ait, veterem & ter„reſtrem illam Ieruſalem pertinere ad *Agar*, & ſer„vire cum filiis ſuis, & abolitam eſſe, novam au„tem & cœleſtem, quæ domina ſit & libera, conſti„tutam eſſe divinitus, non in cœlis, ſed in terris, ut „ſit omnium noſtrum mater, ex qua ſumus genera„ti, & quotidie generamur. Ergo neceſſe eſt, hanc „matrem noſtram, ut & eius generationem, eſſe in „terris inter homines, generat tamen in Spiritu, mi„niſterio verbi & Sacramentorum, &c. non in car„ne.„

LVII. Pergit Vir Cl. &, ſi quis non velit ipſi hic ſuffragari, condemnat ſanctæ ſimplicitatis. *Piam igitur*, inquit, *hanc ſuperſtitionem eſſe putamus* — *multosque bonos futuros, niſi per te, bis duo quinque eſſe, credere iuberentur, fecit profanos.* Hoc ſibi, ni fallor, vult: Quisquis ait, Spiritum S. per ſcriptores recentiores loquentem, hoc eſt, Apoſtolos, eo dicto, quod e libris V. T. repetit, idem ſignificatum velle, quod olim, per Prophetas locutus, intellectum voluiſſet, ſibique adeo conſtare; is iubet homines incredibilia credere, & religioni damnum horrendum infert, contra mirifice pietatem iuvat & ſtabilit, quisquis contendit, Apoſtolos, vel conſulto, vel ignorantia ductos, effatis Biblicis ſenſum intrudere, quem nullo modo habent. Ceterum ſatius eſſet ab

accu-

accuſationibus huius generis, quo alia ſentientes falſe perſtringuntur, ut imperite ſuperſtitioſi homines, abſtinere. Interdum enim & illi deſipiunt, qui ſibi videntur acutiſſime videre.

LVIII. Eadem *pag.* Vir Celeberr. hæc ſcripſit, non circumſpectiſſime, niſi mea me cogitatio fallit: *Quis, quæſo, imperare ſibi poſſit, ut credat, non de ſolo Iſraeliticæ gentis, ſed de Chriſti quoque ex Aegypto reditu, ſua Hoſeam XI, 1, accipi velle verba, ad quæ Matthæus II, 15, provocat? Quis de infanticidio Bethlehemitico loqui velle Ieremiam XXXI, 15? Conf. Matth. II, 17, 18.* Apud me quidem *Matthæus*, qui utrumque hunc locum tum impletum prædicat eſſe, rebus, quæ illo ipſo tempore acciderant, tantum habet fidei, ut, ſi mihi negatum etiam eſſet, nexum dictorum apud *Hoſeam* & *Ieremiam* perſpicere, tamen religioni mihi ducerem dubitare de explicationis Apoſtolicæ veritate. Verum ita ſingularibus Diſſertationibus, vel lectis, vel legendis aliquando, niſi grave eſt, Viro doctiſſimo, expoſui utrumque locum, ut nihil iuſti dubii de accurata explicatione, quam *Matthæus* prodidit, ſupereſſe queat. Quæ ibi ſcripſi, huc transferre piget, neque video neceſſe eſſe, cum & Noſter non dederit explicationem eorum locorum e mente ſua. De *Hoſea* tamen dicto pauciſſima tangam. Vir Doctiſſ. pugnat contra neſcio quos, qui *Hoſeæ* verba ſimul de Iſraelitico populo, & de Chriſto, interpretari conentur. Cum his nos minime facimus. Ad me quod attinet, *Matthæo* credo, qui de Chriſto, præterea autem de nemine, effatum Propheticum ſummo iure explicat. Tum ſcire vellem, quid ſit Vir Celeber.

ber. reſponſurus ita interroganti: an imperare ſibi poſſit, ut credat, impletum eſſe in Chriſto, quod de Chriſto nullo modo prædictum ſit.

LIX. Longiſſimum locum B. *Lutheri* ex *Commentario in Hoſeam Tom. IV Ienenſ. p. 645 a. b.* (in meo codice eſt *p. 660*) Vir doctus deſcripſit. Locus argumentorum, quæ prætermiſſa nollem, vicem ſuſtineat. *Quoniam*, inquit, *rationibus contra omnes pugnari nequit, auctoritatis prælium ordiemur, auctoritate autem viri, qui omnia maledicentiæ ſpicucula eludere poſſit. Quod Hoſeas enim nulla de re minus, quam de Chriſti ex Aegypto reditu, cogitaverit, teſtis eſto divus Lutherus* &c.

LX. Dolendum eſt, noluiſſe Virum Clar. & reliqua his, quæ deſcripſit, proxime connexa legere, quæ nunc a me deſcribenda ſunt. „Hoc magis „obſervandum eſt, cum fere ſemper Apoſtoli trans„lationem Septuaginta ſequantur, quod *Matthæus* „hoc in loco Ebræorum Biblia ſequi voluit. Nam „Septuaginta non ſingularem, ſed pluralem, nume„rum habent: *Ex Aegypto vocavi filios eius.* Hunc „errorem corrigit Evangeliſta, & pro ſua auctorita„te oſtendere hoc teſtimonio vult, hunc Ieſum, ex „Maria natum, & ex Aegypto per angelum voca„tum, eſſe verum Dei æterni filium, ab æterno ge„nitum, ideo verius in eum competere hoc teſti„monium Prophetæ, quam in veterem populum, „qui non natura, ſed adoptione, erat filius. Hæc „ſimplex & genuina ſententia eſt.„ Hinc ſatis liquere arbitror, voluiſſe beatum *Lutherum* anno 1545, quæ ſcripſerat ante, quæque iam typis evulgata erant, emendare. Quodſi Noſter hæc voluiſſet legere,

gere, non ſcripſiſſet, opinor: *Cum Luthero igitur ſtatuimus, talia non explicari, ſed alio transferri, & ſimilibus applicari.* Ego viciſſim cum *Luthero* ſtatuo, in loco *Hoſeæ genuinam* & *ſimplicem* eſſe *ſententiam*, agi de Chriſto, unigenito Dei filio.

LXI. Negat tamen, vim fieri, Vir Doctiſſ. ſcriptoribus ſacris, *p. 43. Quo ipſo*, inquit, *nulla viris divinis iniuria fit. Recte enim ſimilia comparantur.* Hanc reſponſionem miror ſane. Comparari poſſe ſimilia, quis neget? Verum *Matthæus* non ita diſſerit: Hic factum aliquid eſt ſimile illi, quod Propheta dixit: *Vocavi filium meum ex Aegypto.* Contra ſic ait *Matth. II, 15: Ibique manſit usque ad mortem Herodis, ut impleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam, dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.* Hic non agitur de duobus ſimilibus inter ſe comparandis, ſed de vaticinio, & eius implemento.

LXII. Pergit: „Vitio illis non magis dari poteſt, quod hanc doctorum Iudæorum conſuetudinem, Prophetarum effata aliorſum transferendi, ſint imitati, quam Prophetis, quod, quæ plane dici poterant, ſublimibus ſæpe figuris ſunt elocuti.„ Sed hoc ad præſentem cauſam nihil attinet. Stili ratio, ut cuique lubet, vel, ut rectius loquar, ut Spiritui S. placet, informata eſſe poteſt, tropi figuræque ſive adſint, ſive tollantur, argumento, quod traditur, veritatis falſitatisve nihil inde accedit. At veritatem oportet ineſſe dictis Apoſtolorum, quæ nulla eſt, ubi effata Scripturæ V. T. in alium ſenſum trahuntur, omiſſo genuino.

LXIII. Non Iudæos, non Chriſtianos, habere

quidquam, proteſtatur Noſter eadem *p.43*, quod dicant contra. Non habebunt, inquit Iudæi, *quod oggan-niant, cum, ſuo more id fieri, conſiteri cogantur.* Hoc, fateor, mihi non probari. Neque enim mea cauſa ideo bona cenſenda, quod alter mecum peccat. Quid dicemus Iudæo, qui rectiora ſapere incipit, perſpicienti nugacitatem magiſtrorum ſuorum, & ſaniora apud Chriſtianos quærenti? Magis etiam diſplicet, quod de Chriſtianis Vir doctus perhibet, non habituris, quod conquerantur. *Qui*, inquit, *ſine illis quoque Prophetarum effatis Novi Fœderis divinis ſcriptoribus fidem eſſent adhibituri.* Hoc eſt, quod merito querantur Chriſtiani, non modo aliquot dictorum V. T. in alienum ſenſum abſtractorum, ſalutarem ſenſum ſibi eripi, ſed omnium dictorum Propheticorum vel perditam, vel certe ſuſpectiſſimam, eſſe interpretationem in N. T. Si opera primorum Chriſti diſcipulorum, v. g. *Apolloſii Act. XVIII, 28, Pauli Act. IX, 22,* argumentantium e dictis Prophetarum, non melior fuit, quam quæ, ſi Viro docto credas, in aliquot locis more Rabbinico præſtitere, non eſt certe magni. Et ipſius Chriſti diſputatio, qua *Luc. XXIV, 44,* duos diſcipulos tantopere movit, non eſſet multo melior cenſenda, quod abominor. Si vero doctrina Apoſtolorum non accuratiſſime cum promiſſionibus de Chriſto in V. T. obviis congruit, nec admittenda eſt, *Act. XXIV, 14, XXVI, 22.*

LXIV. Quod denique Vir Clar. dicit: *Quare nos quidem, melius quid & rectius dici poſſe, non credimus,* ita accipio, ut aliis tamen integra facultas maneat dicendi, ſi poſſint, meliora. Monitum vero,

ro, quo cavere omnes iubet, ne de omnibus V. T. effatis, in N. T. excitatis, id accipiant, (non enim incidere debere in ſcyllam, qui charybdin vitare velit,) poſſet fortasſis uſui eſſe, ſi, quibus locis Rabbinica methodus obtineat, quibus exulet, diſcernere potuiſſet, atque, cur hic valeat, iſthic non valeat, idoneis rationibus oſtendiſſet. Quod cum minime fecerit, nulla eius cautio eſt.

LXV. Qui religionem omnem ſubſannant, hic, quod ægerrime dico, in Celeberrimi Viri opinione, quod volunt, inveniunt. Dicent, omnia, quæ e Scriptura ſacra eruuntur ad fulcienda fidei noſtræ capita, precaria eſſe, tam facile explodenda, quam ab aliquibus admittuntur. Hoc vulnus ſolis verbis Noſtri: *Eximitur autem omne id profanis, quo fidem eorum ſuſpectam facere poſſent*, non ſanatur. Oſtendendum petulantibus ingeniis, quæ hodie dominatum affectant, non eſſe hic faciendum, quod alibi tu impune commiſeras. Hoc vero quibus rationibus oſtendes?

LXVI. De *Pauli* allegoria ita ſtatuit *§. 36 p. 43* „Vir Doctiſſimus: *Iſmaelis* & *Iſaaci* exemplo recte „demonſtrat Apoſtolus, quinam Deo diſpliceant, & „qui placeant ſui cultores. Non, qui ſervili *Iſma*„*elis* animo inſtructi ad Deum veniant, ſed qui pio „*Iſaaci* animo eum venerentur.„ Multa hic ſunt, quæ excutienda pluribus verbis eſſent, niſi portum peterem. Quæro: Fecitne *Paulus* allegorias? Si nullas fecit, (nam *recitaſſe* certe non eſt *feciſſe*,) fruſtra in explicandis *allegoriis Apoſtoli* opera ſumitur. De *ſervili ingenio Iſmaelis*, qua exprobratione lectorem Vir Clar. obtundit, veſtigium nullum, ut

iam dixi, in Scriptura eſt. Fœdus, quod nomine *Hagaræ* deſignatur, hoc quidem exſtat, *generare ad ſervitutem*, ſed, cum a Deo proficiſcatur illud fœdus, ab eo autem, eiusque inſtitutis, *ſervilia ingenia* naſci, ab ipſa veriſimilitudine abludat, (nam cenſendus eſſet Deus ipſe ſuos cultores ad cultum ineptos facere,) ſpero, ipſum Doctiſſ. Virum agniturum errorem ſuum. Non duraturæ erant in perpetuum leges *Moſis* rituales, ſed diſplicuiſſe Deo ſacra, ex iſtis legibus inſtituta, quæ *David* ſæpe & vehementer laudat, nemo dixerit.

LXVII. *Nullum* Noſtro *dubium eſt, quin Moſes eo conſilio Ismaelis & Iſaaci hiſtorias conſignaverit, ut eorum exemplo ſapere diſceremus*. Profecto neſcio, quod huic aſſertioni argumentum quæri poſſit. De *Ismaele* nihil ſiniſtri commemorat *Moſes*, & eo tempore, quo *Ismael* domo patris eiectus eſt, *Iſaacus* puerulus nondum potuit egregia virtutis ſpecimina edidiſſe.

LXVIII. Porro capere non poſſum, quomodo poſitiones duæ Viri Cl. ſimul poſſint veræ eſſe, quarum utramque *p.* 43 invenio: 1) *Moſis auctoritate, quæ volebat, probaſſe Apoſtolus recte dici poteſt*, & 2) *applicatio ad Iudæos & Chriſtianos, & allegoria, non Moſis, ſed Pauli, eſt.* Mihi ſic videtur. Si demonſtrationis tota vis in allegoria ſita eſt, illa autem allegoria a *Moſe* non eſt profecta, non poteſt e *Moſe* petita eſſe demonſtratio. Videtur quidem, quod e *p.* 44 colligo, in ea opinione eſſe Vir Cl. quia allegoria doctrinæ *Moſis* haud repugnet, dici licere, demonſtrationem *Moſis* auctoritate niti, ſed hac ratione vox *auctoritas* in abuſum rapitur. Nemo

mo unquam dixit, *Cajum Titii* auctoritate egiſſe, quod egit, ſi *Titio* de tota actione nihil conſtat, quam nec imperavit, nec ſuaſit, tametſi probabile eſt, non adverſari eam rem ſtudiis & ingenio *Titii*.

LXIX. Niſi plane me opinio mea fallit, in epilogo Viri Celeb. ſcopus, quo Apoſtolus recitata allegoria collineavit, penitus evertitur. Ipſe putat reprehendi Iudæos, quod *Iſmaelis* ſervile ingenium imitentur, laudari Chriſtianos, quod pietatem *Iſaaci* non fucatam amplectantur, obſervari tamen ſimul vult, non omnes Iudæos *Iſmaelem*, nec Chriſtianos omnes *Iſaacum*, ſectatos eſſe. Contra mihi videtur ita planus ſcopus Apoſtoli, ut fere manibus palpari poſſit, docere nempe velle, Leviticum cultum, quanquam & eum ſincero animo fieri oportuit, nunc ceſſare, Chriſtianum vero exerceri debere. De vituperatione Iudæorum & laude Chriſtianorum nihil mihi hic videre videor, & neſcio, qua ſpecie dici poſſet, Iudæos *Iſmaeli* ſimiles reprobosque eſſe, quod Leviticæ legis tenaces eſſent, cum palam ſit, *Iſmaelem* nunquam ulla lege Levitica, poſtea demum lata, uſum eſſe.

SECTIO ALTERA.

LXX. Offendi fortaſſe Lectorem imprudens nimia verboſitate, quæ vero hoc mihi nunc commodi præſtat, ut in exponenda mea ſententia de vexatiſſimo hoc Apoſtoli loco brevis eſſe poſſim.

LXXI. Initio ergo rogatos volo, qui hæc legere velint, ut probe expendant *verſum Capitis* noſtri *viceſimum*. Volebat Apoſtolus cum Galatis ſuis

eſſe & *mutare vocem.* Nemo fortaſſe dubitabit, φωνὴν hic eſſe modum proponendi doctrinam. Hunc mutare voluit, quoniam, ut *commate 19* præceſſerat, agendum ſibi videret cum iis, in quibus Chriſtus demum figurandus eſſet, hoc eſt, ita parandi formandique erant, ut Chriſti imago & figura in ipſis conſpici poſſet, liqueretque adeo, habere eos Chriſtum ipſum, non umbras modo eius & figuras. Dum tales fierent, recitare illis aliqua Iudæorum moribus congrua conſtituit, unde de mutandis ritibus Leviticis diſcere aliquid poſſent, ſed quæ ab uſitato docendi more Apoſtoli vehementer abeunt. Hoc mihi videtur eſſe ἀλλάξαι τὴν φωνήν.

LXXII. Porro tribus verbis obſervatum volo, nulla hic *vaticinia*, nulla plane *effata* V. T. explicari, aut in alium ſenſum, quam qui ipſis innatus & genuinus eſt, trahi, ſed *rem* olim geſtam allegoriæ eſſe materiam, adeoque, ſi vel eſſet Apoſtolo ipſi tribuenda allegoria, tamen ad allegoricam interpretationem effatorum V. T. nulla valeret conſecutio.

LXXIII. Tum obſervo, non probari, quæ κατ' ἄνθρωπον, non ſine fructu, uſurpantur. Ita *Paulus Act. XVII, 28*, Poetarum iſtud, αὐτοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, hominibus magna Poetarum auctoritate occupatis utiliter oppoſuit, indeque recte collegit, hoc qui credat, non poſſe debereve credere, Numen divinum inſtar lapidis, aut metalli, fabrili arte parati, eſſe. Eſſe enim hominis præſtantiorem partem animam, figurari neſciam. Ceterum aſſertio iſta Poetarum, ſecundum Philoſophorum Græcorum Poetarumque mentem accepta, longe eſt falſiſſima. Homines reſque creatæ omnes, tantum

abeſt,

abeſt, ut ſint γένος Θεοῦ, ut potius ab eo infinito intervallo diſtent.

LXXIV. *Paulus* igitur, quod quarto loco obſervandum præmitto, incipit allegoriam, quod genus diſſerendi Iudæi valde amarunt, non *facere ipſe*, (nam, quod alias nusquam fecit, neque hic feciſſe, temere & ſine ratione credendum, ſed *recitare*, hocque ipſo facere rem non ſui moris, id eſt, *vocem mutare*. Ait *v. 24*: ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, quorum verborum ſignificatio non hæc eſt: *hæc allegorice interpretabor*, ſed: *hæc in allegoriam verſa ſunt*.

LXXV. Tandem, quinto, neque hoc prætereundum, exſtare quidem *v. 24* claris verbis, fœdera eſſe duo, ſeu pacta inſtitutave, divina, ſed non niſi unius, nempe in monte Sina dati, nomen expreſſum eſſe. Operæ pretium eſt, indagare, cur alterius diſtincta mentio omiſſa ſit. Nam verbis, *de monte Zion*, *Eſ. II*, 2, aliisve, haud difficile fuiſſet alterum fœdus appellare, ſi Apoſtolus ipſe allegoriam feciſſet. Verum in allegoria, ab aliis & dudum facta, Galatis autem, Leviticorum rituum tenacibus, ſine dubio cognita, vel facile cognoſcenda, factum hoc non eſt, ob eam, ut arbitror, cauſam, quod auctores allegoriæ manifeſtationem huius alterius fœderis vivendo non attigerunt.

LXXVI. His ita præmiſſis, non poteſt difficile eſſe, allegoriam, non factam ab Apoſtolo, non demonſtrandæ alicuius veritatis cauſa propoſitam, fructuoſe tamen hominibus, talium amantibus, recitatam, & per ſe ſuaviſſimam, intelligere. Ceterum inchoatur demum *v. 24*.

LXXVII. Præcedentia *commata 21, 22, 23*, ipſius

certe Apoſtoli ſunt, ſenſus autem hic: O Iudaizantes Galatæ, quibus impetus eſt, ex formula cultus Levitici vivendi, quem *Moſes* tradidit, auditisne, quæ in iis *Moſis* libris exſtant, de duobus *Abrahami* filiis, ex hera uno, altero ex ancilla, hoc ſecundum conſuetum naturæ curſum genito; illo præcedentibus promiſſionibus? Hinc, quod vel noſtis, vel noſſe facile poteſtis, allegoria facta eſt.

LXXVIII. In iſta allegoria (*v.* 24) duabus & diſſimilis conditionis matribus pinguntur duo inſtituta divina, quorum prius ad ſervitutem gignenti, ſeu parienti, matri ſimile eſt, quoniam ob legem Leviticam, pii Israelitæ, utut eſſent filii Dei, ſchema tamen ſervile geſſere, *Gal. IV*, 13.

LXXIX. Nam, (*v.* 25) id quod voce Ἄγαρ ſignificatur, Sina, mons Arabiæ, unde promulgatum eſt fœdus, ſeu inſtitutum, Leviticum, ἀνάλογον eſt Hieroſolymæ, qualis hodie eſt, ritibus Leviticis occupatæ, & cum omnibus, qui cultum iſtum exercent, ſchema refert ſervorum.

LXXX. E contrario (*v.* 26) priſca Hieroſolyma, qualis ſub *Melchiſedeco* fuerat, libera eſt a Leviticis inſtitutis. Ibi cultus Deo præſtitus, nullo habito gentium & natalium diſcrimine, neque ex certa formula. Ex ea Hieroſolyma originem omnes ducimus. Non modo illi, qui *Abrahamum* gentis ſuæ auctorem agnoſcunt, & deinde Leviticæ legi ſubiecti ſunt, ſed & reliqui omnes Dei unius veri cultores, fidei *Abrahami* & *Melchiſedeci* imitatores, e quacunque gente proſapiam ducant, ſemen ſunt veteris *Melchiſedecicæ* eccleſiæ. Ceterum ultima verba huius 26 *commatis* propria ſunt Apoſtoli:

Hæc

Hæc priſca Hieroſolyma mater omnium noſtrum eſt, quibus allegoriam recitatam in uſum ſuum vertere ſatagit.

LXXXI. Hæc per omnes gentes ſparſa *Melchiſedecica* eccleſia compellatur dicto *Eſaiæ LIV*, 1, & ad gaudia de proxime exſpectanda ſumma propagatione excitatur. Huc pertinet, quod *v.* 28 Apoſtolus ait: Nos vero promiſſionis filii ſumus, κατὰ Ἰσαάκ, *Iſaaco* ſimiles. Hæc verba cum ultimis *commatis 26* ita cohærent: *Ipſa omnium noſtrum mater eſt* (quod ex *Eſa. LIV*, 1, illuſtratur,) *nos vero fratres, promisſionis filii, ut Iſaac, ſumus.*

LXXXII. Verum, ut tum *Iſmael*, ſecundum carnem ſolum genitus, fratrem, ſecundum promiſſiones Spiritus S. natum, expulſurus erat; ita ſimilia & hodie accidunt. Iſraelitæ ſecundum carnem ſubinde conantur filios promiſſionis, hoc eſt, Chriſtianos, exturbare. Obſervabit lector, verbum ἐδίωκε accurate, atque ut notio *imperfecti temporis* poſtulat, explicari. Et, quod ad rem attinet, dubio caret, *Abrahamum* initio animo egiſſe, ut partem vel maximam, vel certe mediam, bonorum *Iſmaeli* daret, unde adeo *Iſaacus* deturbatus eſſet, ſed, qui malitiam, neſcio quam *Iſmaelis*, & iniurias, quibus *Iſaacum* affeciſſe perhibent, inde colligere volet, errat longiſſime.

LXXXIII. *V.* 30 & 31 hæc mens eſt. Ut olim vox ſonuit, ancilla genitum cedere debere, ita nunc eam rerum conditionem eſſe, ut merito cedant, qui legem Leviticam vehementer inculcant, & cultum ex legis illius formula inſtituendum poſtulant, Chriſtianis vero libertatem ſartam tectam eſſe debere.

verſum abire maluerit. Et profecto *Ioſephus*, *Aulæ Pharaonis ſummus Præfectus*, eo, quo diximus, modo, *Naſir* vero ſolidoque nomine appellatus eſt, quemadmodum adhucdum apud *Perſas miniſter ille Regis*, in quo ſunt omnia poſita, potiſſimum *Naſir*, tanquam honorificentiſſimo quodam nomine, appellatur. Habemus huius rei teſtes fide digniſſimos, *Cornelium Lebrun* (7), *Engelbertum Kæmpferum* (8), *Auguſtinum Calmetum* (9), & *Ioannem Chardinum* (10), cuius verba hic repetere haud pigeat: La premiére charge du Royaume eſt celle *Surintendant Général de la maiſon du Roi*, qu'on appelle *Nazir*, *terme Arabe*, venant de *Neſret*, qui ſignifie *regard*, *vûe*, *obſervation;* ainſi Nazir ſelon le ſens du mot ſignifie *ſurveillant*. C'eſt donc ce Miniſtre-là même que nous voyons appellé dans les anciens Auteurs, qui ont écrit de la Perſe le *voyant du Roi*, &

tacito *Lightfooti* nomine, iſtiusmodi interpretationem reiicit, quia eius ſenſus ſit tenuis nimis & dilutus.

(7) *Dans les Voyages par la Moſcovie en Perſe & aux Indes Orientales Tomo IV p. 145.*

(8) In *Amœnitatibus Exoticis Politico-Phyſico-Medicis*, *Faſciculo I Relatione VI*, de Primatibus Aulæ Perſicæ togatis, quibus in regio conſeſſu locus eſt, *p. 78* ita ſcribit: *Naſir* vox Arabice *Inſpectorem* ſignificat. Magiſter eſt & Oeconomus Aulæ generalis. Gallice vocaveris *Grand-Maitre d'Hotel*, Italice *Maior dome*.

(9) Vide paulo inferius *notam 29 ſeq.*

(10) *Dans les Voyages en Perſe & autres Lieux de l'Orient, Tomo II Capite V p. 236.*

& auſſi *les yeux du Roi toûjours ouverts* (11). En un mot, *le Nazir eſt, pour ainſi dire, l'eſprit qui anime tout ce grand corps de domeſtiques & d'Officiers qui compoſent la maiſon du Roi.* Præterea notioni dictæ vocis *Naſir* in *Ioſepho* mirifice ſuffragatur *lingua Arabica*, uti præter *Valentinum* Schind-

(11). Quid ſunt *oculi Iehovæ, peragrantes omnem regionem, Zachariæ IV, 10,* aliud, quam omnimoda provida cura, qua Deus miniſterio Spiritus ſui (confer *Apocalypſeos V, 6,*) verſaretur erga Iſraelitas in terram ſuam ex Babylonia reduces, & antitypum eorum, eccleſiam Novi Teſtamenti? alluſione facta ad *Satrapas & primarios miniſtros Regum Perſiæ, Oculos* & *Aures* eorum dictos, itemque oculos regni, uti plus ſemel eſt in Roſario Perſico *Scheich Sadi*, per quos illi ad omnia, quæ in regno ſuo gerebantur, attendebant. Vide *Briſſonium de Regno Perſarum Libro I* §. *CXC*, forte etiam ſpeciatim, ob *numerum* horum oculorum *ſeptenarium Zachariæ III, 9,* ad eundem numerum VII Conſiliariorum eorundem Regum, de quibus *Ezras VII, 14, Eſther I, 14,* & apud *Briſſonium l. c.* §. *CXXIII* alluditur. Hactenus *Emo Lucius Vriemoet* in *Specimine ex omni Philologia ſacra & orientali* §. *XIV p. 354, Miſcellaneorum Groninganorum, in Miſcellaneorum Duisburgenſium continuationem publicatorum, Faſciculo II numero IX.* Ceterum plura hanc in rem notatu digna obſervavimus in Dedicatione *Hiſtoriæ* noſtræ *Fiſci Iudaici ſub Imperio veterum Romanorum.* Interim *duos oculos*, hoc eſt, intimos amicos & conſiliarios, Regi Perſarum tribuit vetus Grammaticus ad *Æſchyli Perſ. v. 985.* At *Dio Chryſoſtomus* Oratione III, *unius tantum* ex miniſtris regiis fuiſſe hanc dignitatem, affirmare videtur.

Almalech alnaſir rex adiutor, & plura eiuſmodi, quæ tanquam *elogia* diſtinctivis nominibus præpoſita, in *Abulpharagio*, *Elmakino*, ceteriſque Hiſtoriæ Saracenicæ ſcriptoribus, (18) occurrunt ubivis. Hactenus *Smithus*, noſtris obſervationibus paulo inferius ſubiectis. Nunc quædam adhuc addimus. Inter *Mohammedanos* nonnulli ſentiunt, *impios in nihilum redire, nec pati æterna ſupplicia*, uti docet *Abi Iaafar Ebntophail* in *Epiſtola*, ab *Eduardo Pocockio* ſub titulo *Philoſophi αὐτοδιδάκτου* edita, *p. 16*, qui eam opinionem tribuit *Abu Naſri* cuidam, & deteſtatur tanquam errorem non remittendum. *Laonicus Chalcondylas* Libro VII commemorat, apud *Turcas* quosdam Ναζηραίους appellari, qui vel *Sacerdotes*, vel *Monachi*, uti nonnullis viſum. Forte aliquis rectius coniecerit, *Naſiritas* denotari, qui *inter Sectas antiquas Mohammedanorum* recenſentur. Vide *Ludov. Maraccium Parte III Prodromi ad Refutationem Alcorani Capite XXV p. 84.* Iam redeamus ad *Ioſephum*, quem *inſigni prudentia præditum* fuiſſe, res eius in Aegypto geſtæ ſatis ſuperque teſtantur. Quod præter alios recte agnovit *Philo* Iudæus, qui in libro, cui titulus: *βίος πολιτικȣ̃*, *Viri civilis imaginem conſummatam* exemplo *Ioſephi* ſiſtit. Nec dubitabit hac de re, qui ſecum cogitaverit,

18) Omiſit *Smithus Sepher. Iuchaſin*, qui Chaliſarum ordinem, & quidem tanto ſtudio, pertexuit, ut vix uſpiam tam accurate conſignatos exiſtimet *Guilielmus Schickbardus* (in ſuo *Taarich*, *ſeu ſerie Regum Perſiæ*,) ne in Arabum quidem libris. Confer *I. H. Hottingerum Parte III Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ N. T. p. 203.*

verit, quanta fide & dexteritate in rebus *Pharaonis* adminiſtrandis verſatus ſit, unde & Regis gratiam conſtantem, maximamque in Aegypto ſibi conciliavit auctoritatem. Hic autem inde enaſci ſcrupulus poterat, *quod, Regis potius, quam ei ſubiectorum, commodis conſulendo, non ſatis iuſtitiæ & æquitatis habuiſſe rationem videatur, quod illorum ceteroquin proprium eſt, qui, litantes pſeudo-prudentiæ, veræ & genuinæ prudentiæ ſpeciem obtendunt.* Sed, ſi accurate expendantur, quæ hac de re *Moſes* habet *Geneſeos LXVII, 13*, nihil feciſſe *Ioſephum*, quod reprehendi debeat, deprehendemus iudicio *Ioannis Franciſci Buddei* (19). Cum pecunia deſtituerentur Aegyptii, primo pecora, equos, boves, aſinos, mox, his deficientibus, agrum univerſum cum frumento commutandum obtulerunt. Licuit Aegyptiis hæc omnia vendere; cur non licuiſſet *Ioſepho* nomine *Pharaonis* emere? Imo, ſi quis in ſervitutem conſentiat, ut conſequatur, quæ ad vitæ conſervationem ſunt neceſſaria, non peccat, qui ea lege, quibus ſuſtentari poteſt, illi ſuppeditat. Ex parte *Ioſephi* præterea nulla fraus, nulla vis, inſidiæ nullæ, intercesſerunt, ſed res ita acta eſt, ut Aegyptiis facere & omittere, quod vellent, integrum eſſet. Imo ſumma in his omnibus *Ioſephi* eluxit *æquitas*, quod, *libertate hominibus relicta*, ſubminiſtrato ſemine, & emtis agris reſtitutis, quinta ſaltem proventus parte Regi reſervata, *ſervitutem admodum mitigaverit*, *Geneſeos XLVII, 2*. Atque tanta cum eſſet *Ioſephi* prudentia, mirum non eſt, quod

(19) In *Hiſtoria Eccleſiaſtica V. T. Parte I p. 406.*

quod ex eius diſciplina profecerint Aegyptii, quod & *David*, Rex ſanctiſſimus, indicat *Pſalmo CV*, *22*: *Conſtituit* (Pharao) *eum* (Ioſephum) *dominum domus ſuæ*, *& dominatorem in omni poſſeſſione ſua, ut erudiret Principes, ſicut ſe ipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Ad iſtam vero prudentiam humana inſtitutione *Ioſephus* non pervenit, ſed ingenii, quod Numinis beneficio illi obtigerat, ſolertiæ eam omnem imputavit. *Abeneſra* ad *Pſalmum CV*, *22*: *Quod Pſalmus habet*, ſeniores *Pharaonis* eruditos eſſe a *Ioſepho*, *id ita eſt intelligendum*, conſediſſe nempe illos diſcipulorum inſtar, coram *Ioſepho*. *Et vox* יחכם, *qua erudiſſe dicitur, eſt hoc loco accipienda, ut eo, quo aves cœli erudiri dicuntur, & homines* (*Iobi XXXV*, *11*,). *Docuit nempe eos ignotam illis antea ſapientiam.* Confer *Io. Alb. Fabricium* in *Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti p. 761.* Ceterum nomen ipſum *Ioſephi* Ebræis *Auguſtum* ſonat, de quo videndæ *Auguſti Pfeifferi Animadverſiones*, quas addidit *Homiliæ in inaugurationem Ioſephi, Imperatoris Romani.*

III. Tranſeamus nunc, neceſſe eſt, ad *Naziræos*, quos *Ieremias* in *Threnis IV*, 7, ſingulari ratione deſcribit. Neque vero opus eſt, ut cum R. *Selomone* (20), *Valentino Schindlero* (21), *Thoma Bartho-*

(20) Hic *voto Nazaræos* intelligit, quaſi propter intonſam cæſariem reliquis comtiores & venuſtiores fuerint.

(21) In *Lexico Polyglotto p. 1102*: Candidi fuerunt Naziræi eius præ nive, quia *albis veſtibus* induti erant.

tholino (22), & *Ioanne Spencero* (23), *voto Naziræos* intelligamus, ſed, cum Hebraice נזיר *Nazaræus* dicatur, qui a ceteris vel voto, vel dignitate, ſeparatur, malumus hic intelligere *dignitate Nazaræos*, quomodo Nazaræi iidem ſunt, qui *populi principes* ac *magnates.* Hos igitur olim, id eſt, ante captivitatem Babylonicam, in boni habitus argumentum, candoris quaſi lumine nivem, & lac, & margaritas, ſuperaſſe, dicit Propheta. Quo modo ſi acceperis, inquit *Samuël Bochartus* (24), omnia belle cohærebunt, quia nix, lac, & margaritæ, ſunt concolores. At, ſi cum vulgo interpretum, eosdem eſſe, dixeris, nive & lacte candidiores, *& gemmis, vel lapidibus, rubicundiores*, primum hoc erit incommodum, quod iidem *candere* & *rubere* dicentur, quod non con-

(22) *De Luce hominum Libro I Capite XX p.* 133: Candidiores Nazaræi eius nive & nitidiores, rubicundiores coralliis, & ſapphiro pulchriores. A qua temporum ſucceſſione traductam etiamnum conſuetudinem ſervant *Hebræorum* natio, ut *albatis ſaccis ſacra ſua peragant.*

(23) *De Legibus Ritualibus Hebræorum Libro III Diſſertatione I Capite VI Sectione I p.* 858: Ieremias ad *Nazaræorum ætatem florentem* magis, quam puritatem, alludere videtur. Hæc enim elogia nimis hyperbolen ſaperent, niſi Nazaræis respectu juventutis, ætatis, formæ elegantia plerumque præcellentis, tribuerentur. Quamvis igitur, tempora quædam peculiaria fuiſſe, crediderim, quibus ætatis provectioris Hebræi Nazaræatus voto ſe ipſos obligarunt; prima tamen iuventus illud ordinarium fuiſſe videtur, quo plerique Nazaræatus votum in Dei κυροτρόφυ honorem ſuſceperunt.

(24) *Hierozoici Parte II Libro V Cap. VI p.* 690.

convenit. Ne dicam, intenſum in facie ruborem ægri, aut ebrioſi potius, ſignum eſſe, quam bene ſe habentis. Præterea nemo, aliquem eſſe, dixerit, gemmis rubicundiorem, cum pleræque gemmæ non rubeant, ſed ſoli carbunculi, aut his congeneres charchedonii, ſandaſtri, lychnitæ ſardæ, &c. Itaque Propheta hic verbo אדמו, *Iudæorum Nazaræos rubuiſſe*, non ſignificat, *ſed canduiſſe, & luxiſſe ut margaritas, quas a candoris luce & ſplendore nomen habere, multi putant.* Audivimus adhuc *Bochartum*, cuius ſententiam ſuo calculo approbat *Ioannes Lundius* (25), refragante *Ioanne Georgio Abichtio* (26). Interim cum *Ioanne Braunio* (27) ſic

(25) In *den alten Iüdiſchen Heiligthümern Libro III Capite LIII numero III p. 689.*

(26) In *Diſſertatione ad Eſaiæ I, 18, de Peccatorum coccinorum albedine, §. XVIII,* advertimus, ex adductis nondum ſufficienter colligi, radicem אדם inter Hebræos quondam, *præter rubedinis, pulchritudinis quoque, vel candoris, ſignificatu* fuiſſe præditam. Negare equidem nolumus, ſignificationem iucunditatis & delectationis inter Aethiopes eſſe uſitatam, (vide Lexicon Aethiopico-Latinum *Iobi Ludolphi,*) ſed de eo tantum dubitamus, an ille ſignificatus tam antiquus ſit, quam ille rubedinis, quem Scriptura ſacra toties repetiit. In vocabulorum enim ex gente ad gentem migratione obſervamus, quod frequenter non ſine ſignificationum immutatione facta ſit. Si denique per פנינים *Threnorum IV,* 7, vel *corallia,* vel *margaritas rubras,* intelligamus, quales, teſte *Plinio Libro IX Cap. XXXV,* circa Boſphorum Thracium, non opus eſt, ut a conſueta ſignificatione recedamus, quæ alias toties in ſacra Scriptura occurrit.

(27) *De Veſtitu Sacerdotum Hebræorum Libro II Capite XII §. VII p. 676.*

ſic verba *Ieremiæ* intelligimus: *Puriores erant Naziræi illius nive, nitidiores lacte, rubebant corpore magis, quam carbunculi*, (aut, ſecundum alios, *ſplendent magis, quam margaritæ,) ſapharina polities eorum.* Pro *ſapharina politie* textus habet ספיר גזרתם, quod varie exponi poteſt. Nam aut politiem ſignificat גזרה, quaſi diceret: Naziræi erant corpore ſano & eleganti, nitentes inſtar ſaphiri, aut, quod multo credibilius eſt *Braunio*, גזרה ſignificat ipſas venas ſanguine plenas, quæ carnem varie interſecant inſtar rivulorum ſaphirinorum. Secundum hanc explicationem ſenſus iſtius loci erit: *Corpora eorum erant candida inſtar nivis & lactis, imo ſplendentia tanquam margaritæ, (aut rubentia genis, labiis*, &c. *inſtar corallii,) intercurrentibus venulis ſanguine plenis ſaphiri inſtar, cæruleo colore gratiſſimo.* Hæc vera deſcriptio eſt *pulcherrimi & elegantisſimi corporis;* quod vel Medici nos multo rectius docebunt (28).

 IV.

(28) *Nimium rubicundus color Celſo* ſuſpectus, nec admodum pallidus, flavus, aut terreus, qui cunctis damnatur, ſed ſuavis atque ad viſum dulcis perplacet, quem profecto *Hippocrates* libro *de Alimento n. 5* inter hominum colores præ omnibus commendavit. Quanquam vero, inquirere in cauſas boni malive hominum coloris, non ſit in præſentia neceſſarium; utile tamen eſt, noſſe, eiusdem in vultu ſuffuſionem humorum, in corpore exuberantium, certisſimam notam eſſe, quemadmodum aperte docuit *Hippocrates* in limine libri *de Humoribus*. *Bonus* enim, *dulcis, ac ſuavis, hominum color* ſignificat tum contenta fluida optime ſoluta ac defæcata, tum continentia vaſa, ſine ullo vel ob-

IV. Satis de *Naziraeis, rerum civilium ſummam curam aeque ac dignitatem ſuſtinentibus*; perveniamus, neceſſe eſt, ad *ſummos veterum Ebraeorum Pontifices*, quos *Auguſtinus Calmetus* 29) propter praecipuam ſacrorum curam, dignitatemque, *a Moſe Naſiraeos appellari* exiſtimat. Quodſi enim *Ioſephus Naſir* inde dictus fuit, quod ſummus eſſet aulae *Pharaonis* praefectus, tanto luculentius, eodem *Calmeto* iudice, 30) *ſummus Pontifex nominatus eſt Naſir, quia*

obſtructionis, vel convulſionis, impedimento conſtare: nimirum liberam fieri bonorum humorum a viſceribus in cutim, & a cute in viſcera, reciprocationem, ſanguinemque, ad minimos cutis tubulos pertingentem, partim perſpirare, partim lymphae admixtione ita dilui ac temperari, ut *intuentium oculos oblectet grata lucis reflexione, quam iucunde efflureſcentem colorem appellamus.* Hactenus *Ioannes Maria Lanciſius* in *Diſſertatione de nativis Romani caeli qualitatibus Parte I Capite XV p.* 47, cui adde *Georg. Wolfg. Wedelium Exercitationum Medico-Philologicarum Centuria I Decadis I Exercitatione VII de Coloribus medicis.*

(29) In *Supplemento Commentarii in Leviticum p.* 28 ad verba *Levitici XXI, 12*: L'Hébreu: *il eſt le Naſer; l'huile d'onction de ſon Dieu eſt ſur lui.* Le Naſer, ou Néſir, eſt le premier Officier de la Cour des Rois d'Orient. *Le Grand Prêtre exerce cette charge dans la maiſon de ſon Dieu.* Il eſt conſacré à ſon ſervice par la plus ſacrée des onctions, *Ioſeph* étoit *le Naſer* de la maiſon de Pharaon.

(30) In *Supplemento Commentarii ad Deuteronomium p. 100* ad verba *Deuteron. XXXIII, 16*: Dans la Cour des Rois d'Orient il y a un Officier nommé *Naſir*, ou *Néſir*, qui eſt le premier Officier de la Couronne, le grand Oeconome du Roi, *le Surintendant de*

quia Præfectus domus Dei, Pontificali illa auctoritate præditus, ſummam omnium ſacrorum curam inſpectionemque habuit. At vero *Calmetus*, ſubductis aliquanto accuratius rationibus, ipſe diſpiciat, an ex allatis locis Scripturæ cognomen illud Pontificis Maximi ſatis commode elicere poſſit. Certe *in ſacris literis nusquam expreſſum illud Naſir cognomen legitur*, contra Pontifex; *Levit. XXI, 10*, vocatur גדול מאחיו *magnus præ fratribus ſuis* 31). Audiamus hic *Ioannem Seldenum* (32): Aharon ipſe, qui ſummus erat, ſeu Pontifex, nomine הכהן, τῦ ἱερέως, *Sacerdotis* ſimpliciter, & per excellentiam, ſive כהנא רבא, *cahna rabba*, quod idem ſignificat *Chaldæis*, aliisque vocibus, idem denotantibus, memorari ſolet, uti & ſucceſſores eius. Et *Sacerdotes κατὰ μέρος, minores*, ſeu *gregarii*, כהנים הדיוטים, *ſacerdotes idiotæ*, ſeu *vulgares*, Iurisconſultis paſſim nuncupantur (33).

de ſa maiſon, de ſes domaines, de ſes tréſors. Il a inſpection ſur tous les Officiers de la maiſon du Prince, ſur ſa table, ſa garde, ſes penſions. *Ioſeph* étoit donc *le Néſir* de la maiſon du Roi d'Egypte. Iacob, ſon pere, lui donne le même nom dans la *Généſe XLIX, 26, & le grand Prêtre eſt nommé le Néſir de la maiſon de Dieu*, dans *le Lévitique Ch. XXI, 12.*

(31) Quomodo hæc verba interpretetur *Abarbanel*, videre licet apud *Io. Henr. Hottingerum* in Notis ad *Thomam Goodwinum p. 75.*

(32) *Libro I de Succeſſione in Pontificatum Ebræorum Capite I p. 211.*

(33) Idem *Seldenus* paulo poſt *Capite IV p. 258* obſervat, verba *Ioſephi Libro VIII Cap. I: οἱ δὲ ἰδιωτεύσαντες ἐκ τῦ φυλέτου γένους*, *Ruffinum* male vertere: *ſacer-*

Depravata autem nimis, ut fieri amat, habes horum nomina in *Ioſephi* exemplaribus. Sacerdotes, inquit ipſe Ebræus, Sacerdos & Iuriſconſultus, Χανάιας, *Chanæas*, appellant, Pontificem Ἀναραβάχην, *Anarabachen*. Locus eſt in *Libro III Cap. VIII Originum*. *Ruffini* vetus interpretatio ibi habet *Arabarchen*. Ceterum nemo non videt, e Chaldaica appellatione, Ebræis ſatis uſitata, ſed a librariis male accepta, prodiiſſe hæc vocabulorum portenta. Nam ex הרבא כהנא, *barabba cakena*, male fiebat *Arabarchen*. Hæc *Seldenus*; ceterum *Samuel Bochartus* (34) &

cerdotio ſunt privati, cum multo rectius vertatur ἰδιωτεύσαντες, *privatam vitam degentes*, aut *dignitate Pontificia neutiquam fungentes*. Illud plane innuitur, tantum vitam tranſegiſſe hos inter כהנים ההדיוטים, τοὺς ἱερεῖς τοὺς ἰδιώτας, *ſacerdotes idiotas*, *ſeu privatos & ad Pontificatum non admiſſos*: quo nomine *vulgus*, ſeu *plebem*, *ſacerdotum* a Pontificibus diſtinguere paſſim ſolent Ebræi. Hæc *Seldenus*, cui maioris lucis cauſa addimus *Adrianum Relandum* in *Antiquitatibus ſacris veterum Ebræorum delineatis Parte II Capite IV §. V p. 169*, itemque *Hiſtoriam noſtram Bibliorum, ex Ebræorum diebus feſtis & ieiuniis illuſtratam, ſelectiſſimisque obſervationibus adornatam, Capite X §. II nota 22 p. 118*.

(34) In *Geographia S. Parte II Libro II Capite XVII*: Sic 2 *Samuelis VIII, 18*, *& filii David erant* כהנים, *ſacerdotes*, id eſt, הראשנים ליד המלך, *primi ad manus regis*, ut exponitur 1 *Chron. XVIII, 17*. Chaldæus habet רברבין, *principes*, Græci ἀυλάρχαι. Rurſus 2 *Sam. XX, 26*: Etiam Ira Iairites erat *ſacerdos David*, Chaldæus: רב דוד, *princeps Davidis*. Sic *ſacerdos On Geneſ. XLI, 50*, *Sacerdos Madian Exod. II, 16*, id eſt, *princeps*, *præfectus*, *guber-*

& *Salomo Deylingius* (35) obſervant, Hebræa phraſi כהנים *ſacerdotes* dici *magnates Iudæorum;* neque vero falluntur, cum id ipſum, quod uterque obſervavit, præter *Io. Braunium* (36) & *Io. Spencerum* (37) aliq loco & tempore magis, magisque confirmaverimus (38). Satis itaque ſuperque erat honoris ſummo Pontifici Ebræorum, cum הכהן appellaretur,

gubernator. Et *Iobi XII, 19, Deus ducit ſacerdotes ſpoliatos,* Chaldæus רברבניא, *principes.*

(35) In *Obſervationibus Exegeticis, plurima S. Scripturæ loca illuſtraturis, Miſſu II.*

(36) *De Veſtitu Sacerdotum Hebræorum Lib. II Cap. XXIV §. IX pag. 834.*

(37) In *Diſſertatione de Theocratia Iudaica Lib. I Legum ritualium Hebræorum Cap. V Sect. I pag. 335:* Olim vox כהן non tantum *miniſtrandi*, ſed & *accedendi*, vel *appropinquandi*, notionem habuiſſe putetur. Nam filii Davidis כהנים *2 Sam. VIII, 18,* alibi *1 Paral. XVIII, 17,* viri principes ad manum Regis appellantur, quod ſcilicet Regis lateri proxime adhærerent, eique eſſent a conſiliis interioribus. Deinde ſacerdotum nomina כהנים, קרובים, & הנגשים, tanquam ἰσοδύναμα in Scripturis uſurpantur *Exod. XIX, 22, Levit. X, 3, Ezech. XLII, 13, XLIII, 19,* & הקריב, *accedere facere*, eſt Sacerdotem conſtituere *Num. XVI, 5.* Ideo vero Sacerdotes קרובים, *Deo propinqui*, tam frequenter dicebantur, quod iis ſolis Sanctuarium (præſentiæ ſuæ regiæ cameram) adeundi licentia concederetur, & quod ſacris miniſtrantes proxime abeſſent a Sancto Sanctorum, ſummi Regis ſolio, & interiore habitaculo.

(38) In *der Erœrterung der dunckelſten und ſchwerſten Schrifftſtellen im Alten Teſtament Part. I p. 253,* & *Part. II pag. 567.*

eum *veſtes eidem facta eſſent*, *Exodi XXVIII*, 2 & 40, לכבוד ולתפארת, *ad honorem & gloriam*, hoc eſt, *veræ regiæ*, uti pluribus probat *Ioannes Braunius* loco citato, itemque *Spencerus* (39). In præſenti ſufficiant verba illa *Maimonidis* in כלי המקדש *Cap. VIII*: *Mandatum eſt, ut* veſtes *Sacerdotum ſint* novæ, elegantes, & demiſſæ, ſicut veſtes *Magnatum*, quia dicitur: *in gloriam & decus.*

III.

CAR. HENR. ZEIBICHII,

ART. MAG. S.S. THEOL. CAND. ORDINISQVE PHILOSOPHORVM VITEMBERG. ASSESS.

DE

RITV ADIVRANDI SVMMVM HEBRAEORVM PONTIFICEM ANTE EXPIATIONEM ANNIVERSARIAM DISSERTATIO,

AD ILLVSTRANDVM COD. IOMA CAP. I N. 5.

ARGV-

(39) En eius verba: Non poſſum ab hac materia diſcedere, quin prius addidero, *Sacerdotes vulgares veſtes decoras & elegantes, Sacerdotem primarium veſtes auro & margaritis illuſtres, habuiſſe*, nempe ut habitus ſui ſplendore & elegantia ſervorum regiorum formam & ſpeciem repræſentarent.

ARGVMENTVM.

I. *Locus Miſchnæ exhibetur.* II. *Tempus, quo hic ritus peractus.* III. *Locus, eidem deſtinatus, ubi de Camera Parhedrin dicitur.* IV. *Ab hac diſtinguitur Conclave Domus Abhtines.* V. *De ſitu loci utriusque diſputatur.* VI. *Perſonæ, a quibus adiuratio inſtituta* VII. *Fontes quidam de hoc ritu indicantur.* VIII. *Exhibetur ipſa adiurationis formula, cum duplici eruditorum interpretatione.* IX. *Senſus huius formulæ generalis, ad omnes functiones Pontificis expiantis rediens.* X. *Specialis, ad ſuffitum incendendum ſpectans.* XI. *Sadducaeorum in ſuffitu adolendo mos.* XII. *Declaratur, ritu illo vere reſpici ad eam Sadducaeorum hæreſin.* XIII *Diſſeritur de Pontificibus, Sadducaeorum partibus addictis.* XIV. *Horum numero accenſetur Ioannes Hyrcanus, cum Anano.* XV. *Ritus alius, in quo Sadducæi a Phariſæis diſceſſerunt.* XVI. *Io. Clericus notatur.* XVII. *Controverſia recentior, inter Cel. Ikenium & Doctiſſ. Gudium agitata, producitur.* XVIII. *Clauſula loci Miſchnici paucis expenditur.* XIX. *Promittitur loci alicuius Apoſtolici ex hoc ritu illuſtratio.*

I.

Animadverſione digniſſima eſt ſingularis illa priſcæ Hebrææ gentis conſuetudo, qua ipſe Pontifex Maximus, cum magnum illud piaculare ſacrum, proxime inſtans, animo agitaret, certa quadam *adiurationis* formula, quod fungi ſuo munere ad præſcriptum divinum, & ex more inſtitutoque maiorum, exacte velit, adſtringebatur. Teſtem huius rei locupletiſſimum excito *Codicem Miſchnicum Ioma*, qui, ubi ritus expiationis anniverſariæ ordine proſequitur, in enarrandis

dis iis *Cap. I §. V* his quidem verbis pergit: מסרוהו זקני בית דין לזקני כהונה והעלוהו לעליית בית אבטינס והשביעוהו· *Tradebant eum Seniores Synedrii magni Senioribus ſacerdotii, qui evehebant illum in cameram domus Abbtines, atque adiurabant eum.* Quibus expoſitis, ipſa ſubiiciuntur adiurantium verba, quæ, loco inferiori accuratius expendenda, iam dimitto.

II. Definiatur principio *tempus*, quod ſacræ huic religioſæque actioni deſtinatum fuit. Hoc, ſi generatim conſideretur, eſt ſpatium ſeptem dierum, ſacrum illud Hebræorum anniverſarium, quod יום הכפורים, *diem expiationum*, per excellentiam vero יומא, *diem*, dicunt, præcedens. Tanto enim intervallo ante diem ſolennem a domo ſua ac familia ſegregatus Pontifex maximus, in cameram quandam templi, quam deinceps indicabo, deductus fuit; eam præcipue ob cauſam, ut ab omnis immunditiei ſpecie, quæ per tactum cadaveris mortui, & ſepulcri, hominis leproſi, fœminæ, languore laborantis, alioue modo, contrahebatur, ſeptemque dierum ſpatium ad munditiem expetebat, eo remotior eſſet. Eiusmodi enim immunditie contaminatus, indignus reddebatur tot tantæque ſanctitatis functionibus, die illo obeundis. Hoc igitur tempore iis occupabatur negotiis, quibus efficiebat, ut eo exercitatior redderetur ad labores, ſolius Pontificis dignitati relictos. Spargebat ſanguinem agni utriusque, quotidie offerendi, & matutini, & veſpertini, parabat lucernas, easque a funiculorum cineribus, quibus forte ſuf-

focari

vocari poſſent, purgabat, præterea caput pedemque offerebat, & quæ alia ſunt, quæ attingere non vacat. Adiungebantur ipſi ex ſenioribus Synedrii magni nonnulli, qui prælegebant verba legis de ſacro Piacularii, ut rationem rituum ſacrorum omnium, quibus vacandum erat, exacte noſſet, &, ſi, quod ſæpe in Pontificibus illis animadverſum fuit, rudior paullo literarum eſſet, ex ore ſeniorum ſingula attente hauriret. Veſpera diei expiationis, ſive Paraſceve latiori, quam conſtituebat dies præcedens integer, collocabant illum ad Portam Orientalem, adductisque arietibus, iuvencis, agnis, curabant, ut, crebriori functionum Pontificalium uſu ſubactus, tantæ dignitatis perſonam felicius ſuſtineret. Non arcebatur Pontifex intervallo ſeptem dierum a cibo ac potu, ne forſan, viribus exhauſtus, in ipſo munere ſacro, languore occupatus, deficeret. Veſpera ante diem, quo feſtum illuceſcebat, poſt exortas tenebras, non permittebant, ut cibi quid caperet, veriti, ne, in vigiliis conſtitutus, vel ſomno præter ſpem implicaretur, vel, capitis quadam gravedine affectus, langueret. Ea enim nox, quam ieiunium præceſſerat, tranſigenda erat in vigiliis, &, cum tota veſpera ad Sabbathum referretur, in eadem inſtantis diei ſolennitas animo perpetuo agitanda. Atque huius ipſius noctis ſub initium fiebat deductio Pontificis maximi in conclave aliud, una cum priori a me ſtatim deſcribendum, tum ut certis quibusdam defungeretur laboribus, tum ut ſingulari *iuriſiurandi* formula ad fidem, in munere præſtandam, adſtringeretur. Hæc, quæ dixi, leguntur *Cod. Ioma Cap. I.*

Iam

Iam conſtat nobis de tempore, & generatim, & ſpeciatim, conſiderato.

III. A definitione temporis progreſſio fiat ad *locum*, in quo iuramentum præſtitum. Hic tum demum capi recte poterit, ſi duo templi Hieroſolymitani conclavia fuerint diſtincta. Eorum unum לשכת פרהדרין, *conclave Aſſeſſorum*, dictum eſt, alterum עליית בית אבטינס, *Camera Domus Abbtines*. Vtrumque & nomine differt, & ſitu diſtat, ipſis etiam actionibus Pontificis, quibus deſtinatum, vere diverſum fuit. Ac prius quidem conclave פרהדרין nuncupatur, voce derivata a Graiorum Παρέδροις, quo expenſo, veriſſimum eſt, corrupte nonnunquam פלהדרין ſcribi. Exinde etiam perſpicuum fit, non ſatis commode vocem illam a Græcorum Προέδροις, *Præſidibus magiſtratus*, repeti, quod placet *Conſtantino l'Empereur*, *ad Middoth*, *V*, *3*, *P. V*, *Miſchn. Surenhuſ. p. 378*, qui tamen ad *Budæum*, interpretatione ſua præeuntem, ſe recipit. Conferatur R. *Dav. Cohen de Lara de Conven. vocab. Rabb. cum Græcis. v.* פרהדרין, qui conſimili ratione explicat. Cui tamen interpretationi communis adverſatur ſcriptio, quæ per puncta ſubiecta *Parhedrin*, non *Proedrin*, exhibet, &, ut aliis quampluſimis, ſic *Io. Buxtorfio*, commendatur, qui vocem per παρέδρυς reddit. *Lex. Ch. Talm. Rabb. col. 1804.* Πάρεδροι autem Græcis ſunt *Aſſeſſores*, quod cum ex pluribus Græcorum teſtimoniis liquet, tum inprimis cognoſcitur ex libro *Gregorii d'Arnaud*, quem *de Diis παρέδροις*, ſive *Aſſeſſoribus*, confecit, in quo conf. *Cap. II p. 4 ſeq. Cap. VIII p. 36 ſeq.* Παρέδρυς Græcorum,

quales

quales hic conſiderandi ſunt, ex *Polluce* & *Phrynicho* deſcribit *Robert. Sheringham ad Cod. Ioma p. 3,* eodemque in loco nomen Cameræ *Parhedrin* ab eo repetit tempore, quo Sacerdotes magni apud Hebræos mutati, eorumque bini, ad modum Aſſeſſorum illorum Græciæ, ſingulis annis a Rege conſtituti fuerunt. Quæ tamen cum a *Buxtorfio* ſe accepiſſe fateatur *Sheringham,* illius verba expendantur: *Ex quo ſacerdotium pecuniis fuit venale, mutarunt illud ſingulis duodecim menſibus, ſicut Aſſeſſores hi quoque mutati fuerunt ſingulis annis, & tunc vocarunt illud (conclave)* לשכת פרהדרין *Camera Aſſeſſorum.* Lex Chald. Talm. Rabb. *col. 1804.* Transfert igitur *Buxtorfius* vocem *Paredri, Aſſeſſores, Commiſſarii, Conſiliarii Regii, qui Regi aſſident.* Recte omnino, reique apprime convenienter.

IV. At diſcedendum iam ex hac Camera, & alia potius, cuius ratio habenda hic eſt, inveſtiganda. Hanc עלית בית אבטינס, *Cameram Domus Abtines,* Iudæi dictitant, de cuius vocis vi & origine non una exiſtit eruditorum ſententia. Quia enim ſuffitui conclave deſtinatum fuit, *Rob. Sheringham l. c. p. 15,* originem traxiſſe nomen, perhibet, a viro quodam huius nominis, iis olim præfecto, quibus ſuffitus conficiendi munus fuerit commiſſum. Eiusdem ſententiæ patronum egit *Buxtorfius Lex. Talm. p. 11,* ubi ſic ſcribit: אבטינס *nomen proprium viri celebris, ex cuius familia orti fuerunt artifices, periti conficiendi ſuffitus aromatici, qui vocatur* קטורת. Cui ſuffragatur etiam locus *Bartenoræ,* in *opus Miſchnicum* commentantis, quem idem excitat. Diſſident cum his, qui, neglecto

no-

nomine viri, vocem Græcam, *βοτάνη*, ad hanc rem advocare malunt. Quo referendus inprimis *l'Empereur ad Middoth L. I T. V Miſchn. Surenhuſ. p. 324.* Quæ etiam ſententia non incongrua videtur, cum, Græcorum vocabula Talmudiſtis egregie arriſiſſe, vulgo notum ſit, illudque vel ſola vox פרוזדרין iam ſatis comprobet. Præterea, Aleph, vel Olaph, proſtheticum Chaldæis Syrisque, quorum e ſermone voces plures Talmudiſtæ arceſſunt, receptum eſſe, copioſe declarari poſſet ex libro *Davidis Cohen de Lara*, ex *Buxtorfii Lex. Talmudico*, atque *Edm. Caſtelli Lex. Heptaglotto.* Cum denique *βοτάνη* Græcis *herbam* denotet; huic quidem cameræ eo rectius nomen convenit, quo certius conſtat, ſuffitum adyti ex *herbis* pluribus compoſitum fuiſſe. Dimitto ſententias has, quarum tamen ex utraque confici poſſe, apparet, *conclave Abhtines* fuiſſe locum, ſuffitui templi deſtinatum. Eo igitur ducebant Sacerdotem magnum, ſtato tempore, ללמדו חפינה, *ut docerent eum pugillationem*, ſive modum decerpendi ſuffitus, a Deo *Levitic. XVI, 12*, præſcriptum, ut Talmudici ſignificant, & ex his *l'Emperenr ad Middoth p. 324 ed. Surenhuſ.* In eo etiam poſtulabant iusiurandum, quod ad ſuffiendi ritum præcipue redibat, ut deinceps declarabo. Teſtantur de hoc uſu *Cameræ Abhtines* varia Talmudicorum teſtimonia, apud *Buxtorfium Lex. Talm. col. 12*, maxime verba R. *Nathan. in Avoth*, qui docet, præter menſam, lucernam, & propitiatorium, Romam delatam fuiſſe מכתשת של אבטינס, *Mortarium Abhtines*, hoc eſt, illud inſtrumentum ſanctuarii, quod in *Camera Abhtines* aſſervatum,

vatum, tundendis & conterendis ſuffimentis inſerviebat.

V. Sed differt etiam uterque locus ipſo *ſitu*. Non auſim tamen accurate definire locum Conclavis utriusque veriſſimum, de quo vel ipſos Hebræos non ſatis convenire inter ſe, certiſſime perſuaſus ſum. Videt hoc doctiſſimus *Sheringham*, eamque ob rem *p. 5 ad Ioma* ſcribit: *Si quis diſtinctum huius conclavis locum ſcire a me poſtulat, fruſtra id exſpectat, cum hoc ne ipſis quidem Gemariſtis notum erat.* Nihilo minus, duo ab Hebræis ſuppeditari nobis, adiicit, quorum unum eſt, quod *Domui Abhtines* obiecta e regione *Cameræ Parhedrin* fuerit, alterum, quod *Camera Parhedrin* proxima fuerit domui lotionis, cum utraque ſupra portam aquarum exſtructa. Loquitur R. *Papa* in quodam *Gemaræ* loco, quem profert idem *Sheringham*, de utroque conclavi, unumque in aquilone, alterum in meridie, ſitum indicat. Quo quidem ex loco, ſi ſeriei verborum inhærere velimus, facile colligi poſſet, qualisnam ſitus unicuique ſit aſſignandus. At ſtatim refert *Sheringham*, ipſos Gemariſtas in verbis ſequentibus in conſtituendo ſitu altercari, neque eundem ita definire, ut acquieſcere quis eorum in ſententia poſſit. *Domum* tamen *Abhtines* locum fuiſſe editum, vel ſolum nomen עליית confirmat, quo *cœnaculum, conclave excelſum, tabulatum ſuperius*, Græce ὑπερῷον vel ἀνώγεον, exprimitur, quibus vocabulis quin ſuperioris ædium loci notio inſit, nemo dubitat. Iuvet locus quidam *Bartenoræ ad Middoth l. 1*, qui *Conclave Abhtines & Nizoz* שתי עליות, *duo ta-*

bulata excelſa, dixit. Atque in eodem illo *conclavi domus Abhtines* iusiurandum fuit præſtitum a Pontifice, non in priori *Parhedrin*, ut ex ſuperioribus manifeſtum eſt. In *Camera* enim *Parhedrin* ſeptem quidem dierum intervallo uſque ad noctem ultimam commoratus eſt. In *domo* vero *Abhtines* noctem ultimam diei ſolenni iam accenſitam, præmiſſa iurisiurandi formula, transegit.

VI. Si quæratur de *perſonis*, quorum in conſpectu iuramenti verba pronuntianda, diſtincte iterum ut hic loquamur, antiquitatis Hebrææ monumenta expetunt. Adſunt Pontifici זקנים מזקני בית דין, *Seniores quidam ex Senioribus Iudicii*, ſpatio ſeptem dierum; ad veſperam uſque & noctem extremam. Sed, hac appetente, aſſiſtent ei זקני כהונה, *Seniores Sacerdotii*, qui & in *Conclave domus Abhtines* Pontificem introducunt, &, ipſa iuramenti formula recitata, ad fidem adigunt, in obeundo munere præſtandam. Quæ pariter atque priora *Codicis Ioma* conſenſu firmantur.

VII. Hæc præmittenda fuerunt, ſed paucis & in compendio, ut, quæ ad ipſum iuramentum redeunt, concipi accuratius diſtinctiusve poſſint. Explanatius multo de re non iniucunda diſſeri poterat. Plura tamen qui efflagitat, repetita vice excutiat integrum *Caput primum Codicis Ioma*, cum eiusque textu *Miſchnico* & Commentarios *Bartenoræ*, *Maimonidis*, & *Iom Tobh*, contendat, & dilucidationem uberiorem *Gemaræ*, tam *Babylonicæ*, quam *Hieroſolymitanæ*. Ex noſtris commendatione digniſſimæ ſunt breves quidem, ſed non ineruditæ, Gloſſæ *Roberti Sheringhami* in *Cod. Ioma*, alii-

aliique viri docti, quotquot de *die expiationis* exponunt, quorum neminem præparationem ſicco plane pede tranſiiſſe, recordor.

VIII. Subiicienda nunc eſt formula ipſa, quam, his quidem conceptam verbis, Talmudici *Cod. Ioma Cap. I n. 5* nobis tradiderunt: אישי כהן גדול אנו שלוחי בית דין ואתה שלוחינו ושליח בית דין משביעין אנו עליך במי ששיכן את שמו בבית הזה שלא תשנא דבר מכל מה שאמרנו לך. Diſſentiunt in transferendis verbis his viri doctiſſimi, duasque ſcinduntur in partes. Eſt enim una interpretatio: *Domine Pontifex Maxime, nos ſumus nuntii Synedrii, tu es noſter & Synedrii nuntius, te* adiuramus *per eum, qui fecit nomen ſuum habitare in æde hac, ut nihil mutes in iis, quæ tibi diximus.* Altera: *Nos viri ſumus ſacerdotis ſummi, legati Synedrii, & legatio noſtra ac legatio Synedrii,* (hoc vult,) *ut* adiuremus *te per illum, cuius nomen habitat in æde hac, ne mutes aliquid in quacunque re, de qua locuti tecum ſumus.* Prima *Ioanni Lightfooto de Miniſt. Templ. Hieroſ. Cap. XV Oper. Tom. I pag. 745, Ioanni d'Outrein Comm. in Ep. ad Hebr. III, 1, Rob. Sheringhamo ad Cod. Ioma p. 14, Guil. Surenhuſio* in *Opere Miſchnico Tom. II pag. 209, Camp. Vitringæ de Synag. vet. Lib. III P. II Cap. II pag. 904, Io. Braunio Sel. ſacr. Lib. III Cap. IV p. 333, Ludovico de Compiegne de Veil* in *Verſ. Cod. Maimon. de Die Expiat. I, 7, Io. Lundio* in *Iüdiſch. Heiligth. Lib. V Cap. XVIII p. 1029,* & ex recentioribus Celeb. *Chriſt. Ludov. Schlichtero* in *Decimis ſacris Obſ. XLVIII p. 517,* arriſit. Alteram ſuam fecerunt cum R. *Iom Tobh,* in notis

ad Cod. Ioma, inprimis *Theod. Daſſovius* in *Diſſ. de Ingreſſu Pont. Max. in Sanct. Sanctor. §. XV p. 10*, & Summe Rever. *Sal. Deylingius Obſerv. Sacr. P. II p. 192.* In qua etiam interpretatione ſuppeditanda ita procedunt Viri illi, ut quidam eorum ſimplicem duntaxat verſionem, velut omni exceptione liberam, & ſine ἐπικρίσει ſubnexa, exhibeant, alii, eandem præſidio munitam, doceant, alteri anteferant, ſuæque ſententiæ addictos laudibus extollant. Nec deſunt iis, quæ in altera interpretatione carpant, in altera probent. *Daſſovio*, in verſione *Lightfooti*, cui plurimi calculum adiiciunt, adverſatur, quod Pontifex Max. ſalutetur *Legatus* non tantum Synedrii totius, ſed & eorum, qui nomine Synedrii miſſi fuerant. At, nulla ratione quidquam horum dignitati convenire Pontificis, ſubiicit. E contrario conſtare ſibi docet ſenſum verſionis ſuæ, cui iam *Iom Tóbh* præiverit, qui legatorum ſententiam his verbis comprehendit: *Hæc eſt mens noſtra & mens Synedrii.* Quæ excerpit ex *Daſſovio*, atque approbat, Ven. *Deylingius*. At Cel. *Schlichterus*, qui a partibus ſtat *Lightfooti*, ac *Daſſovianam* interpretationem repudiat, non ſolum, *Legati* nomen honori Pontificali haud obſtare, tum ex loco *Philippi Aquinatis*, tum ex more, vel ipſos Reges in Feſto Tabernaculorum Legatorum voce ſalutandi, evincit, ſed præterea duo urget, quorum unum eſt, illam loquendi formulam, qua uſus eſt *Daſſovius*, *nos ſumus viri Sacerdotis ſummi*, *ſive Sacerdotes*, vel nunquam, vel rarius, legi in monumentis Iudaicis, alterum, allocutionem illam, אישי כהן גדול, *Domine Pontifex Maxi-*

Maxime, quam mutandam duxit *Daſſovius*, frequentiorem apud *Maimonidem* alioſque eſſe. Moveor ego virtutibus variis, quas in interpretatione *Lightfooti* deprehendo, maxime vero, quod, vocem ויאתה, quæ שלוחינו præcedit, a *Daſſovio* plane præteriri, a *Lightfooto* vero, ſenſu ſponte fluente, exprimi, video, ut eidem ſubſcribam, tot virorum doctorum auctoritate munitæ. Qua tamen in re copioſioribus agere verbis nolim.

IX. Diſſident, ut oſtenſum a me fuit, viri magni in prioribus duntaxat formulæ huius verbis, ac diſſenſus hic omnis non tangit illam rem, cuius cauſa iuramentum petebatur. Cum igitur hic nulla detur altercatio, facili negotio ipſe iuramenti *ſenſus* indagari poterit. Huius alter *generalis* eſt, *ſpecialis* alter. *Generatim* eo adigitur Pontifex, ut polliceatur, velle ſe, omni virium contentione, omnique circumſpectione, eo anniti, ut in magno illo Expiatoris ſacro exacte, atque ad præſcriptum legis divinæ, & placita magiſtrorum gentis, per manus tradita, ea expediat omnia, quæcunque ſanctiſſimi muneris ratione ſibi videat iniuncta. Huc tendebat ſimul ipſa illa ſegregatio per ſeptem dies, in qua conſtitutus & meditari hæc omnia debebat, &, quæ peragenda, crebrius exercere. Ideo adiungebantur ei Seniores Synedrii, qui & adhortabantur eum ad lectionem legis, & ei prælegebant, perpetuisque colloquiis, ea de re inſtitutis, eum erudiebant. Ob eandem denique cauſam adducebantur victimæ, & alia, quæ ad ſacra diei munera apparanda erant. Hæc intelliguntur ex verbis *Cod. Ioma*, tam diſtincte

conceptis, ut ſingulorum, quæ in eo ſeparationis intervallo obſervanda Pontifici fuerant, ſeriem, accurate confectam, oculis ſubiiciant.

X. Ab hoc tamen generaliori formulæ ſenſu differt alter, isque *ſpecialis*, qui ad animum revocabat Pontifici veram rationem *ſuffitus*, ad iuſſum divinum incendendi. De hoc ſuffitu *Exod. XXX, 34*, Legislator ſummus ita præcipit, ut componi eundem iubeat ex נטף, *ſtacte*, vel *gutta*, שחלת, *onyche*, חלבנה, *galbano aromatico*, & לבונה. זכה, *thure puro*. Quibus, a Deo ſignificatis, plura ſuperaddunt Iudæi, videlicet *myrrham*, *caſiam*, *ſpicam nardi*, *crocum*, *coſtum*, *calamum aromaticum*, *cinnamomum*, præterea & *ambram Iordanis*, itemque *bitumen Sodomiticum*. Habentur hæc in *Codic. Kerithuth* & *Ioma*, ex quibus ea de re *Maimonides* in *Hilc. Kele Hammikdaſch* diſputat, cuius locum ampliorem dat *Io. Azdr. Danzius de Funct. Pont. Max. in Adyto anniverſ. p. 77, 78.* Cui adiungendus eſt *Hadr. Relandus Antiq. Sacr. Hebr. p. 19.* Omnes hæ ſpecies, ſuffitum conſtituentes, fricabantur & conterebantur in mortario, ut, in pulverem redactæ, uſui Pontificis, populum expiantis, inſervirent. Non ediſſeram ea, quæ de hoc ſuffitu fuſius atque enucleatius diſputare poteram, quia campum hunc, latius patentem, in præſenti ingredi negotio, minus conſultum duco. Velim potius, ut conferantur *Io. Braunius Select. ſacror. Lib. II, V, VI, p. 208 ſeq. 225 ſeq. Relandus Ant. ſacr.* variis locis, *Danzius l. c. p. 44 ſeq. 77 ſeq.* alii. Hoc tamen præteriri a me, ob argumenti, quod tracto, rationem, commode nequit, iusiurandi pontificalis

calis apud Hebræos formulam eam complexam eſſe Pontificis ſtipulationem, quod velit ſuffiendi munere ita fungi, ut ſolius Dei mandato obtemperet, ſtatutisque maiorum inhæreat, a partibus autem *Sadducæorum* longiſſime diſcedat. Vera autem ſuffiendi ratio hæc erat, ut Pontifex Max. & cum acerra, thure referta, quam כף Hebræi vocant, & cum thuribulo, prunis repleto, quod Hebræis מחתה, Græcis πυρεῖον & θυμιατήριον & λιβανωτὸν, dicitur, in Adytum intraret, in eoque demum ſuffimenta thuribulo imponeret. Ibat igitur per ſanctum Pontifex usque ad velum hoc modo, ut dextra thuribulum cum prunis, ſiniſtra acerram cum thure & ſuffitu, caperet. Eodem etiam, poſt velum allevatum, intrabat Adytum. Gradiebatur ad propitiatorium, ac tum demum thuribulo, intra duos vectes collocato, ſuffitum iniiciebat, ut, a prunis incenſus, adytum fragrantia repleret. Vide *Maimon. Abhod. Iom. Hakkipp. IV, 1.* Commorabatur Pontifex in Adyto, donec per omnes partes odor ſparſus eſſet, deinceps diſcedebat, *Maimon. l. c.* Iurabat denuo, certo tempore interiecto, & thuribulum ex adyto in lobum ſuum deportabat, officio ſuo rite recteque defunctus.

XI. Ab hoc ſuffitus incendendi more, a Deo ſancte præſcripto, longe alieni erant *Sadducæi*, propterea, quod, antequam velum removerent, adyto oppanſum, locumque ſanctiſſimum ingreſſi eſſent, ſuffimenta thuribulo iniiciebant. Qua quidem re divini Legislatoris verbis manifeſto adverſabantur. Provocant quid[illegible] Sadducæi, ut cauſſæ

ſuæ aliquod afferant præſidium, ad *Levit. XVI, 2,* eoque in loco ענן, *nubem*, ad *ſuffimentum* detorquent. Vid. *Deylingii Obſerv. ſacr. T. II p. 191.* Sed, quemadmodum ab eiusmodi verborum Dei interpretatione, quæ profecto hoc in loco a difficultate immunis non eſt, unusquisque bonus abhorret, ſic obſtat continuo oraculum clariſſimum *Levit. XVI, 13:* ונתן את הקטורת. על האש לפני יהוה, *& imponet ſuffimentum ſuper ignem coram facie Domini.* Perverſo hoc adolendi more, qui *Sadducæorum* iniungebatur inſtitutis, magna ſuffimentorum pars diſſipabatur extra velum adyti, ac diſſipata exhalabat, cuius fragrantia ſoli adyto, veræ divinæ maieſtatis ſedi, ac domicilio, deſtinabatur. Quem tamen ſuffiendi modum apud *Sadducæos* uſu fuiſſe receptum, ex iis cognoſcere licet, quæ apud *Maimonidem Comment. in Ioma V, 1,* eiusdemque in *Hilc. Iom. Hakkipp. I,* 7, leguntur. Exſtat etiam locus in *Gemara Hieroſolymitana*, eodem ſpectans, quem excuti velim apud *Sheringhamum ad Ioma p. 16.* Verba ſunt: משביעין אותו מפני הבייתוסין שהיו אומ' יקטיר מחוץ ויכניס בפני', *Adiurabant eum propter Baithoſæos, dicentes: Suffiet extra, & intrabit adytum.*

XII. Huius *Sadducæorum*, in expiatione anniverſaria, conſuetudinis reſpectum haberi in Adiuratione Pontificis, ut credam, non una me commovet ratio. Præſtitum iuramentum illud fuiſſe in *conclavi domus Abhtines*, declaratum eſt in ſuperioribus. Ibi autem *ſuffitus* conficiebatur, ibi aſſervabatur, exinde decerpebatur, quantum illius, & quocunque tempore, neceſſe erat, in *pugillatione ſuf-*

ſuffitus, ut antea fuit monitum. Nec ſine iuſta cauſa minus legitimum metuebant in Pontificibus ſuffiendi ritum, cum per traditionem accepiſſent, nonnullos eorum, miniſterio non ſatis circumſpecte fungentes, ipſo in adyto fuiſſe exſtinctos, maxime, quod aliquid mutarant in *ſuffitu*, quod fieri non decebat. Locus evidentiſſimus eſt *Maimonidis ad Cod. Ioma I, 5:* הרבה כהנים גדולים היו מתים בקדש קדשים אם לא היו ראויים או אם ישנה דבר במעשה הקטורת שלא תראה, *Multi Pontifices exſtincti ſunt in ſanctiſſimo, ſi aut minus idonei fuerunt, aut mutarunt quidquam in ſuffitu, quod fieri non debebat.* Certe eodem in loco, in quo de vera ſuffitus incendendi ratione Legislator præcipit, verba addit: ולא ימות, *ne moriatur.* Vid. *Lev. XVI, 13.* Quæ ad ſuffitum etiam vere reſpicere, R. *Salomo* indicat, ubi in oraculum illud commentatur. Quod cum haud ignorarent Hebræi, factum eſt, ut ſemper metu quodam percellerentur, ubi expiandus erat populus per ingreſſum Pontificis in adytum. Hanc ob cauſam, ut brevibus verbis conciperet preces piaculares, iniungebant, ne ſuſpicio ſubnaſceretur apud populum, in exteriori loco exſpectantem, de Pontifice, a Deo forſan exſtincto, ob muneris partes neglectas. לא היה מאריך בתפילתו שלא להבעית את ישראל, *Non longe protraxit precationem, ne metum incuteret Iſraeli, Ioma V, 1.* Ab hoc metu ut aliquo modo liberaretur populus, hoc iuriſiurandi ritu Hebræi efficere volebant. Succedit adhuc auctoritas tum Iudæorum, tum Chriſtianorum, qui, hoc iuramentum ad *ſuffitum* pertinuiſſe, rite adolendum, idemque *Saddu-*

caeorum hæreſi, qua inſici poterant nonnulli Pontificum, obicem poſuiſſe, declarant. Ex Iudæis vid. *Gemara Hieroſ.* apud *Sheringhamum ad Ioma p. 16, Bartenora ad Ioma I, 5, Maimonides Hilc. Iom. Hakkipp. I, 7,* idem *ad Cod. Miſchn. Ioma I, 5*; ex noſtris *Relandus Ant. Sacr. Hebr. p. 237, Braunius de Veſtitu ſacerd. Hebr. Lib. II Cap. 26 pag. 697,* idem in *Select. Sacr. Lib. III Cap. 4 pag. 335,* Summe Rever. *Deylingius Obſ. ſacr. P. II p. 191, Danzius de Funct. Pontif. in Adyto p. 46, 65 ſeq.*

XIII. Non tamen acquieſcendum eſt in his, quæ breviter hactenus expoſita ſunt, ſed potius demonſtrandum, metum illum Iudæorum non ſupervacaneum exiſtimandum eſſe, aut præpoſterum, ſed a Pontificibus ipſis excitatum. Fuiſſe enim olim uno plures in numero *Pontificum*, qui, a placitis deſciſcentes Phariſæorum, *Sadducaeorum* ſe adiunxerint familiæ, ex teſtimoniis gentis huius domeſticis, fideque haud deſtitutis, declarari poteſt. Satis profecto evidentia ſunt nonnulla *Flavii*, quem hic excutere pluribus nolim, teſtimonia, qui refert, *praecipuos* ætatis ſuæ *viros*, eosdemque *locupletes*, & *characteribus haud vulgaribus inſignitos*, a partibus *Sadducaeorum* ſtetiſſe. Conf. Celeberrimi *Conr. Ikenii Part. II Diſp. poſter. de Temp. celebratae a Serv. Caenae Paſch. p. 13.* Sadducæorum plures ipſius olim *Synedrii magni* Aſſeſſores exſtitiſſe, ex *Act. XXIII, 6,* diſcimus. Idemque ex Talmude exemplo quodam declarat *Iac. Triglandius de Secta Karaeor. Cap. VI p. 69.* Cum enim Phariſæi conſueſſent filiæ Sacerdotis, in ſcortatione de-

deprehenſæ, combuſtionem, lege divina ſtatutam, ita inſtituere, ut plumbum fervens in os immitterent, quæri poterat, qui ſcribatur *Cod. Sanhedrin f. 52*, filiam Sacerdotis, iuncis ac ſarmentorum faſciculis cinctam, ac ſertum piceum in capite geſtantem, eductam fuiſſe, ut igne ipſo comburatur. Sed facilis eſt reſponſio, quæ & R. *Ioſepho* ſuccurrit, rem illam ex ſententia *Sadducæorum* tum fuiſſe actam. Iisdem viris, dignitate ſplendentibus, *ſummi* etiam *Pontifices* hoc maiori iure accenſendi erunt, quo inſigniori dignitatis charactere ceteris præſtabant. Horum enim Pontificalem honorem neque ipſa regalis dignitas olim reſpuit, quod variorum Pontificum exempla evincunt. Ex iis, ſi quidam producendi ſint, qui doctrinæ *Sadducæorum* labe ſe contaminarunt, erit forſan *Caiphas* hic nominandus, propterea quod *Act. V*, 17, comites illius Sadducæi dicuntur, quibus ſe non adiunxiſſe illum, exiſtimari poteſt, niſi de eorum placitis mitius ſenſiſſet, eaque approbaſſet. Sic pronuntiandum erit, ſi *Baylii* in *Diction. hiſtorique & critique p. 2640*, *Bynæi Tom. I de Morte Chriſti p. 118*, *Scaligeri Elench. Trihæreſ. Serar. Cap. XVI p. 417*, *Reimmanni*, qui *Baylium* laudat, & probat, *Introd. in Theol. Iudaicam p. 596*, aliorumque nonnullorum, ſtare auctoritate velimus, qui *Caiphæ Sadducæorum* hæreſin tribuunt, ſuæque ſententiæ baſin ex citato *Actuum* loco petunt. Alia tamen ex iisdem *Actibus* oracula, in quibus tam Phariſæi, quam Sadducæi, *Caiphæ* aſſiſtunt, memini produci ab aliis, ob eamque cauſam a *Caipha* ſuſpicionem illam abſtergi. Ex his *Scaligero* ſe oppoſuit *Serarius* in

Mi-

Minerval. Lib. IV Cap. XIV, huicque *Serario* ipſe accedit *Wolfius* in *Curis ad Act. Apoſtol. Cap. V.*

XIV. Ut fidem faciam dictis, prodeant iam in conſpectum duo *Pontifices* Hebræorum, *Sadducæorum* ſacris & conſuetudinibus addicti, quorum alter eſt *Ioannes Hyrcanus*, alter *Ananus*. Uterque magna nominis celebritate in hiſtoria gentis ſuæ claruit. Ac prior quidem illorum, & Pontificis Maximi dignitate inſignitus, & auctoritate regali, ex familia *Haſmonæorum* oriundus, Græcoque nomine *Hyrcanus*, Hebræo *Iochanan ben Simeon*, dictus, cum Pontificatu per annos XL functus eſſet, *Sadducæorum* ſe fidei addixit, atque ad novam hanc fidei profeſſionem ab amico ſuo, *Ionathane*, qui e Sadducæorum cœtu erat, inſtigatus fuit. Teſtem rei huius habemus & R. *Mardochæum*, e familia Karaitarum, cuius librum B. *Wolfius* divulgavit, in quo vid. *Cap. V p. 35*, & *Abrahamum ben David Hallevi* in *Libro Kabbalæ*, ut ſignificat in nota ad cit. *Mardochæum Wolfius p. 36.* Eiusdem Pontificis, in doctrina lapſi, meminerunt ex noſtris *Iac. Triglandius de Secta Karæor. Cap. V p. 200 ſeq.* & *Nicol. Serarius Trihæreſ. II, 27, p. 100, 101*, & pluribus verbis *Io. Braunius* de *Veſtitu Sacerd. Hebr. Lib. II Cap. XXVI p. 697 ed. poſter.*, ubi docte de eodem diſputat adverſus *Bernardum*, Anglum. Quibus omnibus ſatis idoneis teſtibus ſi fidem habere quis nolit, legat *Ioſephum* duplicem, & *Flavium*, & *Gorionidem*, illum *Lib. XIII Antiq. Iud. Cap. X p. 587, 588, ed. Hudſon.* hunc *Lib. IV Cap. VI p. 273, 274, ed. Breithaupt.* & ſatis erit teſtimoniorum. Alter Pontificum, Sadducæorum fide

mo-

moribusque contaminatorum, *Ananus*, *Anani* Pontificis filius fuit, qui a *Nicephoro Lib. II Cap. IV* cum *Anania*, cuius mandato *Paulus* colaphis cæſus, confunditur, emendato tamen a viro præclaræ eruditionis, *Henr. Valeſio*, ad *Euſeb. H. E. p.* 41 qui ſeriem quandam Pontificum usque ad *Ananum* producit, ab eodem *Nicephoro* turbatam. De hoc Pontifice cum plura diſſerere nolim, ſolum commendo *Flavium Antiq. Iud. Lib. XX Cap. VIII ed. Hudſon. T. II p. 896.* Eadem *Flavii* verba leguntur apud *Euſebium*, qui hanc hiſtoriam ex *Ioſepho* excerpit, *Hiſtor. Eccleſ. Lib. II Cap. XXIII p. 65, 66.* Non opus eſt, ut alia, ad eandem rem comprobandam, operoſe conquiram.

XV. Illuſtrationi eorum, quæ hactenus dicta ſunt, hoc inſervit, quod ex libris Iudæorum conſtet, *Sadducæos* in ritu etiam alio abhorruiſſe a Phariſæorum moribus, ſed ob eandem etiam rem eorum in ſe impetum provocaſſe. Cum in ſacro *Scenopegiæ* ſacrificium aquæ, vino miſceri ſolitæ, quod נסוך המים, *Libationem Aquæ*, vocabant, more inſtitutoque Phariſæorum peragendum eſſet, diſcedebant ab hoc ritu *Sadducæi*. Quod tamen aliquando tantum vulgi excitavit odium, ut, cum Pontifex, Sadducæorum partibus addictus, aquam, vel vinum, loco libationis, ad pedes effunderet, omnis in eum incurreret congregatio, & באתרוגים, *malis citreis*, graviter peteret. Legitur hoc in *Gemara Hieroſol. Cod. Ioma*, unde refert Cel. *Ikenius P. II Diſſ. poſter. de Temp. celebr. a Chriſto Cœnæ Paſch. p.* 14. Sed ex *Succa* hac de re loquitur *Lightfootus de Miniſt. Templi Hieroſ. Oper. T. I p.* 749. Eundem

dem locum ex *Succa* excitat, & cum alio *Moſis* Ægyptii, ad *Cod. Succa*, coniungit *Triglandus de Secta Karaeor. Cap. IV p. 33.* Conf. etiam erudita Diſſ. Summe Rever. *Ikenii de Libatione Aquae in Feſto Tabernac. a Iudaeis Rabbanitis ſub Templo II demum introducta*, quae inſerta eſt *Symbolis Literar. Bremenſ. T. I P. II p. 160 ſeq.*

XVI. Admirandum autem videtur, qui ſcribere poſſit *Io. Clericus*, Sadducaeos in cultu externo non fuiſſe alienos a vulgo Iudaeorum, quandoquidem neque Pontifices, doctrina Sadducaeorum infectos, Iudaei reſpuant. *Ad religionis externos actus*, inquit, *quod attinet, videntur Sadducaei, qui Iudaei erant, nihil a vulgo Iudaeorum diſcrepaſſe, & ſacra Hieroſolymae, inſtar ceterorum, feciſſe. Certe nihil illis, hanc in rem, a Iudaeis obiicitur, & fuere Pontifices Maximi, qui Sadducaei erant, ut ſatis liquet, ex poſtremis Antiquitatum Iudaicarum libris. Hiſtor. Ecclesſ. Sec. I & II Proleg. Sect. I Cap. III p. 14.* Quae profecto argumentatio infeliciter ad modum ſuccedit. Quod enim in cultu externo vere diſceſſerint a Phariſaeis Sadducaei, non ſolum diverſa *ſuffiendi* ratio docet, ſed alius etiam ritus, in feſto *Succoth* uſu receptus, de quo dixi. Deinde, etiamſi, veros Pontifices fuiſſe, largiar, & eos, qui a partibus Sadducaeorum ſtabant, non tamen exinde argumentandum videtur ad conſenſum populi, vel vulgi, ſed potius primatum, quos a Sadducaeis alienos non fuiſſe, *Flavius* teſtatur. Et quid, ſi dicam, eos, poſtquam ad Pontificatus honores evecti fuerant, ad Sadducaeos defeciſſe? Ob dem tamen factum maximum eos incurriſſe vulgi

odium,

odium, & iuramentum, & alia, manifeſtum reddunt.

XVII. Aliena ab hoc loco haudquaquam videtur controverſia illa, quæ Viro Celeberrimo, *Conrado Ikenio*, cum Max. Rever. *Gottl. Frid. Gudio* haud ita pridem interceſſit. Advocaverat Cel. *Ikenius* ad confirmandam ſaniorem, de Agno, in Paſchate θανασίμῳ a Chriſto vere conſumto, ſententiam ipſam etiam *Sadducæorum in gente Iudaica auctoritatem*, haud exiguam, minusque obſcuram, *P. II Diſp. poſter. ſæpius alleg. p. 12 ſeq.* Ad quam tamen, ex inſtituto indagandam, accingebat ſe Doctiſſ. *Gudius* in *Diſſ. de Sadducæorum in Iudaica gente auctoritate*, inſerta *Miſcellaneis* his *Lipſ. Vol. II p. 13 ſeq.* Quanquam ego, infirmitate haud laborare, perſuaſus ſum, quæ Summe Rev. *Ikenius* ex teſtimoniis *Flavii*, ex eoque Sadducæorum honore, quo tum ut Aſſeſſores Synedrii magni, tum ut ſummi Sacerdotes, ſplenduerunt, huc revocat; nolim tamen diſputationi huic me immiſcere doctiſſimæ, tum quod dubium non eſt, quin Cel. *Ikenius* ſuam ipſe ſententiam valide ſit propugnaturus, cuius rei indicium nuper iam fecit *Symbol. Liter. Brem. T. I P. II p. 190*, tum quod tam ſpatioſis limitibus circumſcriptum me haud ſentio, ut ſingula, quæ hic expendenda ſunt, curatius evolvi & animo agitari poſſint. Nihilo tamen ſecius diffiteri nequeo, in iis, quæ a me diſputanda fuerunt, nonnulla contineri, quæ certo reſpectu ad utramque ſententiam muniendam accommodari poſſint. Quæ indicarem, niſi id, de quo dixi, obſtaret.

XVIII.

XVIII. Ut redeam ad locum Miſchnicum, ſatis tamen forſan, ut credo, indagatum, non indignum notatu videtur, quod *Miſchna* refert, iuramento præſtito, & Pontificem, & Seniores Sacerdotii, *fuſis* diſceſſiſſe *lachrymis*, illum quidem, quod ſuſpicionem hæreſeos Sadducæorum apud ſuos incurriſſe viſus ſit, hi, quod moribus ſuis atque inſtitutis ad hoc iuramentum petendum compulſi fuerint, quo eundem leviori minimum ſuſpicionis macula conſpergere videbantur. Sic recte gloſſatur *Sheringham ad Ioma p. 16*, qui tamen eodem in loco ſignificat, ſe hæc ex *Gemara Hieroſolymitana* hauſiſſe. Ab huius ſententia paullo alienior eſt *Io. Braunius*, qui, Sacerdotes *infirmitatem Pontificis & humanam imbecillitatem* deploraſſe, cenſet, qua adigi præter ſpem eo potuerit, ut Sadducæorum erroribus occuparetur. *Lachrymati ſunt ob infirmitatem humanam, cum omnium hominum, tum Summi Pontificis*, *Select. Sacr. Lib. III Cap. IV p. 334*. Quod etiam non inepte dictum. Lex enim conſtituit Ἀρχιερεῖς, ἔχοντας ἀσθένειαν, *Hebr. VII, 28*. Omnisque Ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων περίκειται ἀσθένειαν, *Hebr. V, 2*.

XIX. Hactenus de Adiuratione Pontificis Hebræorum Maximi, ante expiationem anniverſariam in Domo Abhtines facta. Statutum iam erat apud animum, ſenſum oraculi cuiusdam *Paulini*, quo Chriſtum Ἀρχιερέα πιςὸν exhibet, ex eadem illuſtrare Hebræorum conſuetudine, quod tamen propoſitum, limites inſtituti præſentis excedens, propediem forſan exequendi locus erit.

IV.
IOANN. CHRISTOPH. HARENBERGII
SVPPLEMENTVM
IN
HADRIANI RELANDI RECENSIONEM VRBIVM ET VICORVM PALAESTINAE.

Perſtabit ſemper, honorificumque apparebit eruditæ civitati, *Hadriani Relandi* nomen, quippe qui divino & præcoci prorſus fuit ingenio, iudicio haud diſpari, memoria incomparabili, breviſſimumque vitæ ſuæ tempus tam pulchre & glorioſe impendit, ut & diſcipulos, & libros, a ſeſe concinnatos, reliquerit laudatiſſimos. Præcipue is exegit monumentum ære perennius laboribus illis, quos operi de Palæſtina exſtructo conſecravit. Ut vero imbecillitas humana haud permittit, ut liber ullus, inſtinctu mere humano conſcriptus, illico ſit ab omni labecula vacuus & immunis, & uſquequaque omnibus numeris abſolutus, quamprimum in lucem exierit; ita etiam Palæſtina *Relandi* paſſim poteſt & emendari, & ſuppleri. Nec tamen facultatem illam emendandi ſibi facile quisquam comparaſſet, niſi præiviſſet laborem maximum Auctor, & potiſſima ex parte viam reddidiſſet planam atque expeditam. Ego certe, quoad longiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, & iuventutis memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, *Relandum* video mihi principem

& ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam, rationem Geographiæ ſacræ exſtitiſſe. Quodſi hæc notitia, huius exemplo præceptisque conformata, nonnullis aliquando Codicis ſacri locis luci & faciliori intelligentiæ fuit; a quo id accepimus, quo difficiliores veterum ſcriptorum ſententias illuſtrare nonnunquam poſſumus, huic profecto ipſi, quantum eſt ſitum in nobis, & emendationem, & ſupplementum, afferre debemus. *Ioannes Matthias Haſius* b. m. in Mappis geographicis *Relandi* nonnihil deſideravit. Candide, quid ſibi minus in eis probetur, ita expoſuit (a): *Geographicæ rationes non patiuntur, ut regio aliqua ſine vicinarum collatione deſcribatur. Ita Palæſtina ſine Ægypti & Syriæ deſcriptione ſimul facta exhiberi non poteſt. Quarum ſitum & habitudinem ad illam cum Relandus examinare neglexerit; factum eſt hinc inter alia, ut ductus litoris, quod a Ioppe ad Ægyptum uſque protenditur, ſitum habeat in meridiem directe procurrentem, quod contra naturam eſt, nec cum diſtantiis, quæ ex veteribus tabulis & itinerariis, aut longitudinibus & latitudinibus geographicis, habentur, nec cum recentioribus obſervationibus de Alexandria & Hieroſolymæ longitudine ac latitudine, conciliari poteſt. Relandus*, Iordanem fluvium ex unico fonte oriri, exiſtimavit. Secus autem ſenſit, ac vulgarem opinionem, de fonte gemino pervagatam, revocare ſtatuit Cel. *Chriſtophorus Wollius (b)*. Situm, quem *Relandus* tribuit oppido Engedi,

(a) In *Regni Davidici & Salomonæi Deſcriptione geographica p. 4.*

(b) In *Diſſ. II de loco Dan ad Gen. XIV, 14, § XV, p. 190 ſeq.*

gedi, evertit, verumque locum reſtituit, *Ieremias Philadelphus* (c). Timidus fuit paſſim *Relandus*, nec auſus fuit proferre coniecturas. Mare, quod Iſraelidæ, Ægypto egreſſi, emenſi fuerunt, pro ſinus Heroonpolitici, marisque ideo Arabici, parte reputavit. Flumen, quo terra Iſraelidis attributa diviſa fuit ab Ægypto, finxit potius poſt alios, quam demonſtravit. Fines Palæſtinæ ſeptentrionales definire haud fuit auſus, ac fluvium, quo ipſa verſus ſeptentriones terminatur, appellavit Euphraten. Oppidum *Chamath*, ſecum ipſe diſſidens, modo Emeſam, Oronti adiectam, credidit *p. 317*, modo exiſtimavit, deſignari locum, non longule a finibus terræ Iſraeliticæ disiunctum, *p. 121*. Ipſe ſibi perſuaſit, duplicem exſtitiſſe locum Kadeſch in finibus Iudææ auſtralibus, ac Idumæam regionem ad ſinum usque Elaniticum, maris rubri partem, patuiſſe. Diſſeruit *Lib. I Cap. 11* de Ægypto, nec tamen ſitum terræ Goſchen exquiſivit, omiſitque dicere de oppidis Zoan, Ramſes, Pi-beſet, On, Pitom, Tachpanhhes, Migdal, ſeu Magdolo, Schur, Sin, Pathros, Noph, ſeu Onuphi, Memphi, ſeu Moph, No-Ammon, ſeu Ammon-No, Rahhab, Ir-hahheres, Kir, Schoë, Hhanes, de mari, quod a turbine cognominatur, de Pi-hahhiroth, atque de aliis locis Ægypti, quorum in ſacris literis iniicitur mentio. Intereſt eorum, qui Palæſtinam propius perluſtrare cupiunt, Ægyptum, Syriam, Arabiam, Iſraelidis quondam domicilia præbentem, penitus cognoſcere, quoad eius fieri poteſt, ne

(c) In *Biblioth. Brem. Cl. 8 Faſc. 1 §. 17 p. 14 ſeq.*

ipſi hæſitent in hiſtoriæ Iudaicæ monumentis, ſive ea ſint ſacra, ſive ſint profana. Cum de regione Edom expoſuit *Relandus*, nonnihil omiſit, quod operæ pretium fuerit attuliſſe. Idem ea, quæ a vero ſunt aliena, inibi immiſcuit. Omiſit dicere, Idumæam fuiſſe partem terræ, ſeu regionis, Utz, *Thren. IV, 21*, atque in hac patriam *Iobi* exſtitiſſe. Ipſe ſibi perſuaſit, Idumæam ſpectaſſe ac pertinuiſſe ad ſinum usque Arabicum ævo *Moſis*, *p. 67*. Cur vero *Moſes*, ex regione Sinaitica ad Kadeſch usque profectus, nuspiam terram Eſavitarum attigit? Loca Ezeongeber & Elath ponit ad ſinum Elaniticum, maris, ſeu ſinus, Arabici partem. At Ezeongeber illud, quod in hiſtoria *Moſaica* commemoratur, prope abfuit a Kadeſcha & monte Hor, haud procul ſitum a termino tribus Iudæ auſtrali. Ni *Euſebius* congrueret pronuntiato noſtro, ad unicum provocaremus *Moſen Num. XXXIII, 36.* Ævo *Moſis* prope locum Ezeongeber ſitum fuit quoddam Elath *Devt. II, 8;* hoc autem *Relandus* credidit haud differre ab urbe Elath, cuius fit mentio *2 Par. VIII, 17*, ratus, in poſteriori hoc loco regionem, quæ vocatur אֶרֶץ אֱדוֹם, eſſe *Idumæam*. At hic *terra rubra*, ſeu *Phœnice*, (*Φοινικη*) ſignificatur, ex cuius littore *Hiramus* & *Salomo* naves iuſſerunt ſolvi, in mari medio commercia exercituras. Ezeongeber, id eſt, *domicilium galli*, exſtat in littore Phœnicio, a Græcis dictum *Ornithonpolis*, ſeu *Ornithopolis*, a Rabbinis appellatum *Tarnegola*. Exſtat ibidem urbs *Elais*, ſeu *Elath*. Ex quo perſpicitur, Ezeongeber aliud exſtitiſſe inter Tyrum & Sidona; Elath aliud exſtitiſſe pro-

pe

pe idem Kadeſch, aliud obvium fuiſſe ad littus Phœnicium. Hæret *Relandus* adhuc in pervulgata patrum opinione, qui ſibi perſuaſerant, Iſraelidas denuo a monte Hor proceſſiſſe ad littus Elanitici ſinus, qui maris Arabici cornu orientale exhibet. Ipſi enim, ſimul atque nomen *Iam ſuph*, quo *mare turbinis plenum* indicatur, animadverterunt in locis *Devt. II*, *1*, *Num. XXI*, 4, ſibi imperarunt attoniti, ut crederent, mare Arabicum, ſinum Arabicum, deſignari. An ſinus Arabicus in ſacris literis unquam *Iam ſuph* appelletur, admodum dubito. Denotat enim hoc cognomen modo lacum Sirbonis, modo mare Phœnicium, modo lacum aſphaltiten. Poſtrema vocis poteſtas elucet ex *Devt. I*, *1*, media ex 2 *Par. VIII*, *17*, prima ex *Devt. XXVIII*, *68*, *XVII*, *16*, *Exod. XV*, *22*. Via ex Palæſtina tulit per tractum Iordanis prope lacum aſphaltiten, ſeu Iam ſuph, teſte *Ieremia XLIX*, *19*, *21*. Palmas Idumæas prædicat *Maro Georg. III*, *13*. Maccabæorum ævo ultima Idumæorum urbs verſus ſeptentriones, & prima verſus Hieroſolymam, fuit Gaza, teſte *Ioſepho Gorionide VI*, *29*, *p. 657*. Iudæis enim in exilium Babylonicum abreptis, Idumæi magnam Palæſtinæ auſtralis partem occuparunt. Omiſit *Relandus* nonnullas Idumæorum urbes, nominatim *Bozram*, *Theman*, *Getthaim*, *Maſeccam*, quam *Euſebius* vocavit Maſrecam, & *Rehhobot iuxta fluvium*. Commemorantur hæc loca æque ac *Dinhaba*, *Avith*, & *Pau*, *Gen. XXXVI*. Omiſit demonſtrare, urbem Bozram, ſeu Boſorrham, בָּצְרָה, haud differre a loco Petra. Syri enim, Arabes, & Chaldæi, pro Bozra ſolent pronuntiare *Potra*, *Petra*.

Memoravit *Ieremias Theman*, *Dedan*, & *Bazram*, *Cap.* *XLIX.* Excidium minatus fuit *Ezechiel* Idumæis, a Theman usque ad Dedan habitantibus, *Cap.* *XXV*, *13.* *Veſpaſianus*, in Idumæam expeditione mota, expugnavit ibi urbes duas, quas vocat *Gorionides* *(d)* *Legrith* & *Caphartoch*, *Ioſephus* *(e)* duos appellat vicos, *Betarim* & *Caphartobam* vocatos. In nonnullis exemplaribus legimus *Begabrim.* *Hegeſippus* loca illa vocavit *(f)* *Ligarum* & *Capartotem.* Idumæa fuit pars regionis Utz. *Iobus* vero, in hac regione Utz commoratus, in numerum *filiorum Orientis* refertur *Iob.* *I*, *3.* Cum vero illi Bne-kedem, *filii Orientis*, haud differant a Saracenis, ſeu Scharkijun, (id eſt, orientalibus, ex שרק, Ar. *ſol ortus eſt,*) inde perſpicitur, Idumæam exſtitiſſe Saracenorum partem, licet *Orientales*, ſtrictius dicti, & ad urbem Saraca habitantes, ab Idumæis diſcernantur. Sed ſuffecerint hæc ſpeciminis loco. Promoveamus nunc gradum ad ipſam urbium recenſionem, eamque augebimus, ſupplebimus, notis adiectis emendabimus, illuſtrabimus, &, quoad eius fieri poteſt, ad umbilicum adducemus.

Abel Beth Maachah eſt eadem urbs ac *Abelah* & *Bethmaachah* *2 Sam.* *XX*, *14*, ſiquidem Vav hoc loco explanandi vim continet, quaſi diceres: *Abelah & ea ipſa quidem Bethmaachah.* Locus fuit ſitus in Transiordanica intra limitem ad Orientem ac Septentriones. Tractus enim adiectus, ſeu incola eius quivis, appellatus fuit *Maachati*,

(d) *Lib.* *VI* *Cap.* *28* *p.* *650.* *(e)* *De Bello Iud.* *IV*, *26.*
(f) *IV*, *16.*

chati, Devt. III, 14. Situs fuit locus in auſtrali parte Antilibani, cui Abel Bethmaachah erat nomen, *Ioſ. XIII, 13.* Regiunculæ adiectæ nomen fuit Aram-Maachah, *1 Chron. XX, 6. Euſebius* eam vocat *Abelam Phœnices*, ſitamque refert Paneada inter & Damaſcum. Abilam hanc *Hermannus von der Hardt* putat locandam in confiniis Aſeritidis & Naphthalitidis, alibique vocari Iabneel. In *Medabenis p. 67.* At obſtat locus *Ioſ. XIII, 13,* quo docemur, locum Maachath, ſeu Maachah, referendum eſſe ad regionem Baſchan. Idem conſtat ex *Devt. III, 14.*

Abel kramim, ſeu *Abila vitium*, vocatur a *Plinio V, 18, Abila Ampeloeſſa*, & iungitur urbibus vicinis Adris ac Gadaris. *Euſebio* ipſa dicitur Ἄβελ ἀμπέλων, & Ἀβελὰ οἰνοφόρος, a vitium cultura, ibi florente. Eadem eſt Abila Batanææ & *Euſebii* κώμη ἀμπελοφόρος Ἄβελ, *vicus vitifer Abel.* Nam ſex milliaribus abfuit a Philadelphia, ſeu Rabbath-Ammon, & vitium proventu celebris exſtitit, in terminis fere Ammonitidis. Nec tamen inde colligendum erat, Ammonitidi locum eſſe inſerendum.

Abela Lyſaniæ ponitur a *Ptolemæo* Damaſcum inter & Heliopolin. Situm eundem confirmat Itinerarium, quod vulgo vocatur *Antonini.* Heliopolis abfuit Abila 38 millibus paſſuum Romanorum, & Abila Damaſco 18. Regiuncula, Abelæ huic adiecta, dicitur *Abilene Luc. III, 1.* Lyſaniæ nomen, quod *Lucas* habet, reliquis ſcriptoribus eſſe incompertum, tradidit *Iſaacus Caſaubonus Exercit. in Baronii Annales XII, 3.* At

Ptolemæus illud conſervavit ad vocem huius Abelæ.

Abela mhholah cur Iſſacharitidi haud ſit attribuenda, rationem video nullam, ſi quidem *Ioſua* urbium, non vicorum, non villarum, nomina expreſſit.

Acco. Arabes eam vocant *Acca.* A *Nepote* in *Datame Cap.* 5 vocatur *Ace.* Gentile videtur inde defluxiſſe הָאֲחֹחִי *2 Sam. XXIII, 28.* Dicitur ipſa Ἄκη πόλις a *Scylace* in *Periplo p.* 42 *Vol. I Hudſoni.* Videtur locus, *Ioſua* ſene, vel iam defuncto, a Cananæis fuiſſe munitus, urbisque nobiliſſimæ induiſſe naturam. Ipſe *Claudii Cæſaris* colonia fuit effectus, ſed nomine tantum, non re ipſa, teſte *Ulpiano Pand. l. 1 de Cenſ.* Ab Acca ad Tiberiadem fuit olim bidui iter; & arx pulchra Zait, mari appoſita, abfuit Acca duodecim paſſuum millibus, teſte *Scheriſo Ibn Edriſch P. V Clim. 3 p. 148.* Locum *Helmoldus* vocat *Accon*, & fata eius, ad Seculum XII ſpectantia, deſcribit in *Chronico Slavorum IV*, 2, *p.* 705, *Tom. II Leibn.* Conferendus eſt *Oliverius* in *Hiſtoria Damiatina p. 1398 Tom. II Eccardi*, ac Anonymus ibidem *p. 1350 ſeq.* qui ſitum expoſuit. Formam locus habuit triangularem, duo latera mare alluit, tertium planitiem reſpicit, muris fuit cinctus, & propugnaculis, portis, turribus, foſſisque, munitus. At ſuperiori iam Seculo ineunte munimenta erant collapſa. Portus admodum patet. *Thevenotus*, cuius fide hæc commemoramus, addit, ſua ætate Acen præcipuum Palæſtinæ totius emporium fuiſſe,

Lib.

Lib. I Cap. 20 pag. 125 ſeq. *Troilo* memoriæ prodidit, locum ſex milliaribus Germanicis Tyro diſtare, *pag. 88*, portum ei eſſe vicinum prope montem Carmelum, ambituque duo milliaria Germanica complecti, *pag. 90*. *Scylax* refert, Ecdippum inter & Acen fluvium ſeſe in Oceanum exonerare. Unde intellectu eſt facile, deſignari Kiſchonem, ſub monte Tabor, ſeu Itabyrio, ortum.

Achis, locus eſt a LXX fictus, qui ignorarunt, quomodo vox אָחוּ eſſet transferenda in Græcum, *Gen. XLI, 3, 4*.

Acrabbim, locus eſt arctiſſimus in termino lacus aſphaltitis, meridiem verſus, occidentali, per cuius fauces ab Engadis iter inſtituitur Petram, *Num. XXXIV, 4, Ioſ. XV, 3, Iud. I, 36*. Regiuncula adiecta nomen ſuſtinuit Acrabbatenes, *1 Macc. V, 3, Ioſeph. Ant. Iud. XII, 11*.

Acſchaph indubie eſt ipſa urbs Aco, ſeu Ptolemais. Vocula enim adiecta Schaph eſt ex שפה decerpta, & *ſpeculam* deſignat.

Adar locus fuit in termino terræ ſanctæ auſtrali inter Kadeſcham & canalem Ægypti, *Ioſ. XV, 3*, ad Orientem loci Carcaah, qui itinere unius diei ab oppido Petra fuit disiunctus. *Ptolemæi Adara*, Arabiæ Petrenſi aſſignata, huc quadrat.

Ader turris, ſeu *Migdal Eder*, locus prope Bethlehemum, cui nunc nomen *paſtorum pagus*. Diſtat uno milliari Germanico ab urbe Bethlehemo verſus Orientem. *Troilo p. 408 ſeq.* Alexandrini locum vocarunt *πύργον Γαδὲρ*, *turrim Gader, Gen. XXXV, 21*, Nunc ibi habitant non

niſi paſtores. *Cornelis Bruyn Tom. I Reizen Cap.51 pag. 274.*

Adraa. Ptolemæus Transiordanicam inſeruit Arabiæ Petrææ, & hunc locum vocavit *Adru. Scherif Ebn Edriſch* eum appellavit *Adreat P. V Clim. 3*, & tabula antiqua *Adraha.*

Agalla, Eglaim. LXX nomen *Eglaim Eſ. XVI, 8*, reddiderunt *Callirrhoen.* Huic ſententiæ ſuffragatur *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis pag. 11 ſeq.* At repugnat huic opinioni ſitus, quem *Euſebius* loco Agalleim aſſignavit.

Agræi, הגרים, habitarunt ad Orientem Perææ iuxta Ammonitas & Moabitas. *Stephanus* in *Ethnicis* eos vocavit Αγράιυς, nec non *Dionyſius Perieg. v. 956* eos appellavit Ἀγρέας, Nabatæis & Chablaſiis accolentes. A Gaditis ipſi fuerunt devicti *1 Par. V, 8 ſeq. Ptolemæus* novit Agræos æque. Conſtiterunt ipſi ex tribubus Iethur, Nophach, & Nodab, *1 Par. V, 17 ſeq.* Nabdæi haud incomperti ſunt veteribus. *Agra* videtur urbs fuiſſe eorum primaria.

Aialon. Locus, *Ioſ. X, 12*, ſitus fuit apud Gibeonem ad ortum Bethelis. *Scheidt* ad orientem Emmauntis venit in vallem Aialon *pag. 67. Saulus* cum Philiſtæis conflixit prope Michmaſch usque ad Aialon, *1 Sam. XIV, 31.*

Aija videtur ab urbe *Ai* haud diſcrepare.

Ailath Idumæa prope Ezeongeber & Kadeſch ac montem Hor fuit ſita *Devt. II, 8, Num. XXXIII, 35, 36.* Illa, unde Tyriorum & *Salomonis* naves ſolutæ ſunt, & quam *Rezin Syrus* occupavit, eſt Elais littoralis, Tyro proxima ad ſepten-

pten-

ptentriones. Rationes reddidit *Io. Oldermannus* in *Diſſ. II de Ophir & Tarſchiſch.*

Ain-ſemes eſt Heliopolis Ægypti. *Scherif Ibn Edriſch P. III Clim. 3.*

Alexandroſchœne, locus fontibus riguis, vix quinque milliaribus Tyro diſtans, in littore maris ſitus. *Wilhelmus Tyrius XI, 30, p. 263. Scherif* vocat locum Alexandrium, computans ab ea, ad Acen 15 millia paſſuum, & totidem Alexandrio Tyrum, *P. V Clim. 3. Alexander M.* eum condidit. Vocatur is vulgo *Sandalium* & *Scandarium*, id eſt, Alexandrium. Arabes enim *Alexandrum* vocant *Scandar*.

Aluſch eadem, quæ Eluſa. Aluſch aliud inter lacum Sirbonidem & montem Sinai occurrit *Num. XXXIII, 13.*

Amatha. Gorionides VI, 28, locum vocat חמת גדי *Emath-gdi*. At ſubeſt mendum, & legere oportet חמת גדר, id eſt, *thermæ Gadarenſes*. Videtur Auctor Ebræus locum confudiſſe cum thermis Tiberienſibus. Conf. *Ioannes Lightfoot* in *Chorographia, Matthæo præmiſſa, Cap.* 74, & *Lucæ præmiſſa Cap. 4 Sect. 3. Ioſephus* tradit *de B. I. IV, 26, Veſpaſianum* ad urbem Ammaunta rediiſſe. *Egeſippus* locum vocat *IV, 16, Amathunta*, addens, eum vocari Græce *thermas*, ob aquas calidas, ibidem ſcatentes. Amatham alibi eſſe Ramoth, *Haſius* quoque indicavit in *Regni Davidici & Salomonei Deſcriptione geographica pag. 249.*

Anathoth. Cotovicus putat, ſeſe ad 15 mill. paſſ. ab Hieroſolymis verſus Ramalam prætervectum eſ-

ſe

ſe hunc locum, in declivi ſolo & olivetis referto ſitum, *Itin. II, 1, p. 146.* Videtur ipſe deceptus.

Anim. Huc videtur *Anitha Ptolemaei* congruere, Arabiae Petraeae inſerta.

Antarados, poſtea Tortoſa, civitas in littore maris ſita, e regione inſulae Aradi, ad 2 milliaria inde diſtantis. Incolam inſulae & urbis cognominis *Ezechiel* vocavit *Arvadi*. Terra Arrath, ſeu Ararath, videtur ab Arado inſula haud differre.

Antiochia Syriae, ad Orontem, mari influxurum, ſita, ab *Antiocho Magno* fuit dicta, teſte *Dionyſio Perieg. v. 917.* Regionem adiectam Arabes vocant Togar. Urbem ex profeſſo deſcripſerunt *Wilhelmus Tyrius de Bello ſacro II, 9,* & *de la Roque T. I P. II p. 199 Voyage de Syrie & du Mont-Liban.* Prior credidit, locum olim vocatum fuiſſe Riblath, locum in hiſtoria *Nebucadnezaris* famoſum: De Riblatha exponemus infra. Theupolin dictam fuiſſe a Chriſtianis, *Chriſtophorus Cellarius* tradidit. Antiocheni inde dicuntur *Theopolitani* in *Cod. Iuſtiniani Lib. I Tit. I Conſtit. 6.* Conf. *Nov. XCII Cap. 1, CXXIII, Cap. 3.* Civitatem hanc everſam idem *Iuſtinianus* reaedificavit. *Cuiacius VIII Obſ. 21,* & *Nov. VII, 3.* Dolendum eſt, nomen antiquiſſimum latere. Videtur autem id fuiſſe Beth-Thogarma, & Togar. Gog certe eſt *Iochus*, decurtata *Antiochi* appellatio. Sita eſt urbs ex utraque Orontis ripa. Et eam ob cauſam hic eius fit mentio. Terra enim, Iſraelidis promiſſa, pertinuit usque ad ſeptentrionalem eius limitem,

flu-

fluuium Phrath, qui eſt Orontes, olim dictus *Fer*, *Fert*, *Ferri*, teſte *Wilhelmo Tyrio IV*, *5*, *p. 83*, & *XVIII*, *32*, id eſt, *frugifer*, *fructuoſus*. Orontes ex intervallo inter Libanum & Antilibanum montes oritur, teſte *Polybio V*, *59*. *Plinius* originem eius Heliopoli tradit propinquam. Eam vero ortus propinquitatem evertit *de la Roque T. I pag. 132*. *Cotovicus* viam flumінis iſtius ita determinavit *Itin. Hieroſol. III*, *19*, *pag. 399 ſeq.*: *Aſſi fluvius rapaciſſimus*, *quem & Orontem vocant*, *Antiochiæ ſeptentrionale cornu alluit. Flumini pons lapideus impoſitus percommodum viatoribus præſtat tranſitum*, *elegantis ſtructuræ opus. - - Fluvius*, *Haſe*, *vel Aſſi*, *aut Aſſer*, *Arabibus veteribus Orontes*, *qui & Roſtem urbem præterfluit*, *mediam Hamam dividit*, *ac ſuburbana prata urbemque ipſam irriguam reddit. Wilhelmus Tyrius de Bello ſacro IV*, *8*, *pag. 83*, hæc commemoravit: *Orontes*, *verbo vulgari Fer dictus*, *ſecus Antiochiam defluit*, *& inde ad mare deſcendit. - - Secus Heliopòlin*, *quæ alio nomine appellatur Malbet* (Balbec), *primum habens exordium*, *per Cæſaream & prædictam Antiochiam in mare deſcendit mediterraneum.* In ſacris literis vetuſtiſſimis ipſe vocatur *flumen illud magnum*, & *flumen illud*, ob excellentiam & magnitudinem. *Dionyſius* in *Periegeſi v. 920* eum vocavit ἄσπετον, *immenſum*, *perquam magnum.*

Antipatris nomen obtinuit ex *Antipatro*, *Herodis* patre, ſilvisque ac paſcuis adiacentibus abundat, teſte *Wilhelmo Tyrio X*, *14*, *p. 218*, pariter referen-

te,

te, eam ſua ætate dictam fuiſſe *Arſur*, *IX*, *19*. Eam nunc dici *Neſiſum*, littorique eſſe proximam inter Cæſaream & Ioppen, ac nonnullos illam pro veteri Capharſalama habere, idem tradit *Lib. I Cap. 20 pag. 129*. Arſur, Aſſur, Arſuf, littori imminet. Antipatris autem haud adeo vicina fuit mari. Reſtat, ut Hodœporetæ docti rem curatius inveſtigent.

Apamea, nomen nacta ab Apama, *Seleuci Nicatoris* uxore, a Macedonibus *Pella* fuit dicta, & ob Orontis ſtagnationes, ibi maiores, appellata *Cherſoneſus*. Nomen antiquum fuit *Pharnaske*, i. e. *fluvii Fer irrigatio*. Vide *Euſtathium pag. 163 Vol. IV Hudſoni*. *Dionyſius* in *Periegeſi v. 918* collocat eam in urbibus continentis. *Schepham* ab ea haud differre, ſuſpicor. שְׁפָיִם ſunt *loca eminentia*. Ipſa enim inter aquas inſtar clivi exſtat & eminet.

Appadno, nomen ſubſtantivum, idque non proprium, legitur *Dan. XI, 45*. Commentatores id haud aſſecuti ſunt, & ideo illud crediderunt eſſe proprium. Contextus vaticinii poſtulat, ut ibi per אָהֳלֵי אַפַּדְנוֹ omnino *tentoria palatii eius* intelligamus. Nam vates divinus indicat, *Antiochum Epiphanem*, ex Ægypto reducem, Iudæam pro ſede regni ſui tantiſper delecturum, caſtrorumque ſuorum prætorium inter duo maria, mortuum & magnum, contra montem decoris ſanctiſſimi conſtituturum, ut Iudæos per Lyſiam præfectum labefactet & evertat. Addit vero, ipſum iturum ad finem vitæ ſuæ, deſignans expeditionem adverſus Parthos funeſtam, ubi finem vitæ

viſæ in Elymaïde fecit *Antiochus*, actus in fugam, & a ſuis deſertus. Vox אַפִּרְיוֹן notat ſedem quadratam, circumquaque clauſam ad modum carpenti & lecticæ. Targumiſta vocem adhibuit *Ier. XLIII, 10*, vocique שַׁפְרִיר eam ſubſtituit. Hæc vero *tentorium ducis bellici primarium*, ſeu *prætorium*, deſignat. Græcis Ἀπήνη eſt notiſſima vox, notans *ſedem carpenti & carrucæ. Pollux X, 12.* Concordat vox אֵיפָה *Zach. IV.*

Arab, alibi Arübboth, locus prope Socho *1 Reg. IV, 10.* Gentile inde formatur הָאַרְבִּי, *Arbita*, *2 Sam. XXIII, 35.*

Arabhah exhibet nomen gentile הָעַרְבָתִי, *Arbatita*, *2 Sam. XXIII, 21.*

Aradus, inſula, urbs, & portus, e regione littoris Syriæ & oſtiorum Eleutheri fluminis. Nunc vocatur *Ruad.* In ſacris literis nomen ei eſt *Arphad* & *Arvad*, *2 Reg. XIX, 13*, *Geneſ. X, 18*, *Ez. XXVII, 11.* Incolis laudem rei navalis tribuit *Ezechiel.* Vid. *Maundrellius pag. 26.* Verme aſello inſula laboravit. Inde fit, ut *aſellus* vocetur *Aradicus* a *Columella Lib. X pag. 412.* Reliqua dedit *Chriſtophorus Cellarius.*

Arar, patria herois *Ahiami 2 Sam. XXIII, 33*, qui inde vocatur הָאֲרָרִי, *Ararita.* Non dubito, ſubeſſe vicum Arath, ad Occidentem Hieroſolymæ poſitum.

Arath, quæ diſtabat ab oppido Chebron millibus paſſuum viginti verſus meridiem, non alia eſt ac Arad, locus in auſtrali Palæſtinæ termino ad orientem Kadeſchæ ſitus.

Arca,

Arca, ſeu *Arcæ*, urbs haud una, altera ſeptentrionalis, altera ad latus meridianum ſita. Aco belli ſacri ætate appellata fuit peræque Acre & Acra. Sed de hac ſupra egimus. Ectipum, ſeu Ecdippum, olim dictum eſſe Arcen, oſtendi nequit. *Salomo* Syriam, intra Orontem ſitam, ditioni ſuæ penitus adiecit, ac propterea Arces in oppido conſtituit præfectum. Arca Aſcheritica, ab Arca Phœnicia diverſa, fictionibus eſt annumeranda. *Arqua* Phœnices nota eſt *Scheriſo Ibn Edriſch P. V Clim. 3.* De *Archis Wilhelmus Tyrius* perfunctorie exponit *X*, *5*, easque ita deſcribit *VII*, *14*: *Eſt Archis una de urbibus provinciæ Phœnices, ad radices Libani, in colle ſita munitiſſimo, quatuor, aut quinque, a mari diſtans milliaribus, longe lateque diffuſa, optimi ſoli & glebæ uberis, habens planitiem. - - Civitas Tripolitana nobiliſſima, in littore maris ſita, ab Archis ſex, aut quinque, diſtat milliaribus.* Gentile nomen eſt הָאַרְקִי, *Arcita*, *Gen. X*, *17*. Arca auſtralis, per antomaſiam ſic dicta, eſt ipſa Petra, ſeu Bozra. Hæc enim vocata fuit כְּרַךְ, vel עֲרָא, *urbs*, excellentiæ cauſa. Ex ea voce profluxerunt nomina *Crac*, *Craccum*, *Hrak*, *Arak*, *Hrakt*, *Hrat*. Vide vocem *Petra*.

Ariel, *Ariel Moab*, eſt civitas Moabitarum primaria. Hebræi leonem vocarunt *Ari* & *Arjeh*. Moabitæ, & Arabes adiacentes, urbem, ſeu locum, vigiliis cinctum, vocarunt עִיר, עָר, אֲרִי, אֲרְיֵה, *Ir*, *Ar*, *Ari*, *Arjeh*. Exempla ſunt in promtu. *Arbeel* denotat *urbem Belis*. *Arimara* & *Ariſerla*, Syriæ oppida, eandem compoſitionis originem

nem deſignant. Hinc patet, voci *Ariel* ſubeſſe notionem *urbis primariæ*, ſiquidem *el*, ſeu *awel*, *primum* denotat. *Moab-Arieh* & *Arieh-Moab* eſt *Moabitidis urbs primaria*, alibi Rabbatmoab & Rabbatmoba. *Lutherus* nomen urbis *Moab-Arieh* vertit per illud *Moab des Lœwen*, *Jeſ. XV*, *9*, ſecutus Vulgatam, in qua legitur ſenſu nullo: *His*, *qui fugerint de Moab leonem & reliquiis terræ*. In fonte Hebræo lux & iudicium reſtat. Ibi enim hæc indicantur: *Aquæ Dimonis plenæ ſunt ſanguine* (occiſorum): *profecto imponam Dimoni ampliora* (calamitatum additamenta), *reliquiis quippe urbis Moabitarum primariæ: ac reſiduo numero regionis*. Eadem urbs vocatur *Ar Moab* & *Kir Moab*, id eſt, *urbs Moabitidis*, per excellentiam ſic dicta *Ieſ. XV*, *1*. Appellatur eadem *Ariel Moab 1 Par. XI*, *22*, hoc eſt, *urbs primaria Moabitidis*. Translationem, ob inopiam apparatus geographici, in hoc loco deprehendimus viliorem. Ipſa autem ſic eſt inſtituenda: *Benaia*, *filius Iehoyadæ*, *vir præſtans viribus*, *excellens facinoribus*, *natus fuit in loco Kabzeel*, *ipſe vicit ac proſtravit duos homines urbis Ariel Moab: immo ipſe deſcendit devicitque urbem illam per ſtrategema foveæ die quodam nivoſo*. Ipſe ſcilicet Benaia infeſtatus fuit a civibus Arielis ob Arielitas duos percuſſos, ni enecatos. Venit itaque in fines ipſorum denuo, ac foveam paſſim interſectam, nive cumulatam contectamque, ſeſe inter & turmas hoſtium callide pro adminiculo adhibuit. Cum enim fortiſſimus quisque eruptionem ex oppido in Benaiam, eiusque manum circumvagantem, feciſſet, ipſe, eos fugiendo, in foveam ſe

 præ-

præcipitaturos, elicuit, hisque ita captis, & in poteſtatem redactis, rediit ad urbem, ipſamque exitioſa calamitate multavit. Heroes *Davidis*, a *Saulo* profugi, non diſcrepant ab incurſantibus palantibusque Hungariæ equitibus, quos vulgo Huſaros appellamus. Quo minus urbem Arindelam pro Areopoli habeamus, impedimento nobis eſt diſcrimen illud, quo Arindela ab Areopoli legitur disiuncta in indicibus urbium Palæſtinæ tertiæ epiſcopalium. Hæc ad Arielem Moabiticam dicta ſunto. Iudæis in more quondam fuit, Hieroſolymam pro *urbe* ſua *primaria* reputare. Quam ob rationem appellarunt eam peræque *Ariel*. *Ieſaias* eam ſic vocavit quinquies *Cap*. *XXIX*, *1*, *2*, *7*, eique excidium prædixit. *Ezechiel* montem, cui templum Hieroſolymitanum ſuperſtructum erat, vocavit *Har-el*, id eſt, *montem primarium*, ac clivum altaris holocauſtorum ita vocavit eximio ſenſu, *Cap*.*XLIII*, *15*, *16*. Immo hoc ipſum altare vocatur ab eo אריאל. In Græca Alexandrina interpretatione legitur *Ariel*, Ἀριήλ. Maſoretæ in exemplaribus nonnullis viderunt ſcriptum exſtitiſſe אריאל, eamque vocem in margine notarunt. Commentatorum greges ſibi perſuaſerunt, ſignificari *leonem Dei*, & hoc cognomen altari inditum fuiſſe externo, quoniam ignis huius altaris voraverit victimarum carnes in modum leonis voraciſſimi. Nolim ipſorum turbare gaudia. Qui autem norunt, *Ar-el*, ſeu *Ari-el*, *locum cinctum & munitum* eſſe, eumque *primarium*, eis facile ſuboleſcet ratio, cur altare, victimis con-

ſu-

ſumendis deſtinatum, hoc cognomen obtinuerit. Niſi Iudaicus Commentatorum grex Geographiam linguasque ſororias neglexiſſent, minus crebro Theologi Chriſtianorum ab eis in errores pellecti fuiſſent ac deturbati.

Arimathæa, Arabibus *Ramlah*, Ioppen inter ac Hieroſolymam viſitur, locus, nunc turribus, muris, portisque, carens, quem Turci, Abeſſini, Iudæi, Græcique Chriſtiani, incolunt. *Scheidt*, teſtis oculatus, ita narravit.

Arnon eſt 1) fluvius famoſus, Moabitidis limes quondam ſeptentrionalis; 2) regio utrinque fluvio adiecta, ab *Euſebio* vocata *Arnonas*, *Num. XXI, 10-16*; 3) locus habitatus in valle ſatis profunda, dictus poſthæc *caſtra Arnonenſia*, ad ſeptentrionem Areopolis. In hiſtoria *Moſaica* ſinguli hi ſignificatus deprehenduntur.

Aroër. Una eademque fuit urbs ſic dicta, in terminis Gaditarum, Ammonitarum, & Rubenitarum, ſita, *Ioſ. XIII, 9, 2 Sam. XII, 27. Ioſ. XIII, 25.* *Relandus* duas ex una conflavit & exſtruxit urbes, eo quod ſibi perſuadere haud potuit, Arnonem haud procul ab Ammonitarum urbe primaria fuiſſe exortum. Dedi plura ad *Num. XXI*, in Cl. & Pl. Rev. *Ioannis Chriſtiani Mehlbornii* Opere, quod inſcripſit *Gründliche Erklærung der H. Schrift A. T.* Lipſiæ, 1741, 4, *p. 1318.* Sita fuit urbs Aroër *in loco ſteriliori*, במדבר, ſæpiusque excidiis & vaſtationibus ſuccubuit, *Ier. XLVIII, 6.*

Arpad, ſeu Arvad, *Ier. XLIX, 23.* Aradus inſula, urbs, & Antaradus e regione in maris littore

cum territorio adiecto. Gentile eſt אַרְוָדִי, *Aradita.*

Arſur an ſit Antipatris, ſupra diſquiſivimus. Vide vocem *Antipatris.*

Aſcalon. Wilhelmus Tyrius deſcripſit eius ſitum XVII, 22. In *expoſitione totius mundi* leguntur hæc *Vol. III Hudſoni: Aſcalon & Gaza, civitates eminentes, mittunt Syriæ & Ægypto vinum optimum.*

Aſchan. Urbs loco Ieter vicina, *Ioſ. XIX, 1, 1 Chron. IV, 28.* Omiſſa tamen *Ioſ. XV, 26.* Ipſa Tribui *Simeonis* poſtea ceſſit *Ioſ. XIX, 7.*

Aſeber, locus inter Scythopolin & Sichem, alteri verſus boream propinquus, deſignatus *Ioſ. XVII, 10.* Solide id demonſtravit M. *Stromeyerus* in *Diſſ. de Vaticinio Iacobi in Iſacharitidem.*

Aſchur. Hinc eſt gentile הָאֲשׁוּרִי, *Aſchurita, 2 Sam. II, 18.* Deſignatur locus Geſchur Damaſcum inter & Gadara. In hunc æque poteſtatem tenuit Rex *Iſchboſeth.*

Aſeca, locus haud procul Makkeda, *Ioſ. X, 10*, tribui Iudæ aſſignata. Vide *Azeca.*

Aſochis, urbs Galilææ Sipphorin inter Gebaramque ad ſeptentriones montis Tabor. Confer *Vitum Ioſephi*, ab ipſo ſcriptam, *§. 45, 68*, & vide *Relandum* in *Azochis* & in *Gabara.*

Aſſa, עֵזָה, *Ioſepho Eſſa*, in Transiordanica. Vide Noſtrum in *Eſſa. Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p. 9* locum poſuit in Rubenitide, ac pro Iachtza habuit.

Atabyrium eſt 1) mons, umbilici ſpeciem referens, ac inde appellatus, 2) planities montis in ſummo,

mo, 20 ſtadia patens, murisque quondam cincta. *Ioſephus* eam 40 dierum intervallo mœnibus circumdedit. Ipſe *de B. Iud. IV*, 4. 3) Caſtellum, in colle conditum prope faſtigium. *Cotovicus* circum circa montem luſtravit ad montis uſque editiſſima, & ubique prægrandes ruderum atque dirutorum ædificiorum diſperſas invenit ruinas, *p. 354 ſeq.*

Atrit, oppidum, in ipſo littore prope Carmelum poſitum, efficit angulum, ſeu cuſpidem, in mare eminentem, & a Carmelo monte 10 millia paſſuum diſtat, hodie funditus dirutum, ſoloque æquatum. Reſtant nominis ruderumque reliquiæ. Verba fere *Cotovici Itin. Hieroſol. I*, *20*, *p. 128*.

Audia a *Ptolemæo* annumeratur Arabiæ Petrææ. Videtur eſſe Dia, ſeu Dium.

Aven haud differt a Beth-Aven, *Hab. III*, 7, *Hoſ. X*, *6*. Nomen ei ex *ſole*, אָוֶן.. Situs ad Bethelem ſpectat, quacum Beth-Aven confundenda haud eſt.

Avàra, urbs Arabiæ Petrææ apud *Ptolemæum*, *Pharan Devt. I*, *1*. Montes Abarim & ipſa Peræa inde nomen obtinuerunt. Situs ad confinia montis Nebo pertinet. Eſt locus *Baris*.

Baal Chatzor vicus, ubi *Abſolomus* fratrem *Ammonem* interemit, *2 Sam. XIII*, *23*, infra locum Ephraim, ſeu Gephrum, ſupra Iabocum in Transiordanica. Vide *Ephraim*.

Baal Gad, id eſt, Beth-baal-Gad, ſedes Dei entopii Gad. Loci in montibus ſiti, dicti *Baccades*, vul-

 go

go Buccahel, amœni & ſaquis irrigui, latronum Damaſcenorum receptatoris, paullo ſupra Cadeſſam ſiti, meminit *Wilhelmus Tyrius XXI*, *26*, *p. 535*. Videtur Baccades dicta quaſi *Bab-cades*, id eſt, porta *Cadeſſæ*.

Baal Maim eadem urbs ac Balamo & Abel Mea, Abel Mehholah.

Baal Meon, *Ioſ. XIII*, *17*, pro Abel Sittim habetur ab *Hermanno von der Hardt* in *Medabenis p. 25*.

Baal Zephon, id eſt, *Iovis opertum*, Iovis Caſii templum in Caſiotide regione ad Ægypti prope lacum Sirboniden, eiusque emerſum, *Num. XXXIII*, 7. Copioſius ad hunc *Numerorum* locum ediſſerui & momenta & ſitum loci.

Babalath, oppidum, *2 Chron. VIII*, *18*, *1 Reg. IX*, *18*, non differt a Balahh in tribu Simeonis *Ioſ. XIX*, *3*. Hæc enim vicina fuit urbi Tamar, ſeu Tamaro, id eſt, Engadis, deſertisque inde cognominatis. Qui Tamarum, ſeu Tadmor, in Palmyram converterunt, urbem Bahlath vel ad Euphraten, vel circa Antilibanum, locant, nulla ratione probabiliore adiuti. *Scherif Ibn Edriſch* locum vocat Balca, *P. V Clim. 3* commemorans: *Ab Hieroſolymæ ad Ghaſan & Balca tantundem itineris*.

Baitomaſthaim, *Iudith XV*, 4, urbs Iſraelitidis haud procul Dothaim, fortaſſis ipſa Bethſchemeſch in Sabulonitide.

Balanea, urbs Syriæ littoralis inter Tripolin & Orontem. *Recognit. Pſeudo-Clement. VII*, *25*, *p. 557*. Epiſcopus ὁ ἐν Βαλανέαις, *Euphration*, laudatur ab *Athanaſio* in *Ep. ad Solitarios p. 812*.

A bal-

A balneis urbi nomen. Crediderim, eam eſſe מִשְׂרְפוֹת מַיִם, *locum thermarum*, apud *Ioſuam XI, 8.*

Balbec, *Bikat Aven*, *Heliopolis*, urbs Syriæ Cœles Damaſcum inter & Aphacam. Rudera templi olim nobiliſſimi reſtant nonnulla, quæ deſcripſit *de la Roque*. Vide *Chamath*.

Bared, locus inter Kadeſcham meridionalem & Schur, ſeu Oſtracinen, qua itur in Ægyptum circa Raphiam, *Gen. XVI, 16.* *Euſebius* locum vocavit Βηρδὰν, vicum regionis Gerariticæ.

Baris, nomen Palæſtinis proprium, notans domum maiorem, turribus ornatam. Chaldæi vocant בִּירָה. Vid. *Oſſervazioni letterarie T.I p.30, Verona, 1737, 8.* Sic appellatum fuiſſe oppidum *Schaveh*, ſeu *Mizpeh Moab*, ſeu *Schaveh Kiriathaim*, ſuſpicatur *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p. 11.* *Euſebius* meminit loci *Baru* ad vocem Kiriathaim, ac *Ioſephus* eum ponit ad ſeptentrionem Machæruntis, *Baaram* appellatum, *de Bell. Iud. XVII, 25.* *Relandus* ſupra *p. 303* Baaram & Kiriathaim pro eodem habet loco. Situs elucet ex hiſce *Hieronymi*: *Eſt vicus uſque nunc grandis iuxta Baaru in Arabia, ubi aquas calidas ſponte humus effert, cognomento Beelmaus diſtans ab Esbunte millibus novem.*

Baru, *Baarus*, *Baaru*, alias Baris.

Baſara fuit urbs Iſſaſcharitidis.

Baſchan, locus in Transiordanica, limes Menaſſitidis ad ortum ſolis *1 Chron. V, 23.* Locus regioni Baſchan conciliavit nomen, quam Syri & Chaldæi vocarunt Batanæam. *Stephanus* haud igno-

ravit urbem *Batanæam*, regionis cognominis originem. Locus ipſe in Notitiis eccleſiaſticis vocatur *Bataneos*, ac ad provinciam Arabiæ refertur, cuius metropolis erat Boſtra. *Relandus p. 219.* Appellatur præterea *Votaneos p. 224*, & *Votaneos* in *Geſtis Dei per Francos p. 1045.* In vulgaribus *Wilhelmi Tyrii* libris legitur mendoſe *Vocaneos Lib. XIV Cap. 12 p. 324.* Locus idem vocatur in hiſtoria Iacobi *Phaddan* & *Paddan*, id eſt, Bathan, Baſchan. Regiuncula adiecta comprehendit præterea locum Hharan ultra Iabocum flumen, & denominata fuit Aram-Paddan, Paddan-Aram, alias Aramnaharaim.

Bathanea vocatur Beth-Anath *Ioſ. XIX, 38*, & ſita fuit in Naphthalitide ad occaſum lacus Genneſaretici prope Tiberiadem in regiuncula Iehuda. Thermæ illæ prope Bathaneam vocatæ ſunt etiam thermæ Tiberienſes, & ex parte adhuc exſtant, auctore *Kortio.*

Bathura, Batanææ locus, olim Ammonitidi attributus, ac *Petor* dictus, patria *Bileami*, *Num. XXII, 5*, fluvio adiectus, quem crediderim fuiſſe Iabocum.

Bebæ, Βηβαὶ, urbs Iſraelitidis, *Iudith XV*, 4. Videtur fuiſſe *Beth-pazzez.*

Beeroth bne Iahakan, alibi Bne Iahakan, ſtatio Iſraelitarum ultra Kadeſch verſus meridiem, 10 mill. paſſ. ab urbe Petra diſtans, *Euſebio* teſte.

Beer Glim, locus Moabitidis, in qua ruinas exſtituras eſſe, prædixit *Ieſaias Cap. XVI, 8.* LXX reddiderunt per Arielitidem. At denotatur locus, ubi

ubi foderant primores Iſraelitarum fontem, quaſi diceres *fontem principum, Num. XXI, 18.*

Beerſcheba fuit gemina, una, quam Auctor deſcripſit, altera decem mill. paſſ. diſtans Aſcalone, Philiſtæis quondam proxima. Alterius fundator exſtitit *Iſaacus Gen. XXXIII, 26.* Fuſius de hoc diſcrimine diximus ad *Ioſ. XIX, 2*, apud amicum optimumque virum, *Mehlhornium.*

Beeſtera, id eſt, Beth-eſtherah, ſeu fanum Aſtartes. *Kedor Laomer*, Sinearis Rex, locum hunc occupavit, victis Rephæis ibi incolentibus, *Gen. XIV, 5.*

Belfrot, municipium ultra fluvium Lanten ad Orientem inter agros Sidonios & Paneadem. *Wilhelmus Tyrius de Bello ſacro XXI, 29.* Videtur ſubeſſe locus *Phileteria.*

Bel-Mais, locus prope Dothaim, *Iudith VII, 4*, edit. *Breiting.* Indicatur Abel Mea, alias Balamo dicta.

Belveir, municipium, Canæ Galilææ finitimum, inter Scythopolin & Tiberiada, ipſumque caſtrum novum in montibus ſitum. *Wilhelmus Tyrius XXII, 16.*

Bene-Berak, locus a Bera haud diverſus, a fortibus heroum, qui *fulmina* dici ſolent, factis ita appellatus.

Beniamin videtur urbs exſtitiſſe ob locum *1 Reg. XV, 22*, ni legendum ſit *Geba Beniaminis*, quæ commemoratur *1 Sam. XI, 4, XIII, 2.*

Bennamarem, Bethnamar, Bethnimra, Benamerium, Bethnabris, idem locus.

Berothai, urbs Syriæ *2 Sam. VIII, 8*, Regi *Hadad-Eſeri*, qui Zobæ commorari conſueverat, ſubie-

duces peregrinatorum prope Iordanem fere uno milliari Germanico ſupra mare mortuum oſtendunt. *Scheidt p. 59.* Nomen præterea fuit huic loco *Bethnabris.*

Bethania. Brocardus Argentinenſis: *Bethania diſtat a Ieruſalem parvum milliare, & eſt in deſcenſu montis oliveti verſus orientem, & eſt bonum caſtellum. Cotovicus* eam in ruinis deprehendit. Ipſe hæc literis memoriæ prodidit *p. 275: Bethania ad radices montis Olivarum, meridiem reſpicientis, ſita. Neglecta hodie, ſordida, ac ruinoſa penitus, omnino infrequens; paucis tantum ibi exſtantibus domunculis, Maurorum habitaculis. Itinerarium vetus Hieroſolymitanum* hæc habet *pag. 153: Inde* (Hieroſolymis) *ad Orientem paſſus 1500 eſt villa, quæ appellatur Bethania. Scheidt* locum, in quo rudera Bethaniæ exſtant, abeſſe tribus quadrantibus horæ ab urbe Hieroſolymorum, refert, docens, iuxta ea non niſi 20 domos reſtare.

Bethar, villa euntibus Neapoli (Sichema) Hieroſolymam in parte ſiniſtra. *Itin. Hieroſ. p. 151.*

Bethaſora. Vide *Bethſur.*

Bethannaba. Eam *Hieronymus* habuit pro illa Anab, de qua agitur *Ioſ. XI, 21.* Vide *Anab pag. 560*, & *Betoannaba p. 661* infra. Eſt ipſa urbs Nobe, ſeu Nob, quam evolve.

Bethbarah. Traiectus ibi fuit Iordanis verſus Moabitidem, *Iud. III. 28, VII, 24.* Vide *Bethabarah.*

Beth-Chilah eſt Bethel. Samaritanus Interpres vocem illam adhibuit *Gen. XIII, 3.*

Beth-

Beth-Chanan, Beth-Hhanan, urbs, cui *Salomo* præfecit *Ben Dekererum* æque ac oppidis Makatz, Schaalbim, Beth-ſchemeſch, & Elon, ſeu Aialon, *1 Reg. IV*, *9*. Videtur ipſa eſſe eadem ac *Ono* in tribu Danitarum.

Beth Diblataim, urbs Moabitidis, *Ier. XLVIII*, *22*. Ipſa fuit ſita inter Nebo & Kiriathaim.

Bethelia. Betheliam *Sozomeni* eſſe eandem ac Betuliam *Hieronymi*, oſtendit *Villarſius* ad *Tom. I Operum Hieronymi col. 31*, quæ ipſe ante aliquot annos Veronæ edidit.

Beth-ennabris, alias dicta Gennabris, Sennabris, urbs ad Iordanem in Transiordanica ad auſtrum Iaboci, uno milliari a Tiberiade diſtans, in regiuncula, quæ vocata fuit Ephron, Ephraim, Bithron. Hinc eſt gentile אֶפְרָתִי, *Ephratita*.

Beth-gamul, urbs in planitie & in Peræa e regione Hierichuntis, *Ier. XLVIII*, *21*.

Beth-gogla eadem ac Bethagla.

Beth-jeſchimoth, locus, ſupra vallem magnam e regione vadi Ierichuntini ſitus.

Beth-lechem, Bethlehem. De ea inſigniter meritus eſt *Albertus Meno Verpoortenius* in *Faſciculo Diſſertationum*, Coburgi edito A. 1740, *n. 12 - - 19*. In *Itiner. Hieroſol. p. 154* leguntur hæc: *Ab Hieruſalem euntibus Bethleem milia quatuor. Super ſtrata in parte dextra eſt monumentum, ubi Rachel poſita eſt, uxor Iacob. Inde milia duo a parte ſiniſtra eſt Bethleem. Burchardus* Argentinenſis: *Bethlehem diſtat quinque milliaribus ab Ebron per ſpatium valde delectabile. . . . Circa Bethlehem ſunt multa pulcra vinea, quas*

colunt Chriſtiani - - diſtat a Ieruſalem duo mill...: Et ibi prope eſt ſepulcrum uxoris Iacob. Rex Hieroſolymitanus eccleſiam Bethlehemiticam A. 1110 ad honorem cathedralem evexit, teſte *Wilhelmio Tyrio XI, 12.* Baſilicam primam ibi iuſſu *Conſtantini Maximi* conditam fuiſſe, auctor eſt Anonymus in *Itin. Hieroſol. p.* 154. Sepulchrum *Rachelis* deſcripſit, æriquc inciſum exhibuit, *Cotovicus p.* 245. Ineunte Seculo XVII quadraginta modo domus Bethlehemi reſtabant. Locus oblongam habet figuram, declivitati montis accommodatam. Arabes ſunt incolæ plerique. Ad Orientem cœnobium exſtat Chriſtianorum. Teſtem compello *Scheidtium p.* 67 *ſeq.*

Beth-maus haud differt ab Ammaunte prope Tiberiada. Situs & diſtantia reſpondent. Talmudicorum Beth-Meon pariter congruit Ammaunti.

Beth-Meon Moabitica alibi vocatur Baal-Meon, quaſi Beth-baal-Meon.

Beth-Peor, urbs Moabitica, *Ier. XLVII,* 22, memoratur. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p.* 43 eam habet pro Machærunte ac Bethgamul.

Beth-phage. Cotovicus Itin. Hieroſolym. III, 11, *pag.* 273 *ſeq.: Iuxta viam, qua Bethaniam ducit, in planitie quadam non multum ampla locus oſtenſus eſt, quo olim Bethphage ſacerdotum viculus exſtitit, diſtans a montis olivarum vertice paſſus circiter centum. - - Viculi Bethphage nulla prorſus hodie exſtant veſtigia, adeoque in cinerem verſa ſunt omnia, ut, ædificium ibi aliquando exſtitiſſe, nequaquam colligas.*

Beth-

Beth-ſaida. Eius non niſi ruinæ exſtant. *Troilo p. 566.* *Cotovicus* ibi exiguum pagum reperit, paucis Maurorum tuguriolis conſtantem, iuxta oram maris Genneſaritici ſeptentrionalem. Vide eius *Itin. Hieroſolym. III, 8, p. 358.*

Beth-Schean, Bethſan vulgo, inter Iordanem & montes Gelboe ſita. Prope eam fons & rivus Tubaniæ. *Oliverius p. 1385 ſeq. Tom. II I. G. Eccardi.*

Bethuel. Locus hic idem eſt ac Bethelia, ſeu Betulia, prope Gazam.

Bethulia, ſita inter Dothaim & Balamon, *Iudith VIII, 3.* *Thevenotus P. I Lib. II Cap. 55 Itinerum* ſuorum *p. 675* poſuit Bethulinum ad mare Geneſariticum. *Cotovicus III, 8, p. 357* credidit, eam inter montem Tabor & mare Geneſaret fuiſſe ſitam. *Iodocus Ioſephus Plumyoen* in *Diſſert. ſelect. in S. Script. Diſſ. II* de ſitu illius egit *p. 65 ſeq.* haud indiligenter. Videtur per eam indicari urbs Iiſreel, quaſi *virgo*, dramate digna.

Beth-zur, Betſoron, Bethaſora. *Cotovicus Itin. Hieroſolym. p. 247* de ea expoſuit. Anonymus in *Itin. Hieroſolym. p. 154* ita: *Bethleemo Bethaſora mill. 14, ubi eſt fons, in quo Philippus Eunuchum baptizavit. Inde Therebintho 9, ubi Abraham habitavit.* De commoratione *Abrahami* exponemus ad vocem *Chebron.*

Betonim in termino Manaſſitidis & Gaditidis exſtitit, ideoque differt a Baſchan, Batanea, Bothnia, Paddan, Vatani. Nomen utrique loco adhæſit ex uberiori terebinthorum proventu. Betonim locus prope Ramatham Gileaditicam recte vocatur.

Bet-

Bettegene, locus cis Damaſcum, cui a læva Anti-libanus & introitus e Galilæa. *Wilhelmus Tyrius XXII, 21.* Vide *Betach.*

Bezanduces, vicus Palæſtinæ, *Epiphanii*, Epiſcopi Salaminienſis, patria. *Sozomenus Hiſt. eccl. III, 32.* Vide *Berſetho.*

Beth-Togarmah e regione adyti, ſeu operti, *Ezech. XXXVIII, 6.* Locus poſthæc dictus Antiochia, eaque ad Orontem ſita. Opertum illud, צָפוֹן, eſt aſylum *Apollinis*, *Daphne.*

Biblus, nunc Biblio, urbs Phœnices, ſeu Syriæ rubræ, in auſtrum reductior Botro tribus milliaribus Germanicis. *Troilo p. 74.* Sita in littore, a *Dionyſio* in *Periegeſi* appellata ἀγχίαλος. Nomen ei eſt ex בבל, *Babel.* Palæobyblus haud procul inde patuit ſpectantibus, Babel illa vetus, cuius fit *Gen. XI, 9*, mentio. Schinar regio eſt Syria Cœle, in quam primi mortales conceſſerunt primi, ex quo progenitor in Arado inſula ſubſtitit cum navi, ac inde in continentem obiectam tranſiit. Eſt alia regio, æque dicta Schinear, apud Chaldæos quærenda. Inſulſas originationes urbis Bibli recenſuit Auctor Paraphraſeos in *Dionyſium Perieg. p. 27 Vol. IV Hudſoni.* Epiſcopum Bibli fuiſſe Secundarium Tyrii, tradidit *Wilhelmus Tyrius XI, 9.* De vinis Biblinis diſſeruit *Athenæus Dipnoſoph. I, 15, pag. 29.*

Biram *1 Chron. XXIX, 19*, fuit caſtellum Hieroſolymis turritum, quaſi *Pergamum*, ex בירה, voce, quæ domum maiorem turritam notat. Cl. *Ikenius*, iunior, ſtatuit, loco tandem adhæſiſſe *arcis*

An-

Antoniæ nomen. Vid. *Supplem. ad Nova Erud. Acta Tom. III Sect. I p.* 47.

Bne-Iabakan, ſtatio Iſraelitarum in deſertis haud procul Kadeſcha auſtrali. Vide *Beeroth-bne-iabakan.*

Bochim, locus iuxta Gilgal prope Iordanem, ubi deplorarunt Iſraelitæ peccata ſua, dictus ex בכה, *flendo. Iudic. II, 5.*

Bohabel, urbs Boſtrum inter & Emiſſam. *Wilhelmus Tyrius XXII, 14.*

Boſorra eſt 1) Betzer in Rubenitide, 2) Iaeſer, ſeu Gazoros, Gaſara, Beth-Iaeſer, contracte Boſor, 3) Bozra, ſeu Petra, in Idumæa. LXX *Geneſ. XXXVI, 33.* Pro Boſorra legitur *Somorra* apud *Ioſephum de Bell. Iud. V*, 4. Prima attribuitur Moabitis *Ier. XLVIII, 24.* Tertiam idem aſſignavit Idumæis *Cap. XLIX, 13*, æque atque *Amos I, 12.* Utraque vocatur *Botzrah*, id eſt, munimentum. Botzrah Idumææ commemoratur præterea *Ieſ. LXIII, 1*, ſi tritis frequentatisque huc uſque translationibus cedendum eſt.

Boſtra, Beeſthera, Beth-Eſthera, *Fanum Aſtartes*, Trachonitidi, regioni prorſus arenti, aquisque inopi, aſſignatur a *Wilhelmo Tyrio XXII, 20.* Caſtellum ibi fuit antiquiſſimum; oppidi auctor eſt *Severus Alexander* Imperator. *Damaſcius* apud *Photium p. 568* in *Vita Iſidori Philoſophi* ſic tradidit, addens, *Bacchum*, ſeu *Dionyſium*, ſeſe recepiſſe Boſtra, & a poſteris eius loci arcem muro cinctam fuiſſe. Regionem, in qua viſitur Boſtra, *Oliverius* vocavit *Arabiam primam pag.* 1381 *Tom. II Eccardi.*

Botros, βότρυς, urbs Phœnices, nunc pagus, inter Berytum ac Byblum, excellens vitibus, unde ei nomen obtigit. *Troilo p. 73.* Arabes locum vocant *Bathrun* & *Patron.* *Scherif Ibn Edriſch* loco tribuit arcem pulchram & diſtantiam ab urbe Gebail, ſeu Byblo, ad decem millia paſſuum, *P. V Clim. 3.* Urbibus Archi, Tripoli, ac Byblo, a parte orientali mons imminet, excelſus admodum, & iuga in ſublime porrigens. Incolas montis huius appellat *Wilhelmus Tyrius habitatores montis Seir*, *VII, 21.* Idem montis nomen iam exſtat *Ioſ. XI, 17.*

Boihnia eadem ac Baſchan & Batanea, ſeu Vatanis, Paddan.

Buria, locus ad borealem oppidi Naim tractum, ſub monte Tabor. *Oliverius p. 1384 Tom. II Eccardi*, & *Wilhelmus Tyrius de Bello ſacro XXII, 14.* Vocatur locus alibi *Tabor. 1 Chron. VI, 77.*

Bus, patria *Elihu*, *Iob. XXXII, 2.* Haud diſconvenit locus *Butis* in Transiordanica, ex terebintho dictus. Hunc enim Syri vocant *Boten*, Arabesque *Bos*. Subeſt locus Bothnia, ſeu Baſchan, voci decurtatae.

Butis, alibi Betonim, Bothnia, Batanea, Baſchan.

Byblus, vide *Biblus*.

Cabul, urbs, dicitur alias Gabala, ſita ad montem Carmelum, urbs equitum dicta. *Ioſephus B. I. III, 1.* Adiecta regio vocata fuit *terra Cabul*, diſſenſionibus nobilis, ac montoſa.

Cadeſch, in Naphtali, abfuit a Paneade milliaribus decem. Collis ibi exiſtit, qui mediocriter eminet. *Wilhelmus Tyrius XXI, 26.*

Caeſa-

Cæſarea littoralis differt non ſolum a Cæſarea Philippi, ſed etiam a Cæſarea Galilææ, ſeu Diocæſarea ultra montem Tabor. Locus portu caret, licet *Herodes Magnus* eum inſtituere ſtuduiſſet. *Wilhelmus Tyrius X, 15.* Diſtat urbs duo milliaria Germanica verſus meridiem a villa Caipha. *Troilo p. 96.* Vicinia noctu perſonat vociferatione ſciacalorum, quos Arabes vocant Vahu, & vates divini *Obim* appellarunt. *Cotovicus Itin. Hieroſol. I, 20, p. 129: Hodie ſuis ruinis ſepulta, deformis tota, ſqualida, & deſerta penitus, iacet -- Ab ortu paludem aquarum dulcium habet. Portum - - Herodes exſtruxit: cuius etiamnum aliqua exſtant veſtigia.* Catalogum Epiſcoporum Cæſareæ exhibere tentarunt *Sandius*, *Harduinus*, ac, præter *Relandum*, *Terzius*. Superavit horum diligentiam D. *Urbanus Godofredus Siberus*, qui *Diſſertationem de Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopis* edidit Lipſiæ A. 1734, 4.

Cain. Kenitis Cananæis locus nomen ſuppeditavit, urbique huic cladem ab Aſſyriis inferendam denuntiavit *Bileamus Num. XXIV, 22.* Suſpicatur *Fourmont*, ſenior, urbem hanc a *Caino*, *Adami* filio, fuiſſe conditam & habitatam, in *Reflexions critiques ſur les Hiſtoires des anciens peuples Lib. II pag. 22.* Locus fuit olim illuſtris, haud procul Carmelia & Chebrone auſtrali ſitus. Exſtiterunt omnino olim oppida, diluvio antiquiora, ſi *Plinio*, de *Ioppe* diſſerenti, eſt fides.

Caipha, Kepha, Gaba, Geba, ad Carmelum prope

mare ſita. Vide Kepha. Vocatur quoque *Parſina. Wilhelmus Tyrius IX, 13, p. 200.*

Calguia annumeratur a *Ptolemæo* Arabiæ Petrææ. Videtur ſubeſſe locus Caleb, unde exſtat gentile *Calbi.*

Camos, Καμῶς *Polybii*, Moabitis tandem ceſſit, *Ier. XLVIII*, 7, 13. A Camon haud differt. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p.* 40 credit, eſſe haud diverſum a Machanaim & Oronaim.

Cana Aſcheritica inter Sareptam ſita eſt & Tyrum, diſtatque a Sarepta in auſtrum uno milliari Germanico, a Tyro duobus. Lauri ibi ſponte proveniunt egregiæ & umbroſæ. Inter Canam & Sareptam fons eſt amœniſſimus, ad quem fortaſſis alluditur *Cant. IV, 15. Troilo p. 81.*

Cana Naphthalitica eminet inter duo flumina, & a Tiberiade vix quatuor diſtat milliaribus, teſte *Wilhelmo Tyrio XXII, 16.*

Caparcatia, urbs Epiſcopalis inter Scythopolin & Cæſaream. Capercotani in *Tabula Peutingeriana* diſtat Scythopoli XXIII m. p. & a Cæſarea XXVIII m. p.

Capernaum ſita eſt iuxta ipſum littus lacus Genneſaritici ſupra ripam Iordanis occidentalem. *Cotovicus III, 8, p. 359.* Exſtiterunt ibi ætate *Cotovici* quatuor, vel quinque, tantum tuguriola Maurorum, *p. 360.* Antequam Tiberias excreſceret, Capernaum admodum floruit. At hæc dudum in ruinas ſubſedit. *Troilo p. 566.* Reſpondit enim prædictioni Ieſu ipſe eventus.

Caphar-Chanan eſt *Beth-Chanan*, ſeu *Ono*, ſupra

Ioppen.

Ioppen. Talmudici ſolent urbibus præfigere vocem כפר, *Kephar*, quæ *vicum* notat. Quare non dubito, quin Capharbiſch ſit Beer-ſcheba, Capharacco ſit Acco, ſeu Ptolemais, Capharbarkai ſit Bne-barka, Capharbarica ſit vallis benedictionis ad Engada, Capharchananja ſit Cana & Sogane, Caphardago ſit Beth-dagon, Caphar-derom ſit Darom, Deron, prope Aſcalona, Capharſaba ſit Beerſcheba prope Gazam in Geraritica & caſtrum Verſabinum, Capharſecanja ſit Sogane, Cana, patria *Iacobi*, Apoſtoli. De hac vide b. m. *Theodori Haſæi* Diſſ. *de Naphthaliti-de Apoſtolorum patria Cap.* 2 *§.* 123 *p.* 117 *ſeq.* in *Sylloge Diſſertationum & Obſervationum philologicarum.*

Caphra. Ita vocat Interpres Samaritanus urbem Ai. *Gen. XIII,* 3.

Carcor, *Iud. VIII,* 10. Locus prope Nobach & Iagbeha. *Hermannus von der Hardt* ſuſpicatur in *Medabenis p.* 108, eum alias dici Kedar, Carne, Aſtharothcarnaim, & Gedar.

Carmel, Carmelia, Chermula, patria *Abigailæ*, 2 *Sam. II,* 2, & *Chezravi*, herois Davidici, 2 *Sam. XXIII,* 35. *Samuel* ibi *Saulum* reprehendit 1 *Sam. XV,* 12. *Raſchi* fruſtra ibi montem Carmelum ob oculos habuit. Viculum ibi veterem & ingentis magnitudinis piſcinam deprehendit *Wilhelmus Tyrius XX,* 30.

Carnain. Nomen profluxit ex bifido monte, cui urbs interiecta. Montium enim curvatorum extrema veteres dixerunt *cornua*. *Strabo Lib. IX p.* 395.

Carra, Edeſſæ ad Euphraten vicina, habetur vulgo pro Haran, ſuffragante *Wilhelmo Tyrio X, 29.* Sed falſo.

Carthan. Inde *Iudam Scarioten*, ſeu *Iſcariothen*, fuiſſe dictum, ſibi perſuaſerat *Ioann. Gothofredus Lakemacherus Obſerv. philol. Lib. V Obſ. 4.*

Casbon, *1 Macc. V, 36.* Eſt Hesbon, ſeu Chesbon, in Rubenitide trans Iordanem.

Caſtra, Caſtrum peregrinorum, Petra inciſa, Tortora Saracenice, decem milliaribus ſitum ab Arit, cuspidem, in mare ſe extendentem, occupat, foſſisque a continenti diviſum, ac fluctibus marinis circumdatum, inſulam efficit, formamque refert quadrangularem, muris undique cinctum, ac quinque turribus inſtructum. Hanc munitionem inter ſcopulos *Raimundus*, Comes Tholoſanus, regnante *Balduino* primo, ad peregrinorum ſecuritatem exſtruxit. Sita fuit in promontorio inter Caipham & Cæſaream. *Oliverius* in *Hiſtoria Damiatina p. 1399 Tom. II Eccardi*, & *Cotovicus I, 20, p. 128.* Hodie hæc arx iacet neglecta, ruinoſa, & habitatore vacua.

Cayphas, Kepha, Cheva, Geba, ætate *Oliverii* oppidum munitum *p. 1359 ſeq.*

Kedar, locus & regiuncula in Arabia Petræa prope Ailan verſus Orientem. *Plin. V, 11.* Saraceni poſtea dicti ſunt & Kedareni & alii populi circumvicini. *Cellarii Geogr. ant. III, 14.*

Kepha. Villa eſt ad montem Carmelum, eiusque ad radices a meridie. *Troilo p. 94*, qui credit, eam olim dictam fuiſſe *Porphyriam.* Hivo, Cayphas, Geba, Kepha, idem locus.

Keſib,

Keſib, Keſibah, urbs ſub Hieroſolymis prope Makkedam. Numi, in ea cuſi, & ad commercia adhibiti, vocantur in *Baba kama Cap. 2 f. 79* מעות כוזביות, *numi Coſebenſes*. *Lightfootus* in *Marc. XII, 16, p. 637*, eos a Ben Cozba putat percuſſos.

Kerioth alia exſtitit in Moabitide *Ier. XLVIII, 41*, a Kiriathaim diſtinguenda *v. 23, 24*. Errat *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p. 48*, qui per utrumque locum deſignari putat Callirrhoen. Kerioth, ſeu Cariada, fuit vicus prope Medabam, decem inde milliaribus Romanis verſus occaſum prope Barin. *Euſebius* confudit Cariadam cum Kiriathaim.

Chabolo; Zabulon, Gabala, Gamala, Cabul, idem locus, dictus ex indole montana & ſterili. Arabes montem vocant *Gebl, Gabal*.

Chabor, *2 Reg. XVII, 6*. Amnis, Euphraten ex Meſopotamia ad Circeſium influens, cum caſtello nominis eiusdem. *Ptolemæo* χαβώρα, *Chabora*. *Simocatta* caſtrum id vocavit Ἀβορέων φρέριον, *Aborenſium caſtellum, IV, 10*.

Chabratha. Alexandrini Interpretes vocem Hebraicam כִּבְרַת *Gen. XXXV, 16*, pro urbe, vel vico, habuerunt. Ex hac perſuaſione manavit hæc interpretatio: Ἐγένετο ἡνίκα ἤγγισεν Χαβραθὰ εἰς γῆν ἐλθεῖν Ἐφραθᾶ, *accidebat, cum appropinquaſſet loco Chabratha venturus in terram Ephratæ*. Iudæi recentiores diſſentiunt in definienda vocis כִּבְרָה ſignificatione ac poteſtate. Forma tamen ſtructuræ כִּבְרַת הָאָרֶץ

 impe-

impedit, quo minus nominis proprii ratio hic poſſit haberi. *Tractum regionis illius* deſignari, inficiabitur nemo.

Chadrach, Hadrach, *Zach. IX*, *1*, *2*, prope Damaſcum & Chamath, ſeu Heliopolin. *Ioannes Oldermannus* peculiarem de terra Hadrach edidit Diatribam, eamque coniectavit eſſe *Trachonitin*. Si quid iudico, deſignatur Adra, *Ptolemaeo* & *Cotovico* notiſſima. Conſentiunt *Auguſtinus Calmetus* & *Petrus Zornius*. Ille *Tom. I Dictionaire hiſtorique, critique,-- de la Bible p. 31, 355;* hic vero in *Muſeo Bremenſi Vol. I p. 286.* Regio *Aradra* adhuc exſtat ad ſeptentrionale Damaſci latus, vocata a *Maundrello* planities Ardara, id eſt, Art-adrahh.

Chalach, חְלַח, *2 Reg. XVII*, *6*, una ex urbibus, in quas *Salmanaſſer*, Rex Aſſyriorum, abreptos Iſraelitas relegavit. Memoratur eadem *Gen. X*, *11*, dicta כלח, *Calach*. Regio Calachena, ſeu Calacine, pertinuit ad Tigrin, pars Aſſyriae, nota *Straboni Lib XI* & *Ptolemaeo VI*, *1*. In exilium transducti fuerunt reliqui Iſraelitae ad loca Chabor, Nehar, & Goſan, id eſt, Aboram, Singaram, & Chazenam, a qua tractus Aſſyriae dictus fuit *Chazene*, *Straboni* notus.

Chali dicitur Chelba *Iud. I*, *31*, alibi Chilſon & Porphyreon, ad radices Carmeli prope mare ſita.

Chamath, Emath, Ematha, 1) Damaſco vicina *Ez. XLVII*, *15*, 2) limes terrae Iſraeliticae verſus ſeptentriones *1 Chron. XIII*, *5*, *Num. XIII*, *21*, 3) ſita ad auſtrum Eleutheri *1 Macc. XII*, *30:*

4) An-

4) Antilibanum inter & flumen Phrath, id eſt, Orontem, *1 Par. XVIII, 3,* 5) gaviſa territorio amplo, in quo ſita fuit urbs Riblath, *2 Reg. XXIII, 33,* 6) ratione terræ adiectæ confinis fuit terræ Aradiorum, *Ier. XLIX, 23.* Quæ ſingula momenta quadrant ad Heliopolin, quæ nunc ab Arabibus vocatur *Balbec*, id eſt, ſolis vallis, ſeu *Bikat Aven*, בִּקְעַת אָוֶן, *Amos. I, 5.* Vide Cel. *Petri Zornii Diſſ. de Heliopoli Libaneſia* in *Muſeo Bremenſi Vol. I P. II p. 282.* Urbs inſidet monti in planitie ſpatioſa. Fontium ibi eſt abunde, & ad radices montis emanat amnis, qui complura animat molendina, quemadmodum ex Arabe *Ebn-Werdi* refert *Renaudotus T. II des Memoires de litterature tirez des regiſtres de l'Academie Royale des Inſcriptions & belles lettres p. 508 ſeq. De la Roque* admodum meritus fuit de antiquitatibus Heliopoleos *Tom. I Itineris Syriæ ac Montis Libani*, quod ipſe Gallice edidit. Secundum iter *Antonini*, ſeu *Æthici*, Damaſcum inter & Abilam interſunt mill. paſſ. Rom. XXXVIII, Abilam vero & Heliopolin m. p. XXII. Emeſam eſſe Chamath, exiſtimavit *Relandus p. 317. Ioſephus* incidit in Epiphaniam, *Abulfeda* & *Haſius* in Hamam, Chaldæus interpres in Antiochiam *Num. XIII, 22. Riblat* eſt Rephanea, de qua *Stephanus:* Ἐπιφάνεια, πόλις Συρίας κατὰ Ῥαφανέας ἐν μεθορίοις Ἀράδου, *Epiphania, urbs Syriæ iuxta Raphaneas in confiniis Aradi.* Heliopolis vero 1) eſt Damaſco vicina, 2) limes olim terræ ſanctæ, per *Ioſuam* diſtributæ, borealis, 3) ſita ad meridiem

reſpectu Eleutheri fluminis, 4) inter Antilibanum & Orontem, 5) territorio ampliſſimo inſtructa, 6) a ſole denominata, ſiquidem חמה eſt *ſol Iob. XXX, 28*, ex חום, *calore, æſtu*. Alibi hæc fuſius. De Balbech conferantur *Troilo p. 72*, & *Oliverius p. 4381 Tom. II Eccardi.*

Chammath Dor, thermæ Taricheæ ad occaſum Tiberiadis, vulgò thermæ Tiberienſes, de quibus Diſſertatio peculiaris exſtat *Ioannis Chriſtophori Wichmanshauſeni* Viteb. 1701, 4. Locus vocatur alibi Chammath, Ammaus, Chammot Dor, Emmaus, & Amathus. Vid. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p. 15, 82*, & *Ionæ Korteni Reiſe nach dem gelobten Lande p. 221 ſeq.* Altenoæ, 1741, 8.

Chammath Gadarena, חמת גדר, thermæ Gadarenæ in Transiordanica, villa prope Gadara, ubi calidæ aquæ erumpunt. *Euſebius* eam vocat Aimath & Emmatha. *Hieronymus:* Gadara, urbs trans Iordanem contra Scythopolin & Tiberiadem ad orientalem plagam ſita in monte, ad cuius radices aquæ calidæ erumpunt balneis deſuper ædificatis.

Chammath Zobah ſunt thermæ in oppido Callirrhoe prope Baris in Transiordanica infima. *Plinius H. N. V, 16, Ioſephus B. Iud. I, 33*, & *Ant. Iud. XVII, 6*, ac *Euſebius Hiſt. Eccl. I, 8.*

Chanoch, urbs, a *Caino* in memoriam filii condita, quæ a *Furmontio*, ſeniori, habetur pro Hannunca in Syria circa Cyrrheſticam, memorata in Itinerario *Antonini*. Regionem Ned idem pro Phœnice reputat. Attingit *Plinius* Notitas, gen-

tem

tem Meſopotamiæ meridionalis. *Fourmont* in *Reflexions critiques ſur les Hiſtoires des anciens peuples Lib. II p. 22.*

Characmoba dicta eſt ex כרך & מואב, quaſi *urbs Moabitidis. Ptolemæus* ei tribuit long. 66, 10, lat. 30, 0.

Charada, ſtatio 21 Iſraelitarum in deſertis inter Sinai & Kadeſch in Arabia Petræa.

Charan, urbs Transiordanica in regione Paddan-Aram, ſeu tractu loci Bataneæ, Baſchan, Bothnia, ad ortum Iaboci, nobilitata domicilio *Abrahami, Bethuelis, Labani, Iacobi.* In *Tabula Peutingeriana* dicitur *Acre.*

Charuz. Vallis quædam, quæ etiam *Ioſaphati* dicitur *Iocl. IV*, 14. Eſt autem ad Emmaunta planities, ubi *Iudas Maccabæus* concidit Syros, 1 *Macc. IV*, 14, *III*, 40, 57. Dicitur ab *Ezechiele* hæc vallis הָמוֹן, *multitudinis*, ob multos ibi occiſos. Videtur ſubeſſe quædam ad vocem Emmaunta alluſio.

Chatzer Enan Num. XXXIV, 9, 10, *Chatzer Enon Ez. XLVII*, 17, locus in Syria haud procul Damaſco, *Ina Ptolemæi. Harſenna*, ſuburbium Damaſci, ex *Scheriſo* pateſcit *P. V Clim.* 3. Pagum *Sinie Maundrellus* vidit, diſtantem Damaſco verſus Tripolin tribus horis & ultra, prope flumen Barrady, ſeu Chryſorrhoam.

Chatzer hattichon, ad meridiem Damaſci *Ez. XLVII*, 16, *XLVIII*, 1, verſus Chavran, ſeu Avran. Quam ob cauſam inveſtiganda ſunt Trachonitidis loca. Aere locus, qui videtur eſſe Avran, diſtat a Damaſco XXXII m. paſſ. Rom.

&

& a Gadara octoginta & octo m. p. Trachonitis nunc ab Arabibus vocatur Sgif, id eſt, *petroſa*, arida, & ubique ingrata. De natura hac aſpera & impedita conſentit *Ioſephus Ant. Iud. XV, 13.* Trachonitis nunc regiones complectitur duas, quarum una dicitur *Margiiam*, altera vero *Hhuran*. Hæc eſt Avranitis. Vid. *de la Roque T. I p. 185.* Ergo Chatzer hattichon fuit locus in regione, Margiiam appellata. Nomen Syriacum, vel Arabicum, aliis exquirendum permittimus.

Chatzeroth, 1) ſtatio Iſraelidarum inter Sinai & Kadeſch, *Num. XI, 35*, 2) locus in Transiordanica, *Devt. I, 1. Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p. 11* putat, denotari Machæruntem.

Chatzor, 1) locus regii dominatus, coniunctus cum Kedar, *Ier. XLIX, 28.* Incolæ dicuntur *Bnekedem*, Saraceni. Videtur indicari *Charax Plinii VI, 28.* De Cedreis idem pauca prodidit *V, 11.* 2) Locus in tribu Naphtali, dictus alibi Ἄζωρος, *Aſorus*.

Chavilah, locus in confiniis Amalekitarum. Amalekitas Rex *Saulus* delevit a Chavila usque ad Schur iuxta introitum Ægypti, *1 Sam. XV, 7.* Iſmaelitæ in eodem tractu dicuntur commorati, *Gen. XXV, 18.* Unus fluviorum dicitur alluiſſe terram Chavila, Εὐιλὰ, *Gen. II, 11.* Nomen videtur ortum ex *Chavila*, filio *Cuſchi Gen. X, 6.* Amalecitæ ſedes habuerunt, ab Idumæa dignoſcendas, a Kadeſch per Hhorma usque ad Engada, ſeu Chazazon-Tamar, continuatas. Id ipſum pateſcit ex *Gen. XIV, 5.* Habitarunt in

Daro-

Daroma, ſeu plaga Cananææ auſtrali, *Num. XIII, 30*, ad ſeptentriones montis Hhoreb *Ex.XVII, 8*. Locus Hhavilah vocatur Olam *1 Sam. XXVII, 8*, additurque, Geſchuræos, Girſæos, & Amalekitas, ſedes habuiſſe ab Olam, usque quo aditus pateat Schurem & usque ad terram Ægypti. Quo ipſo intelligitur, terminum Amalecitidis occidentalem fuiſſe emerſum, qui ex lacu Sirbonio, teſte *Dionyſio* in *Perieg. v. 253*, ſeu a monte *Caſio*, comprobante *Herodoto III, 5*. Reſtat, ut terminum alterum, occidentali illi oppoſitum, indagemus. Hoc enim facto, pateſcet locus *Chavilah*, ſeu *Olam*. Succurrit locus *Elim* ad latus orientale Sirbonii maris, & ad Orientem Rhinocoruræ, *Ex. XV, 27*, *Num. XXXIII, 9*. Exiſtimarem, loca Elim, Olam, & Hhvila, haud differre, niſi tractus Amalekitarum verſus plagam orientalem ulterius patuiſſet. Kedor Laomer enim per montes Seir penetravit a partibus ſeptentrionalibus usque ad *El Paran in deſertis*, id eſt, vallem (El, Elah, Aulon,) campeſtrem Pharan, atque inde reverſus boream verſus venit ad En-miſchpath, ſeu Kadeſch, ac inde progreſſus fuit verſus medium ripæ occidentalis bituminoſæ ad Engada. Cum idem tenderet Kadeſcha verſus Engada, invaſit regionem Amalekitarum, *Gen. XIV, 5, 6, 7*. Adde, quod Kenæi, qui tenebant Aradum urbem & Kain, ſparſim habitarunt inter Amalekitas *1 Sam. XV, 6*, *Num. XXIV, 20*, ac *David* profectus fuit in tractum tribus Iudæ meridionalem, ubi Ierahhmeelitæ & Kenæi habitabant, cum Amalekitas eſſet de-

præ-

prædaturus *1 Sam. XXVII, 11*, prouti quidem fingebat. Re vera autem infeſtavit alio in loco Amalekitas, ſimulque accolas & vicinos eorum Geſchuræos & Girſæos *v. 8*. Id certe hinc perſpicitur, Amalekitas habitaſſe usque ad Kenæos. Si diluceret ſitus loci Olam, in expedito eſſet fere ſitus loci Chavilah. At hic nobis hæret aqua. Reiicienda eſt igitur hæc inveſtigatio geographica in felicioris inventionis tempus. Monere tamen liceat, probabilem videri opinionem *Ioannis Matthiæ Haſii*, qui per Chavilah intelligit Ailam ad ſinum Elaniticum. Ailam certe & Olam vix diſcrepant ſono.

Chavran, caput provinciæ Avranitidis, ſeu Abranitidis, quæ nunc vocatur *Hhuran*, ac provincia eſt Batanæam inter & Trachonitidem. Legitur nomen Chavran *Ez. XLVII, 15*, alibi vocatum Hharan, ſeu Charan, & Ære, Gerra. Harana *Abrahami* fuit occidentalior.

Chebron, Hebron, Ebron, exſtitit alia in tribu Iuda *2 Par. XI, 10*, alia iuxta Mamre, ſeu Mamortham, id eſt, Sichem, *Gen. XIII, 18*. Sichem olim dicta fuit Mabartha, More, & Mamortha, quod ipſe *Relandus* largitur & comprobat *pag. 1004*. Elon Mamre non eſt quercus Mamre, ſed aulon, ſeu planities intra convallem ad Mamortam, ſeu Sichem. In urbe ſeptentrionali Chebron prope Sichem commoratus fuit *Abrahamus*, non in auſtrali. Iuxta illam, non hanc, habitarunt Chittæi. Quicquid igitur de ſepulcro *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Iacobi*, ad Chebronem auſtralem determinando, circumfertur, illud fabulo-

bulosum eſt, & a Judæis excogitatum ea ætate, qua ipſi ab Iſraelitis ac Samaritis fecerant ſeceſſionem.

Chelam & Challamiſch haud differunt. Loco a rupe duriori & ſilice nomen adhæſit.

Chelbon, locus haud procul Damaſco vitibus vinoque nobili illuſtris, *Ezech. XXVII*, 18. Exteris locus dicitur Chalybon. *Heſychius:* Χαλυβώνιος οἶνος εἶδος ὄινε ἀπὸ τόπε τινὸς τῆς Συρίας. *Athenæus* refert *Dipnoſ. Lib. I p.* 28, id provenire in agro Damaſceno, Regemque Perſidis *Poſidonium* potu illius ſeſe oblectaſſe. *Biblioth. Brem. Claſſ. VIII p.* 357. Reliqua alias.

V.

FRANCISCI CAROLI CONRADI, JCti, SERENISSIMO BRVNOVICENSIVM AC LVNAEBVRGENSIVM DVCI A CONSILIIS AVLICIS, ET IN ACADEMIA IVLIA ANTECESSORIS,

IN LOCA QVINTILIANI INSTIT. ORATOR. LIB. VI CAP. I ET III DE VSU PICTVRARVM IN IVDICIIS APVD ROMANOS CONIECTVRAE.

Inter artificia, quibus oratores ad commovendos iudicum animos uti conſueverint, picturas memo-

morat *M. Fabius Quintilianus Inſtit. Orator. Lib. VI Cap. I*, ipſe eum morem haud probans. *Quae enim eſt*, inquit, *actoris infantia, qui mutam illam effigiem magis, quam orationem, pro ſe putet locuturam?* Ita tamen factitatum eſſe, exempla, ab ipſo relata, oſtendunt, quale quid, ibidem ſcribit, ſe & legiſſe, & ipſum aliquando vidiſſe; *depictam tabulam ſupra Iovem in imaginem rei, cuius atrocitate iudex erat commovendus.* Simile mox ſubiicit factum: *Alius imaginem mariti pro rea proferre magni putavit: at ea ſaepius riſum fecit. Nam & ii, quorum officii erat, ut traderent eam, ignari, qui eſſet epilogus, quoties reſpexiſſet patronus, offerebant palam, & prolata noviſſime, deformitate ipſa (nam ſenis cadaveri infuſa) praeteritam quoque orationis gratiam perdidit.* Tertium exemplum addit, *imaginem Saturnini*, contra quam pro *Rabirio* graviter dixerit *Cicero;* cuius rei pleniſſimam fidem facit ipſa eius Oratio *pro Rabirio Cap. 9.* Aliud porro inprimis memorabile narrat *Fabius eiusdem Libri Cap. 3* his verbis: *Refutatio cum ſit in negando, redarguendo, defendendo, elevando, ridicule negavit Manius Curius. Nam, cum eius accuſator in ſipario, omnibus locis, aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemtum ex alea, pinxiſſet: Ergo ego, inquit, nunquam vici?* Singula haec loca, uno, qui Orationis, contra imaginem *Saturnini* a *Cicerone* directae, mentionem facit, excepto, aliquid perplexi habent, digna proinde interprete, quem nacta ſunt, Celeberrimo *Geſnero*, cum in lectiſſimis, quibus *Fabium* illuſtravit, commentariis, tum in erudita proluſione,

quam

quam *Quintiliani ſpario*, ante biennium edidit. Neque tamen, quæ eſt Viri eximii humanitas, vereri licet, ne noſtras coniecturas inique ferat, a quo meliora doceri, ſemper erit nobis iucundiſſimum.

In primo loco, manifeſte corrupto, nullas eſſe *Iovis* partes, lubentes aſſentimur, niſi forte placeat Cl. *Heumanni* ſuſpicio, legendum eſſe: *depictam tabulam, ſupra Iovem, infra imaginem rei;* hoc ſenſu, ut intelligatur, in ipſa tabula pictum in ſuperiore parte fuiſſe *Iovem*, cœlo proſpectantem, ceu teſtem & vindicem ſceleris perpetrati, quod ipſum facinus in parte inferiore tabulæ repræſentatum, cuius atrocitate iudex erat commovendus. In mentem vero mihi aliquando venit, levi emendatione adhibita legi poſſe: *depictam tabulam ſupra verum in imaginem rei, cuius atrocitate iudex erat commovendus.* Dixerit igitur *Fabius*, ita depictam tabulam, in eaque ſcelus commiſſum ita oculis ſubiectum fuiſſe, ut pictor ultra facti veritatem addiderit quædam, ad exprimendam maiorem facinoris atrocitatem, qua iudex vehementius afficeretur.

Altero loco in verbis: *deformitate ipſa, nam ſenis cadaveri infuſa*, tanta eſt lectionis varietas, ut, ſua *Quintiliano* verba reddere, difficile merito viſum ſit Viro doctiſſimo. Sententiam vero perſpicuam eſſe cenſet, imaginem ſenis gypſo, cadaveri, quod naturaliter mors deformaverat, inducto, cera in eam formam infuſa, effictam, inde & ipſam deformem exiiſſe; quæ explicatio etiam *Turnebo* & *Burmanno* placuerat. Quamvis autem ratio illa hominis imaginem gypſo ex ipſius facie,

 cera

cera infuſa formæ, exprimendi, Romanis uſitata, & a *Lyſiſtrato* inventa, perhibeatur a *Plinio Hiſt. nat. Lib. XXXIV Cap. 12;* neſcio tamen, anne præſtet, illius artificii mentionem haud obtrudere *Fabio*, planius, ni fallor, ita locuto: *& prolata noviſſime deformitate, ipſa natura ſenis cadaveri infenſa, præteritam quoque orationis gratiam perdidit.* Senſus eſt: imaginem ſenis, ſub finem orationis opportune tandem prolatam, gratiam orationis perdidiſſe deformitate, quæ, ut naturaliter fit, cadaver ſenis inſederat; quare ipſa natura dici poterat infenſa ſeni occiſo, cuius miſeratio ne ex voto patroni animos ſpectantium commoveret, ſed ut contrario eventu hi in riſum ſolverentur, fœditas imaginis prolatæ in cauſa erat.

Pluſculum nos morabitur poſtremus locus, in quo maximam difficultatem creat, quod accuſator dicitur *reum in ſipario omnibus locis, aut nudum in nervo, aut ab amicis redemtum ex alea, pinxiſſe. Burmannus*, integritate lectionis in dubium vocata, *quis enim ferat*, ait, *aliquem pingere in ſipario omnibus locis? Si in ſipario, certe in uno tantum loco; an ſiparia vero plura ubique ſuſpendiſſe accuſator dicetur?* Cel. *Geſnerus* coniicit, ſiparium illud, ſive velum pictum, in plura quaſi loculamenta lineis diviſum, & in ſingulis pictum fuiſſe alio in loco, apud alios homines, aleatorem eundem reum, *Curium*. Solenne enim eſſe, unius eiusdemque hominis diverſas quaſi ſcenas diverſis picturis, deinceps collocatis, repræſentari, ut aſoti illius apud *S. Lucam*, nunc diſcedentis a patre, nunc epulantis genialiter, nunc paſcentis porcos, e. i. g. a. Hoc enim

enim voluiſſe *Curium* ridicula illa negatione accuſatori dicere: *Debebas me etiam pingendum curare, ubi vicerem, ubi laute excipiebam colluſores.* Poterant monumenta ex Romana antiquitate exempli cauſa afferri, quæ, pluribus areis, ſive faſciis, diſtincta, in ſingulis alia atque alia facta exhibent; qualis eſt baſis marmorea, quam exhibet *Raph. Fabrettus de Columna Traiani Cap. 3 p. 81*, & tabella Iliadis, in calce eiusdem operis *p. 315* edita. Sed recte iudicavit Vir doctiſſimus, operæ pretium ſe inprimis facturum diſquiſitione de ſipario, eiusque in foro uſu & proprio, quo ſuſpenſum fuerit, loco. Ubi poſtquam forum & tabulis pictis ornatum, & velis inter columnas porticuum expanſis inumbratum, oſtendit, tribunal fuiſſe velut ſcenam quandam, in qua agerentur fabulæ, ſipario etiam aliquando inſtructum ab actore, idque ad cauſam accommodatum fuiſſe, docet. Veli, ſive ſiparii, uſum in veteri tribunali iam fuiſſe, colligit ex recentiorum tribunalium ratione, in quibus erat *ſecretarium* quoddam iudicum, velo clauſum, a *Iac. Gothofredo ad l. 1 C. Theod. de Offic. Rect. prov.* præclare illuſtratum. Exiſtimat vero, applicatum v. g. tribunal ad porticum, aliquot gradibus elevatam; ex ea porticu velut in pontem quendam procurrentem prodeundum fuiſſe in tribunal; ipſum illum progreſſum inter duas columnas munitum fuiſſe cancellis, obtentum ſipario, obſeſſum apparitoribus, ne ex publica porticu multitudo irrueret in tribunal, turbaret iudicium; hoc ſiparium, tribunalis ingreſſui obtentum, hoc oſtiarium, hoc περιπέτασμα, accommodare ad cauſam ſuam per-

-miſſum nonnunquam litigantibus. Docte hæc omnia & ingenioſe. Favet non ſolum, quod *Cicero pro Cluent. Cap. 34* ait: *Gradus illi Aurelii tum novi quaſi pro theatro* (i. e. ſpectaculis, ſive gradibus, unde ſpectatur,) *illi iudicio ædificati videbantur; quos ubi accuſator concitatis hominibus compleverat, non modo dicendi ab reo, ſed ne ſurgendi quidem, poteſtas erat;* verum etiam quod *Franc. Polletus Hiſt. fori Rom. Lib. I Cap.* 7 probavit, accuſatores conduxiſſe inſtrumentum fori, tribunal, ſubſellia, reliquum apparatum, ab ærario, eaque redemta collocaſſe in ea fori parte, quam commodiſſimam ſibi arbitrabantur. Si, locum iudicii eligere & inſtruere, fuit in accuſatoris arbitrio; ſane etiam facultas ei fuit, vela, ſive ſiparia, comparandi, quibus ſcenæ, id eſt, actioni inſtituendæ, ſerviret.

Hoc tantum reſtat, ut proprius ſiparii uſus in foro luculentius demonſtretur. Eam vero demonſtrationem non aliunde petemus, quam ab ipſo *Fabio*, eo Capite, cuius quædam loca nos occupatos habuerunt ſupra: nimirum ubi, ea *velut ſcenice fieri*, dicit, hoc eſt, in iudicio & inter ſubſellia quaſi in ſcena fabulam agi, quando ad ciendos iudicantium affectus talia fiunt, qualia fieri ſolita, exemplis iſto loco declarat. Huic itaque rei proprie inſerviit ſiparium, ſive *mimicum velum, ſub quo latebant paradoxi, cum in ſcenam prodirent*, ſicut Scholiaſtes *Iuvenalis Sat. VIII v. 186* definit, ex theatro in forum & iudicia translatum, ut ſub illo ſive homines, quos producturi erant, ſive ſimulacra, quæ proferre deſtinaverant patroni, deliteſcerent in

uſum

uſum *epilogi*, in quem talia inopinato oſtentari, & demum *ſipario complicato ſcenam diſponi*, ut *Apuleius* ait, omnino intererat, omniſque vis artificii adhibiti ex eo momento pendebat. Hanc opportunitatem cum, ut oportebat, haud procuraſſet, fine ſuo prorſus excidebat patronus ille, qui imaginem mariti pro rea proferre magni putaverat; ſed ea ſæpius riſum fecit, dum ab iis, qui eam in tempore tradere debebant, ignaris, qui eſſet epilogus, quoties ille reſpexerat, offerebatur palam, & prolata noviſſime quoque deformitate ſenilis cadaveris omnem præteritæ orationis gratiam perdebat. Videor autem mihi nunc in primo, quem coniecturis meis tentavi, *Quintiliani* loco haud obſcura ſiparii olim ibi quoque ſuſpenſi veſtigia animadvertere, quod facillimo negotio reſtituetur, legendo: *Sed non ideo probaverim, quod factum & lego, & ipſe aliquando vidi, depictam (in) tabula ſipariove imaginem rei, cuius atrocitate iudex erat commovendus.* Duo ſunt diſcreta facta, de quibus *Fabius*, alterum ſe legiſſe, alterum vidiſſe, inquit, ad quorum alterum pictura in ſipario referenda. Librarium ex voce illud, *ſipariove*, dictantis minus recte percepta illud *ſupra Iovem* hauſiſſe, & particulam *in* vel traiectam, cum *Fabius* ſcripſiſſet, *in tabula*, vel ex initio ſequentis vocabuli, *imaginem*, repetitam eſſe, haud difficile eſt ad credendum.

VI.

MATTHIAE BELII OBSERVATIO HISTORICO-PHYSICA DE ANTRO RIBARIENSI, HALITVS NOXIOS ERVCTANTE.

I.

Lethales ſpecus paſſim per orbem terrarum obſervarunt veteres iuxta & nuperi ſcriptores. Non eſt inſtituti mei, eorum vel nomina tantum adducere. Fuſe id genus ſcrobes, ſeu antra, & horum halitus, *Georgius Agricola* proſequitur *Lib. IV de Natura eorum, quae effluunt e terra.* Domeſticum Hungariae antrum, quod eſt in Comitatu *Zolienſi*, ad vicum *Ribar*, deſcribendum mihi propoſui; partim, ut rem omnem ex vero expromerem, partim, ut ſcriptorum detegerem aberrationes. Meminit antri huius laudatus nunc *Agricola* eodem, quem citavi, loco. *Nec pars Ungariae*, inquit, *quondam Dacia dicta, libera eſt a peſtilentibus ſpiraculis: quae a Neüſohla, oppido, aeris metallis claro, abſunt circiter ſex millia paſſuum; haec interdum aves, quae advolarint, & reliquas animantes, quae acceſſerint, ſolent necare.* Male Neoſolium Dacia concludi,

cludi, ſuo loco (a) monui; de peſtilentibus ſpiraculis, quæ accuſat *Agricola*, infra diſpiciam. Ad eum fere modum *Wernherus* eiusdem *Ribarienſis* antri meminit (b), quem iam non eſt opus exſcribere; quippe qui propoſitum habeam, meas ipſius αὐτόπτου obſervationes paucis recenſere.

II. *Ribar* vicus eſt Zolienſis Comitatus, ſeſqui milliari, ſecundo amne Grano, *Neoſolio*, in meridiem depreſſus, quem loco (c) nunc citato memoravimus. In huius agro, collina in orientem poſitione, Thermæ ſcatent, exquiſitæ quidem ſalubritatis, ſed ingenii admirabilis, quas iam non vacat expromere. A thermarum iſtis ſcatebris, ſexcentis circiter paſſibus, ad ſolem meridianum, ſpecus hæc, ob noxios, quos eructat, halitus iam pridem infamis, in lætæ valliculæ exiguo quodam, ſed graminoſo, prato ſe adaperit, habetque vicinum fontem acidum, ad potandum ſic ſatis idoneum. Olim, dum incurioſior iſtiusmodi portentorum ætas fuit, vix erat quisquam, qui animum advertiſſet ad ſcrobis inuſitatæ ingenium. Ergo, ſibi quaſi relicta, & dumis circumdata, raro, aut nunquam, adibatur. Fuit vero tunc ad fontis modum, aquas ubertim eructantis, comparata, quæ, altius ſalientes, non ſecus circumquaque dimanabant, quam id in ſilanis fieri advertas, ubi aqua ex

 fuſore,

(a) *Notitiæ Hung. Novæ Tom. II*, in *Hiſtoria Comitatus Zolienſis, Parte pen. Memb. I §. XII p. 3016.*

(b) *De Admirandis Hungariæ aquis.* Et hunc ſecuti innumeri alii.

(c) *Tom. II p. 504 num. 20*

fuſore, in cadum ſaliens, iterum defluit, dum meatus arte factos ſubeat. Aquæ indoles lapideſcens fuit, quippe, longo affluxu, tophum generans, in eam ſenſim molem, circa os fontis, excreſcentem, ut collis poſtea ſpeciem retulerit, quo quidem tophacei lapidis incremento ipſa demum ſcaturigo adobruta eſt; quando nequibat latex ad ſumma fontis labra, ſicuti fiebat antea, bulliendo proſilire. Acceſſit ruſticorum fontis præfocandi ſtudium, ne eſſet, quod iumentis ſuis metuerent poſtea.

III. Hic vetus ſcrobis, an fontis, habitus fuit, cuius veſtigium apparet hodieque, in meridionale prati latus, ad ſilvoſi collis pedem reductum. Poſtea, cum ſubterraneæ atque uberes aquarum venæ, occultis meatibus, e nupero eo fonte dimanarent, factum eſt, ut reſolutam humum, proxime ad priſtinam illam ſcaturiginem, ſubruerent, atque, dehiſcente prato, novum hiatum aperirent. Hic demum noxios illos halitus eructare, & iterum cum avibus, tum alii animantium generi, exitialis eſſe, cœpit. Advertere agreſtes accolæ, non cavernam tantum, fatiſcente humo, loco antehac continenti, recenter factam, ſed perniciabiles etiam eius exſpirationes, quando nunc aves enectas, nunc proſtratas feras, ultimo paſcentia iſtic iumenta ſubito exanimata, reperiebant. Dici nequit, quantis execrationibus inviſam ſpecum ruſtica plebs inſectata ſit; tanquam quæ ab irato Numine depreſſa, toti illi agro perniciem, ſibi exitium, aut iamiam minaretur, aut portenderet in poſterum. Oſtenti

fama

fama late didita; Avernum hi, Orcum illi, alii hiatum *M. Curtii* facinore expiandum, conclamabant. Dehiſcebat vero caverna, ad infundibuli ſpeciem, cuius ſuprema circum labra, ad calicis modum, laxe & in longum diducta, (erant enim viginti quatuor paſſuum longa, lata duodecim,) in arctum ſenſim coibant, dum in anguſtum foramen imo fundo deſinerent, per quod noxius ille halitus erumperet. Aquarum certe ſubterlabentium ſtreperum murmur exauditur adhuc, ut pronum ſit coniectatu, undoſum eſſe oportere rivum, qui per cæcos iſtos meatus fertur, hauriturque demum incertis gurgitibus. Neque enim umquam erumpit in apricum; tametſi prona in vallem declivitas, modico a ſcrobe intervallo, meat.

IV. Inſolens hoc cavernæ ingenium uti penitus indagarem, non unam inde ab anno 1708 viam inii. Et primo quidem, cum amico, naturæ curioſo, pullum gallinaceum bene adultum, haſtili alligatum, ſupra os ſpecus ita protendi, ut ferire eum debuerint erumpentes ex imo halitus. Vix vero haſtile ad ſpecum cum pullo admoveram, cum miſer ille alas complodere cœpit, momentoque exſpiravit. Secuimus enectum ita pullum, ut obſervaremus, quid virulentæ rei fuerit, quod eum tam ſubito exanimarit; ſed nihil quidquam deprendimus, quam reſtagnantem in præcordiis ſanguinem, ceteroquin ab omni labe alia intemeratum. Tunc ipſus ego, exſectis prius in humo gradibus, in ſcrobem me immiſi, ut

micantem intus aquam propius contemplarer; ſed ante pes erat referendus, quam penitius deſcendiſſem; eo quod ex halituum adflatu & pectus præfocari cœpit, & caput tentari vertigine. Illud mirabile viſum eſt, quod vapores cavernæ, & cum maxime noxii ſunt adverſi, nihil nebuloſi, aut craſſi, quodque notabiliter in oculos incurriſſet, referrent: purus ei ſemper & limpidus aer incubat. Ergo experiundum rebamur, quid hoc ſit exſpirationum, quod, cum oculis notari haud poſſit, citam adeo mortem animantibus accederet. Succurrebat, vix re alia naturam earum explorari poſſe, quam longiori & capaci fiſtula, ſclopum vocant, pyrio infarta pulvere, intra ſpecus intima, diſploſa. Id ut factum eſt, intonuit caverna, &, quaſi fremitu edito, conceptum interne fumum, pluribus poſtea horis, iucundo ſpectaculo, eructabat. Cepimus proinde ex hoc phænomeno argumentum, immiſſas diſploſione illa in antrum flammas, ſulphuroſas intus exhalationes incendiſſe, quæ, huc & illuc rotatæ, diutius poſtea in auras exſpirabant. Atque fuerunt ſane fœtoris eximie ſulphuroſi, prorſus ad eum modum, qualis, tempeſtate ingruente, in thermis obſervatus a me eſt, qua de re infra.

V. Sulphureo iſto halitu obſervato, facile fuit ad exiſtimandum, quicquid perniciabilis noxæ ineſt exſpirationibus illis, ſulphuri id attribui oportere, volatili ei, & ultra omnem modum ſubtili.

tili. Itaque dedimus operam, ut hauſtas ex caverna lethifera aquas, firmando experimento, poſſemus ſollicitius adhibere. Incendit eam cupiditatem avicularum enectarum, & paſſim circa ſpecum iacentium, frequentia: vix enim unquam, ſeu mane, ſeu a prandiis, ad orcum hunc accedebamus, quin nova reperiremus funera. Inprimis erinaceus nos attentos fecit, qui, eodem cacoethe ſuffocatus, unius noctis intervallo adeo intumuit, ut, diſtenta cute, ſpinæ ſimul, firmiſſime alioquin hæreſcentes, radicitus eliſæ conſpicerentur, quod quidem ſuſpicandi locum præbuit, an non forte beſtiola non halitus tantum cavernæ imbiberit, ſed & aquas ipſas, quæ interne magno niſu ebulliunt, & eodem iterum hiatu, ceu gurgite quodam, abſorbentur denuo. Pulmones certe erinacei, livido colore tincti, quin & viſcera reliqua, ultra ſolitam molem diſtenta, indicio fuerunt, & laticem guſtaſſe, & halitus noxios penitus bibiſſe, beſtiam, iam tum grave quid ac moleſtum redolentem. Proinde aquam ex profundo eo cavernæ gurgite haurimus; haud ſine famuli, quem pronum in caput, ſed funibus religatum, immiſeramus, periculo. Fuit ea limpiditate plus quam cryſtallina, levis adhæc, & quaſi ætherea, odoris modice ſulphuroſi, ſaporis acidiuſculi quidem & modice acris, ſed haud tamen, ſeu linguam, ſeu palatum, arrodentis. Nempe ad ingenium acidularum, quas vicinas habet caverna, proxime ſunt viſæ accedere. Timidius primum laticem ſuſpectum, & extremis tantum labris, guſtabamus, dum alter alterius exemplo factus audentior, modicos primum hau-

hauſtus, mox largiores etiam, nihil dubitaremus facere. Neque cuiquam, tametſi plerique noſtrum delicatioris, & ex thermarum uſu etiam faſtidioſi, fuerint ventriculi, noxia fuit ea curioſitas; quin erant, qui aqua ea vinum Hungaricum, generoſum illud, miſcere poſſe optarent.

VI. Iſta ſic & ex vero, plurium annorum curis adhibitis, obſervavimus; ut ferri hinc poſſit iudicium, rectene ab *Agricola* & *Wernhero* peſtilentes ſpecus huiatis exſpirationes appellentur. Nuperus ſcriptor, virus omne vel a terræ putredine, vel ſtagnantis neſcio cuius humoris vitioſitate, provenire, audaciter exiſtimat, quas opinationes ſingulas iam excutiamus. Et primo quidem, tametſi lethales ſint cavernæ huius halitus, peſtilentes certe non ſunt: quippe qui non ob congenitum, & quod ſecum veherent, virus enecant animantia, ſed ex cauſis aliis, quas mox indicabimus. Enimvero, ſi peſtilentiales eſſent exſpirationes illæ, aquæ bibi, multo minus enecta halitibus iſtis animalcula, uti ſunt galli gallinacei, turdi, palumbes, ac lepuſculi, comedi, ſine vitæ, ſaltem melioris valetudinis, iactura, vix poſſent, quod faciunt tamen procul omni noxa, qui rei inuſitatæ faciunt experimentum, dum in thermis huiatibus, aut animi, aut ſalubritatis, cauſa, lavant. Sed terræ forte putredo, aut ſtagnantis cuiuscunque humoris vitium, exitiales illos ructus exſpirant. At horum profecto neutrum eſt. Nam, ſi hoc admittas, halitus cavernæ craſſos, atque nebuloſos, aquam contra turbidam, & moleſtum quiddam

dam ſapientem, eſſe oportebit: quam tamen limpidam, ſaporis adhæc non putridi, ſed ſubacidi; vapores præterea ita comparatos, eſſe diximus, ut oculis cerni, obſervarique, haud poſſint. Ergo a ſubtiliſſimi copia ſulphuris, & mineralium admixtis halitibus, qui per ſubterraneos eos meatus, una cum aquis, præcipiti ac ſtrepero lapſu feruntur, exſpirationum earum lethalis noxietas arceſſi debet: non quod ſuapte natura ſint exitiales, ſed quod nimia illa ſubtilitas, completis ſubito pulmonum bronchis, præcluſoque neceſſario ad reſpirandum aere, adeoque præfocato illic ſanguine, ictu oculi, & ante, enecent animantia, quam id exiſtimari poteſt. Qui aliter de re tota ſentiunt, & ipſi errant, & in errorem inducunt alios; cavernæ autem infamiam conflant, nulla alia ratione expungendam, quam ſi, hac noſtra obſervatione ad erroris confeſſionem inducti, palinodiam cecinerint.

VII. Ceteroquin de ſulphuroſo iſthoc exſpirationum cavernæ noſtræ ingenio & inde capi poteſt iudicium, quod thermæ adſitæ eiusdem ſint naturæ; tametſi craſſiorum halituum, & qui nunc ſunt intenſiores, nunc remiſſiores iterum: quemadmodum ſcilicet cæli aeriſque habitus eſt, quorum in calidas illas ſingularis prorſus eſſe conſuevit influxus. Nempe, ſi, feruente aere, in tempeſtatem pronum ſit cælum, thermæ, nunquam non ſulphur redolentes, ultra omnem modum ſulphuroſum quid fœtere incipiunt, fiuntque lavantibus non moleſtæ tantum, ſed etiam intolerabiles, immo lethales; tunc maxime cum aquis per emiſſarium

Criticorum, dico, hæc ita velim accipi, ac ſi nulla putem corruptæ lectionis in eo veſtigia ſupereſſe, &, in quo ſe exercere poſſit, prorſus nihil habere ſagaciorum interpretum ingenium. Oſtendit ſane ſuas adhuc nitida illa & formoſa facies *Naſonis*, etſi rariores, ſatis tamen turpes, & quaſi inveteratas, maculas, quibus tollendis nulla ad hunc diem a doctiſſimis etiam Criticorum ſunt remedia inventa. Atque hæc, quo vetuſtiora ſunt, & quo pluѕ vitii habent, ulcera, hoc maiorem eorum omnium, qui aliqua medendi ſunt peritia inſtructi, curam poſcunt, hocque melius de literis videtur meriturus, ſi quis ægris illis & prope depoſitis corporis, alioqui ſatis robuſti, membris eam adhibere medicinam ſciat, quæ valetudinis ſpem facere non dubiam, aut fallacem, ſed veram certamque, poſſit. Nec quiſquam adeo puſilli eſt ingenii, aut in arte critica tam mediocriter verſatus, qui deſperare hic de ſuis facultatibus, aut, ſi hæ ſunt nullæ prorſus, de fortuna, his etiam in rebus habente aliquid momenti, debeat. Fit enim ſæpiſſime, ut alia omnia agentibus, & alieniſſimis ab ea cura, inexſpectatus aliquis caſus talem emendandi rationem offerat, quæ ſubtiliſſimis etiam doctiſſimorum hominum coniecturis palmam præripiat, &, quo plus ſimplicitatis habet, hoc magis omnibus probetur. Non is ego ſum, qui, eruditioni in arte critica locum eſſe nullum, contendam; quid enim ineptius, quam hoc, dici poſſet? at illud tamen mihi videor haud male obſervaſſe, in plurimis Græcorum æque ac Latinorum veterum Auctorum locis, quæ, peſſime olim tractata, nunc integra, & omni liberata vitio, leguntur,

guntur, maiorem ſimplicis ingenii, & ſubitæ fortuitæque coniecturæ, quam inſtructiſſimæ doctrinæ, ſtudiique ſummi, vim apparuiſſe. Habere hic aliquid ponderis meum etiam teſtimonium poteſt, quippe meo ipſius exemplo confirmatum. Memini enim, haud raro mihi in lectione veterum Auctorum idem contigiſſe, quod contingere in re domeſtica multis ſolet, quibus res, diu fruſtra, etſi multo ſtudio, quæſita, tandem eo aut tempore, aut loco, quo minime omnium exſpectaverant, caſu quodam & fortuito in manus incidit. Sæpe ego ad difficillima explicatu loca, tanquam ad ſcopulos, affixus hæſi, fruſtra Apollinis & Muſarum opem implorans; ſæpe etiam, quem ignorare me iuſſit Muſa mea, ipſa velut fortuna, artis neſcia, emendandi, aut explicandi, mihi modum viamque oſtendit. Itaque de his, quæ mihi, poſt inanes aliorum curas, primo ſunt inventa, ſi habendam mihi gratiam æquior aliquis decernat, bene eſt; ingenii & doctrinæ laudem mihi certe nullam poſco. Nec haberi mihi gratiam volo, ſi ita res ceciderit, ut doctorum hominum iudicium a meo diſſideat, &, qua duce & magiſtra uſus ſum, deluſiſſe alumnum ſuum fortuna intelligatur. Iam igitur, ut inſpicere hæc noſtra, & inſpecta æſtimare, poſſit Lector, propoſitum mihi eſt, ex magno emendationum numero, quæ mihi forte ſe obtulerunt, Auctores veteres legenti, &, ne quid diſſimulem, in pretio mihi non omnino nullo habentur, ſpeciminis loco unam & alteram proferre, &, ut ſcire poſſim, ſitne, reliquas etiam proferri, operæ pretium futurum, ad Lectoris de his ipſis iudicium attendere. Et

quidem periculum nunc faciam emendandi loca duo *Ovidii*, librariorum culpa peſſime corrupta, nec adhuc, quod ſciam, a Criticorum quoquam ſatis feliciter emendata; quibus adeo nunc demum ſuum a me reſtitutum nitorem eſſe, ipſe fortaſſe mecum gaudebis, Lector.

Illa igitur nunc primum prodeant ex *Triſtium V*, *8*, *11*:

Vidi ego, naufragiumque viros & in æquore mergi;
Et, nunquam, dixi, iuſtior unda fuit.

Ita nempe verſum exhibent editiones non vetuſtiores tantum, ſed *Burmanni* etiam recentior, qui locum hunc male affectum agnoſcit, & varias huic ſanando coniecturas affert, ſed quibus excogitari meliores poſſe, ipſe non diſſimulat. Id ſatis omnibus patet, mendum ineſſe in verbis: *naufragiumque viros & in æquore mergi*, quorum nec ſtructura *Naſoniana* dictionis elegantiæ convenit, nec, ſi quem habent, accommodatus ad totius carminis argumentum ſenſus eſt. Legenti enim integram hanc *Elegiam*, haud obſcure intelligitur, non potuiſſe *Naſoni* in hoc verſu de naufragio quocunque, ſed de eo tantum, quod ſit ab his, qui aliorum ante riſerant naufragium, ſermonem eſſe. Sententiam igitur, ſi ita, uti vulgo legitur, ſcripſiſſe putandus ſit *Ovidius*, talem ei tribuamus, neceſſe eſt, quæ ſit ſucco omni ac nervo deſtituta, tantum abeſt, ut illius acuminis, quod magnum & ſingulare eſt in *Naſone*, quidquam habeat. Qua macula ſi quis liberare poſſit Poetarum principem, haud parum ei vel ipſi huius Manes debebunt. A varietate lectio-

nis parum opis exſpectandum. *Berſmanus* ex Codice neſcio quo ita exhibet verba: *naufragiumque viroſque ſub æquore mergi*. In optimo Mediceo libro *naufragioque*, & in Rottendorphiano *naviſragoque*, legi, *Nic. Heinſius* teſtatur. Idem in duobus libris hanc verborum formam invenit:

- - *naufragium nautas & in æquore mergi.*

Denique, pro *in æquore* libros multos habere *in æquora*, *Burmannus* docet. Horum nihil facit ad ſanandum morbum, in graviſſimis, meo iudicio, & difficillimis habendum. Ingenio igitur & coniectura opus eſt ad effingendam talem lectionem, quæ non ſolum ad carminis totius argumentum, ſed ad eam etiam literarum formam, quam verba hæc corrupta præ ſe ferunt, quam proxime accedat. Talem, efficiam fortaſſe, ne fruſtra exſpectent Lectores mei. Sed prius, quam hæc noſtra expromantur, videamus, quid medicinæ huic loco alii, quicunque ſunt, interpretes adhibuerint. Rem acu tetigiſſe ſibi videtur Auctor *Electorum Etonenſium*, ita legere nos iubens:

Vidi ego naufragium rapturos æquore mergi,

explicans hæc verba de prædonibus maritimis, & ſatis huic emendandi rationi datum præſidii arbitratus, ſi plurimis *Ciceronis* locis planum faceret, *naufragium* dici, quicquid, fracta nave, ſeu navis ipſius, ſeu mercium, fluitet, eiiciatur, aut perdatur; atque adeo *naufragium rapere* idem ſignificare poſſe, quod *piraticam facere*; quam quia ſignificationem ignoraverint librarii, hinc natum ipſe pu-

tat errorem eſſe, quem in Vulgata lectione facile omnes agnoſcant. In qua quidem, utcunque expolita auctori ſuo, emendatione, duo ſunt, quæ reprehendi poſſint, recte a *Burmanno* notata: primum, ex *Naſoniani* carminis contextu apparere, non in verſu iſto de rapacitate, ſed de immiti & duro hominis animo, conqueri Poetam; deinde, ſi vel *naufragium* de *nave fracta*, aut *perditis mercibus*, poſſit accipi, inſolentiorem tamen locutionem, *rapere naufragium*, videri. Mihi addere hoc liceat, ne quidem ex illis, quæ profert Auctor *Electorum*, *Ciceronis* locis id cognoſci ſat certo poſſe, voci *naufragium* hanc, quam ponit ille, vim ac poteſtatem eſſe. Mihi ſane facilius eſt, vulgarem vocabuli vim, qua notat *calamitatem* illam, *in homines naufragos redundantem*, quam novam hanc & arbitrariam, qua *rem naufragio perditam* ſignificare dicitur, in *Ciceronianis* hiſce locis invenire. Lectorem ipſum appellabo iudicem, ne quis mihi fortaſſe carpendi, quæ ſatis recte ſibi conſtant, libidinem obiiciat. Horum locorum primus eſt *Lib. IV ad Diverſ. Ep.* 14: *Careo enim cum familiariſſimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut diſtraxit fuga: tum omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam, te ſocio, defenſa reſpublica, verſorque in eorum* naufragiis, *& bonorum direptionibus; nec audio ſolum, quod ipſum eſſet miſerum, ſed etiam video, quo nihil eſt acerbius, eorum fortunas diſſipari, quibus nos olim adiutoribus illud incendium exſtinximus*. Ubi *naufragium* non eſſe *rem, quæ periit naufragio*, ſed ipſam *naufragorum calamitatem*, ſatis intelligitur ex ad-

dita

dita huic voci altera, *direptio bonorum*, quam per *bona direpta* explicare ideo vix auſis, quia nemo verſari in bonis direptis, quippe quæ deſiit ipſe poſſidere, poteſt. Itaque *verſari in naufragiis* nihil aliud eſt, quam *ſpectatorem eſſe, & participem fieri, calamitatis illius, quæ cum naufragio coniuncta eſt.* Alter locus affertur ex *Orat. pro P. Sextio Cap. 6: Sed neceſſe eſt, antequam de tribunatu P. Sextii dicere incipiam, me totum ſuperioris anni reipublicæ* naufragium *exponere: in quo colligendo, ac reficienda ſalute communi, omnia reperientur P. Sextii dicta, facta, conſilia, verſata.* Quo in loco, quis eſt, qui illud, *naufragium reipublicæ exponere*, aliter explicandum putet, quam *miſerum reipublicæ everſæ ſtatum deſcribere*, nec videat, *colligere naufragium* idem eſſe, quod *mederi* illi *calamitati*, & *reficere rem collapſam*, ſicut *ſe ipſum colligere* in compluribus *Ciceronis* locis *reficere ſe*, & *recreari*, notat. Nec maiorem probandi vim ineſſe patet in loco tertio, qui eſt in *Orat. pro C. Rabir. perd. reo Cap. 8: Quod tu ſi audiſſes, aut ſi per ætatem ſcire potuiſſes: nunquam profecto iſtam imaginem, quæ domi poſita, peſtem atque exilium Sex. Titio attuliſſet, in Roſtra, atque in concionem, attuliſſes, nec tuas unquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sex. Titii afflictam navem, & in quibus C. Deciani* naufragium fortunarum *videres.* Non enim, hic voce *naufragium* res naufragio perditas, ſed, qui oritur ex naufragio, miſerrimum ſtatum, ſignificari, additum ei vocabulum *fortunarum* docet, quippe quod abundare dicendum eſt, ſi in ipſa voce *naufragium* ea ineſſe vis putetur, ut

res, fortunas, amiſſas notet. Videor igitur ab Auctore *Electorum* hoc poſtulare poſſe iure meo, ut clarioribus, quam quæ prolata ab eo ſunt, ſive *Ciceronis*, ſive aliorum Auctorum, locis eam, quam venditavit nobis, vocabuli *naufragium* notionem confirmet. Quod ſi facere non poſſit, ipſe videt, admodum labare coniecturam ſuam, nec formulæ, *rapere naufragium*, eſſe in veteri Latio, aut eſſe potius poſſe, uſum ullum. Ceterum, ne faveat lector huic emendandi rationi, illud etiam facit, quod longe nimis a lectione vulgata abeat, nec facile credi hoc poſſit, unam vocem *rapturos* librariorum inſcitia in *que viros & in* tranſiiſſe. Meliora ſunt, & magis accommodata ad contextum carminis, nec ita a vulgata lectione diverſa, quæ *Petrus Burmannus* profert, ex variis coniecturis, quas ipſi felix ingenium ſuggeſſerat, optimam eligendi, lectori poteſtatem relinquens. Ita nempe, hoc duce, legentur verba:

Vidi ego navifrago quot duros æquore mergi?

aut, inverſo paulum verborum ordine, hunc in modum:

Vidi ego navifrago duros tot in æquore mergi.

Quæ, parum inter ſe diverſa, cum ſatis artificis ſui, ſive materiam verborum, ſive formam, ſpectes, ingenium prodant, non immeritum eorum, qui aliis emendandi ſubſidiis ſunt deſtituti, plauſum ferent. Mihi, laudandi potius acumen *Burmanni*, quam probandi hanc coniecturam, vel hinc ſatis eſſe cauſæ videtur, quod meliorem hac ipſa in promtu habeam legendi rationem. Et, ne quid diſ-

diſſimulem, vox illa *durus*, etſi in plurimis Auctorum locis *immitem* & *inhumanum* notans, tamen in hac *Naſonis* ῥήσει neſcio quid inſoliti & parum commodi habet, nec ſatis illam *Ovidianæ* dictionis elegantiam redolet. Meis certe auribus peregrinum eſt, *duros in æquore merſos* dici. Sed, ſi minus hæc arrideant lectori, aliam *Burmannus* coniecturam ponit, ſic emendans verba:

Vidi ego, navifragum qui læſerat, æquore mergi.

In qua coniectura, vereor, ne quis idem notandum putet, quod ipſe in illa Auctoris *Electorum Etonenſium Burmannus* notaverat, lædentem hic effingi præter mentem *Ovidii*, cui per totum carmen de animi duri ac immitis homine, non de eo, qui alios re ipſa lædit, ſermo eſt. Mihi etiam ſuſpecta hoc, quem *Burmannus* ei tribuit, ſignificatu vox *navifragus* eſt, ut pluribus deinde dicam. Iam vero etiam, ſi ageretur de prodita amicitia, ita ſibi perſuadet *Burmannus*, legi *Naſonis* verba poſſe:

Vidi ego navifrago periuros æquore mergi.

Atqui de amicitia *Ovidius* ne verbum quidem. Quid igitur ſtatuendum ſit de iſta emendandi ratione, ipſe facile *Burmannus* videt. A talibus coniecturis, quibus onerantur magis, quam ornantur, literæ, abſtinere, meo iudicio, ſatius eſt, quam ingenii petere gloriolam, quæ valde tenuis eſt, aut, ſi recte res æſtimetur, nulla prorſus. Reſtat, ut *Nic. Heinſii*, feliciſſimi illius Poetarum veterum emendatoris, in re tam deſperata conſilio utamur. Is duplicem coniecturam, ſed alteram altera felici-

orem, proponit. Et primo quidem, ſic legi debere verba, ſuſpicatur:

Vidi ego, naviſraga piratas aquore mergi:

Quam emendandi rationem etſi nolim cum Auctore *Electorum Etonenſium* eo nomine notare, quod longius a libris abeat; facilius enim in vulgata lectione *Heinſianum piratas*, quam, quod eſt Auctoris *Electorum*, *rapturos*, agnoſcas; hoc tamen facile conceſſerim Auctori illi, non ſatis eam convenire ſententiæ, quam locus hic *Naſonis* poſtulare videtur. Non enim in eos, qui rapinas maritimas exercent, hoc eſt, *piratas*, ſed in eos tantum, qui lætantur aliorum naufragiis, qui inſultant naufragis, carmine hoc querelas effundit *Naſo*. Et recte Auctor *Electorum*: *Ubi vero piratas Ovidius ipſe ſpectare potuit naufragio pereuntes?* Cum nihil eorum, quæ ſibi triſtia acciderunt, in carminibus ſuis ſilentio prætermiſerit *Ovidius*; mirum id eſſe omnibus debet, de hoc, quod ipſi cum piratis fuit, commercio, nihil usquam commemorari. Itaque ſilentium hoc *Ovidii* rem ipſam, aut hanc potius, quam *Heinſius* ponit, *Ovidiani* verſus lectionem, ſuſpectam facit. Veniamus igitur ad alteram *Heinſii* coniecturam, quæ ceteris omnibus, quaſcunque doctiſſimorum Criticorum ingenium excudit, præferenda ſummo iure eſt, & mihi, veram inveniendi lectionem, occaſionem ſuppeditavit. Ita nempe ex hac emendatione fluunt verba *Ovidii*:

Vidi ego, naviſragum qui riſerat, aquore mergi.

Non

Non eſt negandum, ita inſtructa verba proxime ad vulgatæ formam accedere; nec hoc diſſimulari poteſt, lectionem ad argumentum carminis accommodatiorem inveniri hac ipſa nullam poſſe. *Ridere* hominem naufragum idem eſt, quod inſultare ei, caſu eius lætari. Iſtam enim verbi *ridere* vim plura ipſius *Ovidii* exempla confirmant: in *Art. amat. Lib. I v. 87*:

Hunc Venus, e templis, quæ ſunt confinia, ridet;

& *Amor. III, 3, 20*:

Et mecum luſos ridet *inulta Deos*;

& *Metam. III, 656*:

Iam dudum flebam. Lacbrymas manus impia noſtras
Ridet;

& *III, 514*:

— — — — *præſagaque* ridet
Verba ſenis.

Alia aut *Ovidii*, aut aliorum Scriptorum, lubens omitto, unum his addens, appoſitum inprimis, *Horatii* locum *Lib. II Sat. 3 v. 72*:

Cum rapies in ius malis ridentem *alienis*.

Illud adeo *ridere* ſatis bene convenit cum illis eiusdem, de qua ſermo nobis, *Elegiæ v. 4*:

Quæ tibi res animos in me facit, improbe? Curve
Caſibus inſultas, quos potes ipſe pati?

& cum aliis *v. 21*:

Neve tamen tota capias fera gaudia mente;
Non eſt placandi ſpes mihi nulla Dei;

deniſque cum illis *v. 33*:

Ergo, ne noſtra nimium lætere ruina,
Reſtitui quondam me quoque poſſe puta.

Quin, ut ſæpius dixi, tota hæc *Elegia* ſcripta eſt in hominem animi duriſſimi, lætantem calamitatibus *Naſonis*, hasque non ſolum commiſeratione nulla, ſed contumeliis etiam irriſionibusque, proſequentem. Quod igitur *Heinſiana* hæc lectio ita ſe *Criſpino*, *Verburgio*, & cui non alii? probavit, ut eam, reiecta vulgata, in contextum reciperent, non id factum præter eius meritum putari debet. Et ipſe, ut ducem hunc ſequendum mihi putarem, haud difficile a me impetrarem, niſi duo eſſent, quæ lectionem hanc non tam reiiciendam, quam paulo rectius inſtruendam, ſuaderent. Alterum hoc eſt, vocis *navifragus* hanc, quam ei *Heinſius*, & ipſe, ut paulo ante vidimus, *Burmannus*, tribuit, ideo ſuſpectam mihi poteſtatem eſſe, quod vix proferri ex Auctore vetere, eam vocis vim oſtendens, exemplum poſſit. Non enim eadem vocum *naufragus* & *navifragus*, quod ad ſignificationem, ratio eſt, etſi ita Lexica doceant. De eo æque, quod *patitur*, ac de eo, quod *efficit*, *naufragium*, dici *naufragum*, bene ſcio, utramque vocis notionem ex locis Auctorum bene multis habens cognitam. Aliter autem dicendum mihi eſt de voce *navifragus*, quæ, etſi ab altera *naufragus*, ſi formam & ſtructuram ſpectes, parum diverſa, nusquam tamen hanc apud veteres Scriptores vim habet, ut de eo, cui ſuſtinenda eſt calamitas naufragii, uſurpetur. Quæcunque mihi collecta ſunt Auc-

cto-

ctorum loca, vocem hanc non niſi cum *mari*, aut *vento*, aut *ſaxis*, coniunctam habent; *naves*, aut *homines*, *naviſragos* nusquam invenio. *Prudentius* in *Præf. Libri I adverſus Symmachum v. 9:*

Et vim naviſragi *pertulerat* Noti.

Auſonius Carm. 157 v. 8:

Per mare naviſragum *gradior pedes;*

& *Carm. 396 v. 41:*

Non hic naviſrago *quæritur* æquore.

Statius Theb. V, 415:

— — *Ac lævas dextrasque obtorquet in undas*
Proram, naviſragis *avidam concurrere* ſaxis.

Virgilius Aen. III, 553:

Caulonisque arces, & naviſragum Scylaceum.

Ipſi *Ovidio*, voce hac non niſi ſemel utenti, *fretum* dicitur *naviſragum Met. XIV, 6:*

Liquerat & Zanclen, adverſaque mœnia Rhegi,
Naviſragum*que* fretum, &c.

In omnibus his locis, quibus, dubito, an inveniri plura poſſint, *naviſragus* vim agendi, non patiendi, habet. Durum igitur videtur, ita emendare verſum *Ovidii*, ut ſignificationi inuſitatæ, & exemplis deſtitutæ, locus fiat. Id, miror, non attendiſſe *Heinſium*, qui, nova aut vocabula, aut ſignificationum genera, fingendi, nemini fortaſſe alii poteſtatem conceſſerit. Alterum, quod in illa *Heinſii* emendatione mihi non probatur, hoc eſt, quod hac prorſus tollitur illa vulgatæ lectionis vocula *in*, quam cur librario potius, quam *Naſoni*, tribuamus, cauſam nullam video. Nam, ſi minus Latinum putabat *Heinſius*, *mergere* cum præpoſitione *in* & caſu

caſu ſexto coniunctum, non meminerat is nempe ſimilium *Ovidii* locorum, *Met. VII, 317:*

— — — *validosque venefica ſuccos*
Mergit in ære *cavo;*

& *X, 498:*

— — merſitque *ſuos* in cortice *vultus;*

& *VII, 324:*

Ter iuga Phœbus equis, in Ibero gurgite merſis,
Demſerat;

& *III, 249:*

— — merſisque in corpore *roſtris*
Dilacerant, &c.

& in *Ibi v. 445:*

Atque eques in *medii* mergare voragine *coeni;*

& *Faſt. II, 389:*

Albula, quem Thybrin merſus *Tiberinus* in unda
Reddidit;

& *IV, 48:*

Dicitur in *Thuſcæ* gurgite merſus *aquæ.*

Itaque, ſi emendari verba *Naſonis* ita poſſint, ut ſervetur illa vocula, nec ſimul ſententiæ verborum vis inferatur, optima hæc & commodiſſima emendandi ratio fuerit. Eſt enim in omni emendatione non ſolum de eo, ut aptus verborum ſenſus fiat, ſed ut a vulgatæ etiam veſtigiis deflectatur quam minime, laborandum. Atqui ex omni parte emendatiſſima legentur verba, ſi ita formentur:

Vidi ego, naufragium qui riſit, in æquore mergi.

Sen-

Sententiam huius lectionis, vides, eandem, quam *Heinſianæ*, eſſe. Vix enim putem, cuiquam in mentem venire poſſe, *naufragium ridere* non eſſe idem, quod *ridere naufragium*, aut *calamitatem naufragi*. Qui ridet naufragium, idem facit, quod ille apud *Horatium*, *malis alienis ridens*; &, ſi alia quæcunque rideri poſſunt, quid eſt, quod rideri poſſe naufragium negetur? Accedere autem hanc lectionem ad vulgatam quam proxime, certe *Heinſiana* propius, ita omnibus patet, ut vix pluribus oſtendi opus ſit. Servantur enim hoc emendandi modo voces duæ, in vulgata obviæ, *naufragium* & *in*, quarum alteram mutatam ab *Heinſio*, alteram eiectam, vides. Hoc igitur unum ſi impetrari a lectore poſſit, ut, illud *qui* potuiſſe vitio librariorum in *que vi*, & *riſit* in *ros* &, transmutari, ſibi patiatur perſuaderi; quod, dubito, an futurus ſit unus, cui perſuaderi non poſſit; ſuum omni ex parte lectioni noſtræ pretium conſtabit, nec habebunt deinde viri docti, cur in emendando hoc loco, ut factum huc usque eſt, vires ingenii exerceant.

Occupabimur iam, promiſſi noſtri memores, in emendando alio *Naſonis* verſu, qui, tantum abeſt, ut minus illo altero, modo limam noſtram experto, nobis negotii faceſſat, ut explicatus habere multo difficiliores videatur. Legendum hunc dabunt *Libri Triſtium*, quorum *primus*, in *Elegia II*, *verſum*, numero *102*, ex vulgata lectione talem exhibet:

Si ſatis Auguſti publica iuſſa mihi.

Sed intereſt Lectorum, integram verborum continuationem hic legi, ne ſine ea obſcuriora ſint

cur-

cuiquam, quæcunque aut alii ad emendandum hunc verſum attulerunt, aut nos ipſi afferemus. Sic igitur Poeta:

Immo ita; vos ſcitis; ſi me meus abſtulit error,
Stultaque mens nobis, non ſcelerata, fuit;
Quamlibet e minimis, domui ſi favimus illi;
Si ſatis Auguſti publica iuſſa mihi;
Hoc duce ſi dixi felicia ſecula; proque
Cæſare tura pius Cæſaribusque dedi;
Si fuit hic animus nobis; ita parcite, Divi;
Sin minus; alta cadens obruat unda caput.

Si quis unquam veterum Auctorum locus ſpinas legentibus obiecit, certe hic obiecit, in quo aut explicando, aut emendando, Criticorum principes, *Nic. Heinſius*, *Io. Frid. Gronovius*, & *P. Burmannus*, fruſtra laborarunt. Quidni enim dicam, fruſtra laboraſſe eos, quorum nulli videre illud contigit, quod aut ipſe nuper vidi, aut facile alius quisquam, mediocri oculorum acie præditus, videre dudum poterat? De eo vix aliquis dubitet, corruptiſſimum eſſe locum, &, ſi ex libris vetuſtis non poſſit, ex ingenio reſtitui debere. Nam, quod *Gronovius*, isque unus ex multis, iuvari poſſe vulgatam lectionem, ſi ita explicentur verba: *Si pro republica mihi ſatisfecerunt Auguſti iuſſa, ſi non optavi vetera, contentus præſentibus*, ſcribit in literis ad *Heinſium*, quæ in *Burmannianæ Sylloges Epiſtolarum, a Viris illuſtribus ſcriptarum, Tomo III p. 472* exſtant, ibidemque docet, non, qui liberam rempublicam animo expetierint, his publica fuiſſe, quæ Cæſarea, huc adducens illa *Lucani VII, 164*:

Ut-

Uſque ad Theſſaliam Romana & publica ſigna, et alia *Taciti Ann. Lib. I Cap. 2: poſtquam nulla iam publica arma;* nemo non videt, plus ingenii habere hanc explicationem, quam ut ita ſcripſiſſe *Ovidius*, amans præ aliis in dicendo ſimplicitatis, ſit putandus. Ipſe, *Gronovii* ſui ſtudioſiſſimus, *Burmannus* parum hæc probat, ita ſcribens: *Sed & dura explicatio Gronovii videtur*. Mire inter ſe diſcrepant MSti libri; ſed, qui meliorem vulgata lectionem offerat, in his nullus eſt. *Heinſius*, in libris quatuor inventum ſibi, teſtatur, *iuſſa tuli;* in Gottorphienſi *iuſſa mei;* quod male ſcriptum coniicit pro *Dei*, ut ſit *Auguſti Dei* eodem modo poſitum, quo *Auguſtos Deos Lib. III ex Ponto Ep. 6 v. 16:*

> — — *facis, ut reverentia talis*
> *Fiat in* Auguſtos *invidioſa* Deos?

Eidem *Heinſio* fragmentum *Boxhornii* pro *iuſſa mihi* legendum dedit *cura fuit*, & optimus *Politiani* Codex *viſa mihi*. Hoc ipſum *viſa* ita probatur *Heinſio*, ut in hoc fundamento omne correctionis ſuæ ædificium ponat. Etſi enim in deſperatiſſimis habendum putet hunc *Naſonis* locum, libere profeſſus: *Non me expedio ex hac Charybdi*; tamen, ne nihil audere videatur, opinari ſe, ait, hoc loco eum errorem eſſe commiſſum a librariis oſcitantibus, quem alibi ſæpenumero commiſſum appareat, ut una ſyllaba ob ſimilitudinem proxime præcedentis ſit omiſſa; ſcriptum adeo antiquis putans *viſalus* pro *viſa ſalus*, & ex hoc *viſalus* deinde ab aliis librariis *iuſſa tuli* effictum. Hoc *viſa ſalus* conſtituto, ſupererat, ut illud *ſatis* in *laris*

ris converteret *Heinſius*; quo facto, hunc videbatur ſibi bonum commodumque verſum daturus:

Si laris Auguſti publica viſa ſalus,

cuius hæc eſſet ſententia: *Si in domus Auguſtæ ſalute mihi viſa eſt conſiſtere ſalus reipublicæ, ſi ſalutem domus Auguſtæ non duxi alienam a reipublicæ ſalute, ſi arbitratus ſum, ab eius incolumitate publicam pendere*. Atque hæc ut ſuo quodam pondere firmaret, meminiſſe nos iubet formulæ, in Inſcriptionibus antiquis frequenter obviæ: *Saluti domus Auguſtæ*, quæ cum verſu *Naſonis* amice conſentiat. Sunt hæc ab *Heinſio* partim in *Notis* ad hunc *Ovidii verſum*, partim in *Epiſtola ad I. F. Gronovium*, quæ legitur in *Burmannianæ Sylloges Tomo III pag. 468*, diſputata. Approbatorem huius ſuæ ſententiæ *Heinſius* nactus eſt *Burmannum*, ſi quidem approbator dicendus eſt, qui talibus utitur verbis: *Ego Heinſii coniecturam minime abſurdam puto*. Nempe, idem hic dici a *Naſone*, ſibi perſuadet *Burmannus*, quod ab adulatoribus illis apud *Horatium Lib. I Ep. 16 v. 27*:

Tene magis ſalvum populus velit, an populum tu?

nec male convenire huic loco adulationem *Meſſalæ*, a *Suetonio* memoratam in *Aug. Cap. 58*. Idem tamen pro *laris* mallet legi *patris*, quod hoc quaſi proprium *Auguſto* nomen ſit. Neque vero ita, ſicut *Burmannus*, a partibus *Heinſianis Gronovius* ſtetit, qui, propoſitum ſibi habens, vulgatam lectionem defendere, non, ut *Heinſii* coniecturam approbaret, impetrare a ſe potuit. Ita enim ille ad *Heinſium* in literis, paulo ante memoratis: *Obſecro te, ne lomento & nitro nimis utamur, &*, *dum*

dum ſordes eluimus, venas ac viſcera Auctorum aperiamus. Ego vero, etſi longe ab eo abſim, ut abſurdam dicam *Heinſii* emendationem: cui ſi locus detur, apparet, ſenſum *Naſoniana* verba ſatis aptum & idoneum habere; nec eo, quo *Gronovius*, in *Heinſium* utendum telo putem: nam, quæ manifeſto depravata ſunt, in his emendandis, meo iudicio, recte laboratur; invenire tamen mihi videor in hac emendandi ratione ingenii iuſto longius evagantis veſtigia, nec immerito id poſtulare poſſe ab *Heinſio*, ut ex infinito Codicum *Naſonis* numero vel unum nobis oſtendat, in quo ſcriptum exſtet *viſalus;* quod ſi facere non poſſit, lubrico admodum hanc vocem, aut vocis potius ſcripturam, niti fundamento, ipſe videt. Nam, ita omnia ad coniecturas revocare, ut primo, *viſalus* pro *viſa ſalus* ſcriptum, deinde, ſyllabam *lus* in *viſalus* tranſiiſſe in *tuli*, conjicias, non video, quid ſit abuti coniectura, ſi hoc non ſit. Ceterum, ſi vel illud detur *Heinſio*, bonam eſſe eius emendationem, cedat tamen hæc meliori velim, ſtatim proferendæ. Sed nondum ſatis dictum eſt de his, quæ alii dederunt. Itaque *Pontanus* pro *ſit* legit *ſint*, ita explicans verba: *Eſtote contenti edicto publico Auguſti de me.* Sed, hoc quid ſibi velit, neſcire ſe ait *Burmannus;* nec ipſe ſcio. Similiter cum eodem *Burmanno* non capio *Francii* emendationem, in locum illius *ſatis* reponendis *ſacra.* Ipſe utere ingenio tuo, Lector, &, ſi potes, verborum, ita poſitorum:

Si ſacra Auguſti publica iuſſa mihi,

interpretem te præbe. Quocunque te vertas, ni-

hil, quod extricare hinc poſſis, boni ſenſus erit. Ultimus iam, ſed numero tantum, non dignitate, huc prodeat veteranus ille in his caſtris miles, aut potius imperator, *Chriſtoph. Aug. Heumannus*, a quo bona omnia & egregia hic etiam ſperare nos iubent merita Viri in hoc genus literarum præclariſſima. Is, occupatus olim in elimandis poliendisque *Ovidii* carminibus, varia huius induſtriæ ſpecimina legenda publice propoſuit in *Supplementis Actorum Eruditorum Tomo VI Sect. II pag.* 77 *ſeq.* In quibus cum notum illud & inſigne ingenii *Heumanniani* acumen haud difficile agnoſcat Lector; tum ſatis probabilis coniectura eſt ita emendantis illum, de quo ſermo nobis, *Naſonis* verſum, ut pro *Si ſatis*, legat *Sique rata*, hunc verbis ſenſum tribuens: *Si nunquam queſtus ſum de Auguſti imperio, ſed, quod boni civis eſt, ſemper acquievi latis ab eō legibus.* Quam, ne cui in mentem veniat, generi dicendi *Naſoniano* repugnare lectionem, inveniſſe ſibi eandem formulam videtur *Heumannus* in illis *Naſonis Triſt. I, 1, 33:*

Quæque volet, rata ſint.

Cui loco addere ſive ex *Ovidio*, ſive ex aliis Scriptoribus, multo plura potuiſſet, ſi timendi, ne ea res cuiquam dubia futura eſſet, cauſam habuiſſet. Ita nempe emendari poſſe verſum *Naſonis*, ante complures annos docuit *Heumannus*; nunc quæ eius ſit ſententia, poſt ea, quæ huic coniecturæ *P. Burmannus* in Notis ad hunc locum oppoſuit, ex ipſo melius, quam ex me, cognoverint Lectores. Nemo fortaſſe me ipſo ſtudioſior famæ *Heumannianæ*, nec quisquam ad laudanda ea omnia, quæ nobili illa

offi-

officina exierunt, paratior; at eo tamen (dicam enim, quod res eſt,) rationes *Burmanni* eſſe robore videntur, ut mihi etiam invito & nolenti aſſenſum extorqueant. Id quidem parum eſt, quod, a ſcriptis, dicat, longius recedere hanc lectionem. Nam, ſi, bene factum ab *Heinſio*, iudicavit, quod *ſatis* in *laris*, & *tuli* in *ſalus*, convertit, quid eſt, quod, ferri poſſe, neget, *ſi* in *ſique*, & *ſatis* in *rata*, ab *Heumanno* converſum? Potuiſſe illud *que*, ſi per notam ſcriptum fuerit, a librario oſcitante negligi, & pro *rata* poni *ſatis*, is demum in dubium vocaverit, cui tot alia corruptionum multo turpiorum exempla non ſunt cognita. Nec maiorem fortaſſe vim illa *Burmanni* ratio habet, quod, parum eleganter dici, putet, *publica iuſſa Auguſti*, pro legibus ab *Auguſto* latis, quibus acquieverit Poeta. Nam, ſi familiariſſimum eſt Poetis, *iuſſa* pro *legibus* uſurpare, leges autem & ſunt, & dicuntur, *publicæ*, non video, quid in formula, *publica Auguſti iuſſa*, offendere aures vel delicatiſſimas poſſit. In eo autem, fateor, me facere cum *Burmanno*, quod non ea autoritas dignitasque fuerit *Ovidii*, ut hoc meritum iactaret *Auguſto*, ſe leges eius habuiſſe ratas, quaſi potuiſſet, ſi voluiſſet, eas oppugnare, & *Auguſti* imperium turbare. Hæc nempe (eiusdem *Burmanni* verbis utor,) ſi *Pompeii* filii, aut *Antonius*, loquerentur, poſſent tolerari; *Naſoni* autem ſatis erat probare, mentem ſuam faviſſe *Auguſto*, ſe vota & preces Diis pro ſalute eius & gentis *Iuliæ* feciſſe. Nam ille, ſi, ratas leges habere ſe, diceret, exprobraret *Auguſto*, aliquid in iis fuiſſe, non tolerandum Quiritibus. Nec male *Burmannus* monet, iſtam vocem *rata* non convenire

humilitati *Naſonis*. Eſt enim maioris tantum, rata habere a minore facta, vel optata; non minoris, illa a maiore facta. Id ſatis confirmat ipſum illud exemplum, ab *Heumanno* allatum, ex *Triſt. I, 1, 33: Quæque volet, rata ſint*, quæ ita ſatis bene a *Burmanno* explicantur: *Dii ea firment, quæ ille optat & vovet*. Iam igitur, ſi a viris tot egregiis inanis eſt in emendando verſu hoc *Naſonis* labor poſitus, mihine in mentem veniat, de meis facultatibus meliora ſperare? Minime omnium hoc veniat. At ita tamen me fortuna amat, ut mihi liceat emendare verſum, ab illis, quoscunque nominavi, fruſtra tentatum. Rem omnem, quæ ſatis per ſe ipſa patet, breviſſimis expediam. Scripturæ errorem in ea voce invenio, quam alii omnes interpretes iuraverint ita carere labe, ut nulla magis. Male, imo peſſime, exſcriptum eſt *Auguſti* pro *adiuvi*; isque error, ne apertus omnibus & manifeſtus fieret, plures genuit. Hoc enim ſemel aſſumto, pro *adiuvi* ſcribendum eſſe *Auguſti*, neceſſe fuit, ad vocem iſtam verba huius verſus reliqua accommodaret librarius, ne ſenſum ineptum & minus probabilem darent. Adeo enim, quod ad ſignificatum, inter ſe diſcrepant duæ hæ voces, *Auguſti* & *adiuvi*, ut nihil facilius ſit creditu, quam ſenſum verſus *Naſoniani* has longe diverſiſſimum efficere. Itaque pro *vota*, quod *Naſonis* eſt, librarii ſcripſerunt *iuſſa*, pro *meis*, *mihi*; ut adeo corruptus ille vulgo circumferatur *Naſonis* verſus pro rectiori hoc & meliori:

Si ſatis adiuvi publica vota meis.

Iocari me, aut potius ineptire, iudicabunt, ſi qui, iſta

a me

a me fingi, non certis explorata rationibus proponi, ſibi perſuadeant. Quos, ut deſinant meo tribuere ingenio, quod ipſe ſibi tribui *Naſo* poſtulat, eundem legere *Naſonis* verſum iubeo in *Triſt. II, I, 60*, ubi ita:

Ipſe quoque adiuvi publica vota meis.

Eſt hic, inquam, idem prorſus verſus, quo *Triſt. I,2,102*, utitur *Ovidius*, cui ſatis familiarem eſſe eiusdem formulæ in carminibus diverſis, ſed de eodem argumento ſcriptis, repetitionem, non ii neſciunt, qui in lectione huius Poetæ non indiligenter ſunt verſati. Tales mihi olim memini complures obſervatas, ſed quas aut notare in futuros uſus neglexi, aut hic ſingulas proferri nimis longum foret. Non autem, quod ad præſentem verſum, falli me iudicio, ſatis certo argumento illud eſt, quod plures in illa *Libri II Triſtium Elegia I* verſus legantur, quos tanquam tranſtuliſſe huc *Ovididius* ex eadem, quam dixi, *Libri primi Elegia ſecunda* videtur. Huius generis illa ſunt *v.55*:

Hunc animum faviſſe tibi, Vir maxime, &c.

Quibus hæc egregie conſentiunt in alterius *Elegiæ verſu 101*:

Quamlibet e minimis, domui ſi favimus illi.

Accedant his alia ex poſterioris *Elegiæ verſu 59*:

Et pia tura dedi pro te &c.

Quibus ſimillima exſtant in prioris *Elegiæ verſu 103*:

Hoc duce ſi dixi felicia ſecula: proque
Cæſare tura pius Cæſaribusque dedi.

Veriſimile igitur, ut nihil magis, eſt, etiam hunc verſum:

— — — *Cumque omnibus unus*
Ipſe quoque adiuvi publica vota meis,

quippe qui duos illos, modo allatos, proxime ſequitur, ex *Elegia* altera mutuo ſumtum *Naſoni* eſſe, nec ita peccaſſe librarios in exſcribendo *Elegiæ* poſterioris verſu, ſicut in prioris illo. Iam, cum ſemel huc digitum iatendi, & meæ non tam coniecturæ, quam certiſſimæ ſententiæ, rationem reddidi, nec difficile fortaſſe lectori erit, in vulgata huius verſus lectione errorem talem invenire, qui potuerit committi a librariis vix mediocriter peritis. Nam, quod ad elementa, parum inter ſe diſcrepant voces illæ duæ, *adiuui* & *Auguſti*, quarum utramque patet ſyllabas tres, elementa ſex, unum *a*, duplex *u*, habere. Satis autem ſuſpectam facere vocem *Auguſti* illud poteſt, quod in verſu, hunc ſubſequente, *Cæſarem* nominet *Ovidius*, nec videatur in duobus verſibus, ita ſibi propinquis, ut medium alium non habeant, duo fuiſſe eiusdem viri nomina diverſa poſiturus. Sic enim *Ovidius*:

- *Si ſatis Auguſti publica iuſſa mihi;*
Hoc duce ſi dixi felicia ſecula; proque
Cæſare tura pius Cæſaribusque dedi.

Sed, *vota* etiam & *iuſſa* in libris ſcriptis confundi, doceat te *Burmannus*, qui in illo ipſo *Elegiæ I Libri II* verſu:

Ipſe quoque adiuvi publica vota meis,

pro *vota* exſtare *iuſſa* in antiquiore uno Codice, in *Nota* ad *h. l.* teſtatur. Itaque, in eodem exſcribendo verſu eodem modo peccaſſe librarios, non eſt, cur mireris. Denique, quod *mihi* pro *meis* exſcriptum eſt, non is male legentis, ſed male

emen-

emendantis, error eſt librarii, qui, cum, *meis* parum convenire voci *Auguſti*, videret, illo reiecto, poſuit *mihi*, quod ſenſum non omnino nullum redderet. Iam poſt carecta latitabo, inauditurus, quid ad hæc alii; quorum ſi talia, qualia inprimis ſpero, intellexero iudicia, gaudebo, in parvis utilem me bonis literis fuiſſe, cui, in magnis elaborare, per tenuitatem ingenii non licet.

VIII.

GISBERTI CVPERI AD THEOD. IANSSONIVM AB ALMELOVEEN EPISTOLAE, QVARTVM CONTINVATAE.

EPISTOLA XX.

Arg. *Faſti Romanorum pluribus & erudite illuſtrantur. Duo loca Quintiliani emendantur. In antiquis Inſcriptionibus pro* Antoninianis *male legi* Antonianis, *notatur.*

Multum, immo plurimum, tibi debeo, quod ad me tam pulchras, tam eruditas, atque adeo tam longas, literas miſeris. Legi, credas velim, ſumma eas cum voluptate; &, quia haud ſpernendum ex iisdem fructum cepi, optavi aliquoties, ut prolixiores eſſent, ut ita magis uſuram eruditionis extendere, & me oblectare, poſſem, rebus tam politis. Antequam autem acceptiſſimæ tuæ interpel-

lationi reſpondeam, faciundum mihi putavi, ut tibi, celeberrimisque collegis tuis, *Meyero*, *Weſtenbergiis*que fratribus, optarem annum, quem ingreſſi ſumus, proſperum & felicem, Deumque venerer, ut eum aliosque multos hilariter & alacriter, ſtudiisque, id quod facitis, præclare incumbentes, transmittere poſſitis.

Poſthumium, uti ad epiſtolam tuam veniam, Conſulem tibi placere, ut & quæ de *Placido*, vel *Placidiano*, monui, lætor ſummopere. Ego te etiam atque etiam rogo, ut ita pergas in digerendis & elucidandis Faſtis; & flocci, quæſo, face moroſorum & invidorum hominum ſermones, qui ſæpe contemnere ſolent aliorum labores, non aliam ob cauſam, quam quod ipſis honor ereptus eſt talia conandi, ſi modo tam certa & tam præclara elucidandi Faſtos via iis in mentem venire potuiſſet. Fruantur illi ingenio ſuo, tu contra audentior ito; & perge illuſtrare & digerere Conſules, quibus Romani tempora, vel annos, diſtinguebant. *Aethici* verba mihi, poſt lucem tuam, in tenebris cubare videntur. Nam inter A. V. C. 710 & 724 ſunt quidem 13 anni, quinque menſes, & dies 9, uti recte coniicis; ſed non video, quomodo inter annum 719,& annum 735, intereſſe poſſint anni 34, ne quid de menſe uno & diebus dicam. Præterea hæc verba: *a Conſulatu ſimiliter Iulii Cæſaris*, aſſignas anno 719, cum ille aliquot annis antea fuerit occiſus, & vox *ſimiliter* mihi ſuadet, eundem annum, nempe 710, iuxta calculum *Pagii* & *Noriſii*, deſignari, a quo ſi tempus hoc ordiaris, annus quartus & trigeſimus incidit in anni 744

Nero-

Neronem Claudium Druſum & *T. Quinctium Criſpinum* Coſſ. cum tamen *Æthicus* memoret *Saturninum* (ita enim omnino tecum ſcribendum,) & *Cinnam*, quorum ille Conſul fuit ordinarius A. 734, & procul dubio *Cinna* ſuffectus.

Vidi apud *Galleum*, myſteriorum ſacrorum librum interpretem, MStum, in quo varia erant opuſcula ſequioris ævi, unusque & quidem ultimus libellus incipiebat: *Incipit Chronica C. Iulii Cæſaris. Iulio Cæſare & M. Antonino* (Antonio) *Coſſ. omnis orbis peragratus eſt per ſapientiſſimos & electos viros quatuor, Nicodemo orientis, Didimo occidentis, Theudoto ſeptentrionalis, Policlito meridiani, a Conſulibus usque in Conſulibus Auguſti tres* &c. quæ ultima videntur mihi ſignificare, hanc dimenſionem incepiſſe a Coſſ. *Iulio Cæſare* & *Antonio*, & duraſſe usque ad Conſulatum *Auguſti* tertium. *Theudotus* procul dubio eſt *Theodotus*, *Policlitus* autem *Polyclitus*; ſed *Nicodemus* & *Didimus Æthico* indicti ſunt, eorumque loco memorat *Zenodoxum*, vel *Zenodotum*, eidemque omittitur dimenſio Occidentis.

Lætor, Indicem ſummorum Pontificum & Conſulum, quibus electi & mortui ſunt, editum ao *Henſchenio*, tibi non ingratum fuiſſe; &, licet conſtiterit etiam mihi, eum mendoſum eſſe, tamen videbar recte facturus, ſi tecum eundem communicarem. Neque tamen tanti eum facio, uti Faſti ex eo debeant emendari; niſi etiam aliunde conſtaret, illos corruptos eſſe.

Faber Tanaquillus procul dubio vel male digeſtos Faſtos ſequitur, vel aliud agens varios Conſules in epiſtola, qua *Terentii* in ætatem inquirit, nobis dedit, & ego mallem ſequi *Livium*, aliosque veteres, quos, credibile eſt, melius longe noſſe potuiſſe, qui Conſul primo, qui ſecundo, loco a populo fuit electus: &, uti hosce, ita & alios, viri eruditi errores optimo iure notas, & inde patet, doctiſſimos etiam ſuos pati manes, nec tuto ſemper nos iis fidere poſſe. Miror, talia non obſervaſſe *Maſſonium*, qui in *Horatii* vita alios *Fabri* & *Dacerii* errores animadvertit complures. Nam & ita, ut *Tanaquillus*, Conſules recenſet anno 694, inverſumque idem ordinem ſequitur, anno 712, non autem reliquis, ſed tamen ordinem Conſulum anni 740, quem *Faber* ſequitur, obſervavi etiam in *Inſcr.* apud *Vignolium p.* 331, ubi legitur: CN. LENTVLO. M. CRASSO COS. adeo ut videas, & antiquis temporibus diverſimode Conſulum nomina ſcripta eſſe.

Ego profecto neſcio, unde fluxerit, ut *A. Vitellius* A. U. C. 784 conſtituatur Conſul ordinarius, cum utique doceas præclare ex *Tacito Suetonio*que, fuiſſe ordinarios *Cn. Domitium* & *Camillum Scribonianum*, & inde itidem diſco, indiligenter ſæpe Faſtos fuiſſe digeſtos; *Camillus* autem *Suetonio* recenſetur primo loco, quem *Domitio* attribuit *Tacitus;* deinde *Arruntii* nomen procul dubio *Haloander* ſumſit a *Suetonio*, cui memoratur *Camillus Aruntius*, qui aliis dicitur *M. Furius Camillus Scribonianus;* ſed has omnes difficultates ſuſtulit iam *Noriſius* in *Epiſt. conſulari* ad

A.U.

A. U. C. 785, ubi etiam videbis cauſam, quare *Vitellius* accenſeatur Conſulibus ordinariis, nec non errare *Suetonium*, cum *Camillum Scribonianum* appellat *Arruntium*, eundemque confundere familias, vel gentes, *Furiam* atque *Arruntiam*.

Frontinum poſt *Noriſium* optime illuſtras, & credo, tuum *Sullam* & *Tutianum* (an non melius ſcriberetur *Titianum?*) Conſules fuiſſe, ſecutus *Hyginum* correctum, A. U. C. DCCCVI. Atque hæc quidem ſpecimina mihi fidem faciunt, te præclare in ſtadio illo decurrere, nec dubito, quin inde multam gratiam initurus ſis apud omnes elegantiarum & hiſtoriæ correctæ veteris ævi ſtudioſos; quare macte hac virtute, nec te invidi & a ſtudio noſtro alieni ab incepto deterreant.

Nunc ad bina *Quintiliani* loca accedo, quibus medicinam facere conaris. Et quidem plane tecum ſentio, τὸ *fallere* in *Declam. X* plane ἀπροσδιόνυσον eſſe; ſed & *pſallere* tuum mihi necdum placet, quia nemo veterum unquam tradidit, gentilium Deos in cœlis cecini ſſe, quod poſtea de Sanctis & Angelis ad nauſeam usque nobis fabulati ſunt Legendorum, ut vocantur, auctores. Nec utique video, quare Dii cecini ſſent auditis incantationibus, & barbaro murmure, quæ potius horrorem & metum iis incuterent, & memini, me talia alicubi legere. Quare equidem ego amplecterer potius emendationem *Guilielmi Beſt*, ICti, qui nuper Traiecti ad Rhenum perelegantem libellum edidit *de ratione emendandi leges*, indicatque *p. 159*, *Quintilianum* ſcripſiſſe *pallereque*, adducitque commode alium ex *Decl. XV* locum ad

fir-

firmandam opportune ſuam ſententiam, in qua legitur, incantatorem *inquietare Superos, ſidera diris agitare carminibus*; id quod equidem longe diverſum a cantibus Deorum, audientium magica carmina. *Audire inferos* propterea explicare non poſſum, *ad cantum* (Deorum) *attendere*, ſed puto, *Quintilianum* nobis narrare, incantatorem coegiſſe inferos, ut murmura ſua audirent; & memini, me legiſſe alicubi, illos inuitos paruiſſe incantationibus, & quaſi a ſuis ſedibus avulſos fuiſſe; nec deſpero, me talia inventurum facili opera, ſi plus mihi otii eſſet, & ſi non crederem, tibi ipſi talia eſſe & obvia.

Neſcio tandem, quare retinere non debeamus: *& nutantium fulgor extremus vaneſcebat oculorum.* Nam *nutare* eſt vacillare; uti dicimus *ædificia nutare*, quæ iamiam caſura videntur; & ita morientium nutare oculi poſſunt dici, qui deficiunt, qui langueſcunt, qui vigorem & fulgorem amittunt. *Natantium* præſtantiſſimi Viri optime reiicis, &, ſi ex binis illis coniecturis aliqua foret eligenda, ego utique tuum *nictantium* præferrem; ſed, cum *nictantes oculi* ſint, qui moventur, qui annuunt, qui modo in hanc, modo in illam, partem ſeſe convertunt, ego tibi do conſiderandum, an non vulgata commodum illum, de quo egi, ſenſum recipiat.

Vides, Vir præſtantiſſime, me nihil reliquiſſe indictum, & reſpondiſſe pereruditæ tuæ epiſtolæ a capite usque ad calcem. Nunc accipe, me neſcire plane, qui factum ſit, ut *Q. Herennius* in nummo, qui recenſetur in *Memoriis Trevul-*

tia-

tianis, *Memoires de Trevoux*, *Parte I Avril 1702*, *pag. 312* ed. *Amſtel.* dicatur eſſe CONS. V, cum ſemel tantum fuerit, & tunc titulus ille in numismatibus ſolitus ſit omitti.

Præterea aveo ex te cognoſcere, an analogia patiatur, uti ex *Antoninus* derivetur *Antonianus*, quod epitheton deſcendit absque dubio ex *Antonius*; & an non potius ubique ſit ſcribendum *Antoninianus*, quod utique analogia defendi poſſit. In *Inſcr. 1*, *MCXII*, occurrit *Subvillicus hortorum Antonianorum*, quem tamen curam habuiſſe credo hortorum, qui ad aliquem *Antonianorum* pertinuerunt. In 6, CIII, obvia eſt *Legio* I. F. ANTONIANA, cum tamen in 6, DXIII, memoretur LEG. VI. ANTONINIANA, & I, CVIII, LEG. VIII. ANTONINIANA. *Du Cangius* ſcribit inſuper *p. 21 Conſtant. Chriſt. Byzantium* dictam eſſe *Antoninam*, ab *Antonino Caracalla* nempe, ludosque in eius honorem celebratos ANTONEINIA appellari, idque recte; ſed tales ludi ANTONEIA appellantur in *Inſcr. 1*, *CCCXVII*; quod num recte ſeſe habeat, valde equidem dubito. Certum enim eſt, ludos deſignari, in honorem *Antonini Caracallæ* celebratos.

Atque hæc quidem in ſuburbano meo, ex iis, quæ domi annotaveram, digeſſi & compoſui; ſed domum redux, in magicas illas artes, de quibus *Quintilianus* tam emphatice loquitur, inquiſivi; &, quæ obiter & perfunctorie affirmavi, vidi vera eſſe, ſuperos nempe & inferos ex opinione gentilium

carmina magica, vel incantationes, corporibus fuiſſe redditas. His adde, *Petronium* ipſi *Phœbo* metum tribuere :

Quid leviora loquor? Lunæ deſcendit imago
Carminibus deducta meis, TREPIDVSQVE *furentes*
Flectere Phœbus equos revoluto COGITVR *orbe*.

Et *Apuleius Lib. I p. 106* ſcribit, *ſagam*, de qua loquitur, *potentem eſſe cœlum deponere, terram ſuſpendere, fontes durare, montes diluere, Manes ſublimare*, DEOS INFIMARE, *ſidera exſtinguere*; & *Claudianus Lib. I in Rufin.* imperium in Deos magis tribuit:

— — — qua gens Chaldæa vocatis
Imperet arte Diis.

Atque hæc quidem ſufficient, ad oſtendendum, *pſallere* illud tuum vix locum habere poſſe; & invitos vel ſedibus motos Deos, vel coactos obedire carminibus illis, non ceciniſſe, & ita hilares fuiſſe. Quare equidem te etiam atque etiam rogo, ut hæc diligentius velis examinare, & videre, an non commodiore longe ſenſu reponi debeat & poſſit *pallere*, vel, quod mihi in mentem nunc venit, *parereque*, quomodo vides bis locutum eſſe *Lucanum*: Atque inde etiam perſuaſus ſum omnino, te exiſtimaturum, me recte explicaſſe τὸ *audiunt inferi*, & ad *cantum ſuperorum*, ſi & ille foret admittendus, non attendiſſe, ſed coactos audire incantationes, iisque obedire. Vale plurimum, Vir egregie, & me, quod facis, ama. Davent. a. d. IV. Kal. Febr. MDCCVIII.

Sed

Sed, cum Faſtos tam pulchre illuſtres, & illuſtraturus magis proculdubio ſis, patere, ut quæram, quid ſibi velit ultima linea Inſcriptionis apud *Capacium p.30 Hiſtoriæ Puteolanæ*, & apud *Sponium p.56 Miſcell.* ubi male dicitur ſumta eſſe ex eiusdem præclari viri Hiſtoria Neapolitana, ut hoc obiter moneam:

DEDICATA. VII. ID. OCT. III. ET. SEMEL. COS.

Ego certe, quid hæc velint ſibi, ignoro plane.

EPISTOLA XXI.

Arg. *Tota hæc epiſtola in emendandis Romanorum Faſtis occupatur, & hac occaſione varia Eutropii, Velleii, Frontini, Livii, Suetonii, Feſti, Gellii, & aliorum, loca erudite aut explicantur, aut emendantur, aut illuſtrantur.*

Singularem plane voluptatem ex ultimis literis tuis accepi; cum quia inde perſpiciebam, tibi non diſplicuiſſe, quas nuper ad te miſi ſatis prolixas, tum quia agis de rebus, ad interiorem eruditionem ſpectantibus, & quæ dignæ ſunt, ut in eas me ipſo doctiores tecum animi nervos intendant omnes.

Me quidem de iis conſulis, & magna tua eſt exſpectatio, ſed vide, ne eximia, qua me complecteris, benevolentia tibi fucum faciat, & plus ſperes de meis facultatibus, quam in his eſt, uti cum *Juſtiniano* loquar. Obediam tamen et parebo voluntati tuæ, ea tamen lege, ut coniecturas atque divinationes credas eſſe, quicquid tecum iis ſuper quæſtionibus communicabo.

Ceterum, recte me facturum, perſuaſus ſum, ſi ſeriem ſequar epiſtolæ tuæ, & ab ovo, uti eſt τὸ λεγόμενον, faciam initium. Et omiſſis quidem laudibus, quibus me tam amice & liberaliter cumulas, multum me tibi debere fateor, quod mihi

preceris complures adhuc annos; quos ſi mihi & tibi ſummus imperator noſter largiri velit, nihil eſt, quod dubites, quin frequenter mutuas ſim ad te literas daturus.

Quæ commentaris ad locum *Æthici* conclamatum, recto mihi talo videntur ſtare; certe vel ita ille ſcripſit, vel ſcribere debuit; nec video, quid melius poſſit excogitari. Nam credo tecum, tres illos menſores eodem tempore ad dimetiendam terram egreſſos eſſe, unum altero citius opus ſuum abſolviſſe, & toti dimenſioni tot annos impenſos, quot per Conſulum nomina deſignantur, quæ ſi ſubducantur in calculum, utique a Conſulatu *Iulii V* & *M. Antonii* usque ad *Saturninum* & *Cinnam* erunt anni XXVI, quos optime reddis *Æthico*; & lætor ſummopere, dubitatione ac hæſitatione mea eſſe factum, ut in tam eximium locum diligentius inquiſiveris.

Poſt Noriſium vel alibi mente occupata, vel tuo exemplo ſcripſi. Nam in epiſtola, quam Idib. Decemb. proximis ad me dediſti, hæc mittis: *Verum ſi reſtitutum & emendatum a Noriſio calculum ſequamur*.

Lætor ſummopere, placere ea tibi, quæ ad elucidandum *Quintilianum* in medium adduxi. *Semel Conſul* nullibi mihi lectus eſt; nec numerus primus ſolet apponi primo Conſulatui; quanquam unum mihi videar notaſſe exemplum alicubi, id quod proinde νοθείας poſtulatur.

Recte puto *Contium* referre primum Conſulatum *Octaviani* ad annum V. C. 710, quo mortuis *Panſa* & *Hirtio* eum fuiſſe ſuffectum, conſtat ex variis Auctoribus apud *Pighium* ad eum annum, &

fallor,

fallor, aut ipſe ille tibi notatus, quia in Faſtis tuis in *Panſæ* locum dicitur ſuffectus *C. Iulius Cæſar*, nempe, ut puto, *Octavianus*; neque enim tunc alius erat. Obſtat *Eutropius*, fateor, isque diſerte tradit, *Octavianum Cæſarem* cum *Antonio* pacem feciſſe, occiſis ambobus Coſſ. & Romam cum exercitu profectum, extorſiſſe, ut ſibi XX anno Conſulatus daretur. Sed, ſi hæc bene ſeſe habent, & *Octavianus* tunc extra ordinem, vel contra legem annalem, accepit Conſulatum, ſequi utique debet, eum A. V. C. 720 debuiſſe ſcribi Conſulem III, quo tamen in omnibus Faſtis ipſi tribuitur Conſulatus ſecundus. Deinde, ſi pepigit pace cum *Antonio* facta Conſulatum, cum foret annorum XX, mirum utique, illum in nullis Faſtis inveniri; neque enim dubitandum, quin gerere voluerit *Conſulatum ordinarium*, & quin *ſuffectus* longe ablegandus ſit. Quare ego malo aliis Auctoribus credere, quam *Eutropio*, qui non eſt ſatis gravis Auctor, uti illi fidem habeamus, & eandem denegemus aliis, qui narrant, *Octavianum* Conſulem fuiſſe ſuffectum A. V. C. 710 occiſis *Hirtio* & *Panſa*. Ecce tibi teſtimonium inſigne, quod nobis conſervavit *Tacitus* in libri *de Orat. Cap.* 17: *Nam, ut de Cicerone ipſo loquar*, Hirtio *nempe &* Panſa *Coſſ. ut Tiro, libertus eius ſcripſit, VII id. Dec. occiſus eſt, quo anno D. Auguſtus in loco Panſæ & Hirtii ſe & Q. Pedium Coſſ. ſuffecit.* Et *Dio Caſſius* hæc omnia tam clare narrat *Lib. XLVI*, uti ne quidem ullo ſit dubitandum modo, quin Cæſar eodem ipſo anno, quo ceciderunt *Hirtius* & *Panſa*, Conſul una cum *Q. Pedio* factus ſit.

Errat igitur *Eutropius*, videorque detexiſſe erroris originem. Primo dixit, *Octavianum Hirtio* & *Panſa* Coſſ. fuiſſe natum annos XVIII, &, cum alii ipſi tribuant annos XX, cum primo Conſul fuit, hinc *Eutropius* reiicere eum debuit in eundem annum. Id enim facit *Suetonius Cap. 26* vitæ ipſius; neque enim dubium, quin loquatur de anno, quo occiſi duo illi Conſules, cum eidem anno minas militis, vel *centurionis*, *Suetonio* memoratas, tribuat *Dio Caſſius*; id quod etiam abunde patet ex *Appiani Lib. III Bell. civil.*

Et certe natus eſt *Octavius* Coſſ. *M. Tullio Cicerone* & *M. Antonio* A. V. C. 690 iuxta tuum, vel 691 iuxta aliorum, calculum; & usque ad annum 710, vel 711, Conſulatumque *Panſæ* & *Hirtii*, ſunt anni viginti; quot fere natus erat. *Velleius Paterc. II*, 60, narrat, *Octavium* anno, quo occiſus *C. Iul. Caeſar*, *ingreſſum fuiſſe annum XIX*, & anno ſequente, qui memorabilis erat mortibus *Hirtii* & *Panſa*, *pridie quam viginti annos impleret*, X Cal. Oct. cum collega *Q. Pedio* iniiſſe Conſulatum.

Sed tamen, ut fatear, hæc *Velleiana* mihi non ſatis commode diſpoſita videntur. Nam, ſi anno 709 ingreſſus fuit annum XIX, utique viginti annos implere non potuit anno ſequente X Cal. Oct. Quare ego quidem hallucinari *Velleium* crediderim, vel leviter, ſive numeros, ſive vocem *ingreſſus*, ſpectes, corruptum eſſe. Et forte pro XIX ſcribi debet XX; quo certe ducit ipſe *Velleius*, cum mox ita loquatur: *Id ab eo anno agente viceſimum fortiſſime circa Mutinam adminiſtratum eſt*; quæ, etiam atque etiam rogo, ut examinare velis.

Recte

Recte te credo *Frontino* reſtituere *C. Marcium Rutilum* IV Conſulem A. V. C. 412, quem Conſulem ſcribis fuiſſe prima vice A. V. C. 389, quo tamen anno nomen eius non legitur in Faſtis tuis, uti nec ſecundus Conſulatus adſcribitur anno 392, ſed 401; neque invenio, quo anno geſſerit primum, niſi is inter ſuffectos referri debeat. Quin & video, te, Vir egregie, advocare in literis ad me datis *Cuſpinianum* & *Funccium*, &, recte eos Conſulatum *C. Marcii Rutili* I attribuere ſcribis A. V. C. 389, II A. V. C. 392, III A. V. C. 412, cum tamen ultimo, vel, iuxta tuum calculum, anno 411, dicatur fuiſſe IV Conſul, tertium 409, & ſecundo 401. Immo *Cuſpinianus*, vel, quem illuſtrat, *Caſſiodorus*, aliter longe digerit Conſules, quam a te annotatum eſt in epiſtola. Nam anno 389 attribuit Tribunos militares, anno 392 *T. Sulpicium* & *C. Licinium Stolonem*; & anno 412 facit *C. Martium III*, & *T. Manlium II*, Conſulem, quæ certe non quadrant cum Faſtis tuis, neque cum iis, quæ ad me miſiſti. Quæ omnia quomodo ſint illuſtranda & diſponenda, ut difficultates, quæ inde oriri poſſunt, tollantur, nemo melius te iudicare poteſt.

Elegantem & eruditam inde mihi ponis quæſtionem, qui fiat nempe, ut non modo Faſtorum conditores, verum etiam ipſe *Livius*, modo illum Conſulem priore loco, modo eundem ſecundo loco, recenſeat: uti *A. Sempronio & M. Minucio Coſſ.* & *M. Minucio & A. Sempronio Coſſ.* Anceps & obſcura res eſt utique, & tam vetuſtate, quam quod pauci eruditi, vel potius nulli, eam examinarunt, intricata plane. Ego quidem, quid hac ſuper

per re ſtatuam & differam, vix profecto ſcio. Poſſem advocare tam illuſtris Hiſtorici properationem, ſed, cum hæc ſit ſacra quaſi anchora, do tibi conſiderandum, an non hoc ideo ſit factum, quia illo faſces erant penes illum, qui in Faſtis ſecundo loco notatur, uti apud *Livium Lib. II Cap. 34 M. Minucius* præponitur *A. Sempronio*, qui & in tuis Faſtis locum primum obtinet. Certe, hoc variaſſe, & modo primum, modo ſecundum, Conſulem faſces habuiſſe, & eo tempore forte in ſenatu primum locum occupaſſe, haud obſcure patet ex *Suetonii Caeſ. Cap. 20: Antiquum autem retulit morem, ut, quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur.* Acta diurna dierum ſeptem, vel excerpta ex libris Pontificum linteis apud *Reineſ. Claſſ. IV num. 2* & reliquis, docent, uno die A. V. C. 585 fuiſſe penes *Æmilium*, altero penes *Licinium* Coſſ. qui appellantur in Faſtis *L. Æmilius Paulus* & *C. Licinius Craſſus.* Vir doctus, & orbis literarii, dum viveret, lumen, arbitratur, vitiata eſſe hæc Acta, vel auctorem eorum incidiſſe in quendam ex recentioribus; ſed *Dodwellus* in *Appendice* ad *Prælectiones in Hiſtoriam Auguſtam* in alia diſcedit omnia, quem tamen nihil iuvare puto ea, quæ de cladis Cannenſis hiſtoria mandarit memoriæ *Polybius* & *Livius*, cum in caſtris vices diurnæ, in urbe menſtruæ, obtinere potuerint, licet videatur in deſuetudinem abiiſſe menſtrua mutatio tempore *C. Iulii Cæſaris*. Tu, quæſo, hæc examina; neque enim ego id facere poſſum, cum ipſum illud tempus, quod literis hiſce impendo, ſurripiam diverſis diebus, negotiis publi-

publicis, quæ me & alios in ordinum conſeſſu & curia cummaxime diſtringunt.

Altera inſuper te vexat difficultas, quod plurima collegeris exempla, ubi Conſulem antiquiorem vides poſtpoſitum novo, ſeu recens iam ac prima vice creato. Anceps, fateor lubens, quæſtio; ſed an non id inde ortum eſt, quod is, qui nonquam fuit Conſul, primo loco electus & creatus eſt Conſul in comitiis? Probare illud certis & indubitatis argumentis vix poſſum, ſed tamen puto me in *Livio* legiſſe, *electos* eſſe, vel *creatos*, illos & illos, eo ſcilicet ordine, ut puto, quo a populo facti Conſules ſunt, licet ſecundus ordine illo anno, antea ſæpius eum honorem geſſerit. Eſt tamen locus apud *Feſtum*, qui me eo ducit: *Maiorem Conſulem L. Cæſar putat dici vel eum, penes quem faſces ſint, vel eum, qui prior factus ſit*; & *Paulus* mox: *Maior Conſul dicitur vel is, penes quem faſces ſunt, vel is, qui prior factus eſt. Dacerius*, vir inprimis eruditus, notat, alternis menſibus apud alterum Conſulem faſces fuiſſe, non penes unum tantum; & *maiorem Conſulem* dictum fuiſſe putat, qui eos haberet prior, & ſumere eos ſolitos fuiſſe faſces, qui maiores natu eſſent.

Vellem equidem, ultimam hanc ſententiam idoneis firmaſſet teſtimoniis. Nam & inde ſequeretur, unum Conſulum, & quidem prima factum vice, alterum, qui ſæpius eundem magiſtratum geſſerat, præiviſſe, ſi modo plurium annorum eſſet. Nam inde & ratio peti poſſet, quare ille alteri præponeretur;

retur; quanquam ego malim decurrere ad ordinem creationis. Et certe magnus honor, primo Conſulem nuncupari, eoque nomine ſeſe effert *Auſonius* in *Gratiar. act.* & libera republica *Cicero Orat. in Piſonem*, talisque deſignatus primus rogabatur ſententiam, primusque Conſulatu inito alios rogabat, uti docet *Manutius ad Epiſt. Cicer. ad Attic. Lib. I Ep. 13*, ubi commode affert exemplum patricii & plebeii, huncque docet priore loco electum rogaſſe pacificatorem Allobrogum. Quanquam exiſtimem, & illud fieri potuiſſe, quia faſces penes eum erant. Ecce tibi exemplum elegans apud *Liv. IX, 8: Quo creati ſunt die, eo (ſic enim placuerat patribus) magiſtratum inierunt, ſolennibusque S. C. perfectis, de pace Claudina retulerunt; & Publilius, penes quem faſces erant,* DIC SPVRI POSTVMI, *inquit. A. Gellius* autem *Lib. II Noct. Att. Cap. 15* conſervavit nobis varias rationes, quare apud unum vel alterum Conſulem faſces primo eſſent. Nam, poſtquam narraſſet, ſenectuti olim Romæ maximum honorem habitum eſſe, ſupponit varios caſus, in quibus poſtea illud non obtinuit: *Sic capite VII Legis Iuliæ priori ex Conſulibus faſces ſumendi poteſtas fit, non qui plures annos natus eſt, ſed qui plures liberos, quam collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit. Sed, ſi par utrique numerus liberorum eſt, maritus, aut qui in numero maritorum eſt, præfertur. Si vero ambo & mariti & patres totidem liberorum ſunt, tum ille priſtinus honos inſtauratur, &, qui maior natu eſt, prior faſces ſumit. Super his autem, qui aut cælibes ambo ſunt, aut parem numerum filiorum habent, aut ma-*

riti

riti ſunt, & liberos non habent, nihil ſcriptum in lege de ætate eſt. Solitos tamen audio, qui lege potiores eſſent, faſces primi menſis collegis concedere, aut longe ætate prioribus, aut nobilioribus multo, aut ſecundum Conſulatum ineuntibus. Eſt certe locus hic notandus inprimis, quia varia nos docet, unde conſulares ritus magis innoteſcunt, mirorque, eruditione præſtanti viros eundem non accurate illuſtraſſe, præcipue illos, qui ad legem *Papiam Poppeam* ſcripſerunt. Et videor quidem annotaſſe inde, non obſervatum fuiſſe ordinem electionis, vel creationis, inter Conſules, quia ante legem Papiam *prior faſces ſumebat* is, qui maior eſſet natu. Iam puto eum, qui faſces habebat, primo loco inceſſiſſe, & ſediſſe etiam in ſenatu, atque adeo ſententias rogaſſe alios; quanquam in Faſtis ordo electionis potuerit utplurimum fuiſſe obſervatus. Mutatum hoc lege laudata, & penes eum prius faſces erant, qui plures liberos habebat; qui cum ſecundo loco Conſul creari poſſit, ſequitur inde, eum honorem faſcium habuiſſe ante alterum, & ita priore, niſi me plane fallo, loco ſediſſe. Huc pertinet nota Scholiaſtæ ad *Iuvenalis Sat. IX, 90: A tutela excuſant liberi, & in faſcibus ſumendis prior eſt, qui præſtat numero filiorum. Dalecbampius* arbitratur, *Plinium VII, 43, maiorem Conſulem* appellare, qui primo ſtatim menſe, & prius, quam collega, faſces accipiebat; eum autem olim fuiſſe, addit, vel ſeniorem, vel nobiliorem, lege autem *Iulia* de maritandis ordinibus ab *Auguſto* perlata, vel plurium liberorum patrem, vel maritum altero cælibe, vel certe priorem declaratum, vel qui

iam ante Conſulatum geſſiſſet. Hauſit illa ex *Lib. XII Cap. 8 antiquar. Lection. Cælii Rhodigini*, qui & ita τὸ *maior* apud *Plinium* interpretatur; male, ne dicam peſſime; nam *L. Cornelius Balbus* appellatur maior reſpectu alterius *Balbi*, cuius erat patruus, *minor*que dicitur *Ciceroni*, uti ante plures annos annotavi, & nunc video explicaſſe etiam, ne quem laude ſua fraudem, *Harduinum*, qui tamen virorum doctorum errorem illum non caſtigavit. Notatque *Cælius*, *Plutarchum* & *Val. Maximum* prodere, faſces in anteceſſum ſeniori ex Conſulibus traditos fuiſſe; quorum in loca inquirere, ut nunc eſt, non poſſum.

Ex ultimis autem *Gellii* verbis patet, faſces per menſem integrum fuiſſe penes unum ex Conſulibus, &, ſi ambo cælibes eſſent, vel parem numerum filiorum haberent, vel mariti & liberos non haberent, ſolitos fuiſſe eos, qui lege *Papia Poppæa* primi faſces habere poterant, eos primo menſe conceſſiſſe vel ſenioribus, vel nobilioribus multo, *vel ſecundum Conſulatum ineuntibus*. Et ultima hæc verba non obſcure indicant, eos, qui plus quam ſemel Conſulatum geſſerant, fuiſſe ſecundo loco creatos, id quod iudicaui cauſam eſſe, quare eorum nomina ultimo legantur loco. Atque *Gellii* ille præclarus locus nos docet, faſces penes unum Conſulem per menſem integrum fuiſſe, id quod multum facit ad illuſtrandum *Suetonium*, cuius de loco egi ante.

Ut autem Conſulum nomina eorundem modo primo, modo ſecundo, ponuntur loco; ita idem obſerves in Cenſorum nominibus apud *Fabrettum*

Cap.

Cap. 6 num. 166, *167*, id quod & factum *num. 168*, *169*, & in aliis. Idem ille vir eruditus *pag. 503* & *504* varia exempla in medium affert, ex quibus conſtat, nomina eorundem Conſulum modo primo, modo ſecundo, ſcribi loco, & in rationem eius rei inquirit; &, quanquam *faſces* etiam ipſi, uti a me quoque factum eſt antea, aduocentur, tamen hæret & dubitat, quia in Codicibus tam *Theodoſii*, quam *Iuſtiniani*, Conſules, diverſis quamvis menſibus, eodem ſemper ordine occurrunt.

Hinc in epiſtola tua pererudita ſequitur *Frontini* locus, qui legitur *I*, *5*, *16*, quærisque, quis ſit ille *L. Minutius* Conſul, & an non prænomen mutari poſſit in T. ita ut ſit *Tiberius Minutius*, Conſul A. V. C. 450. In editione *Keuchenii* prænomen omittitur, & illud forte in editiones irrepere potuit ex nota numerali. Illud tamen ſeruat *Tennulius*, & ille putat, agi de *Q. Minucio*, de quo ita loquitur *Livius Lib. XXXIII Cap. 23*: *Q. Minucius Conſul de Liguribus Boiisque Gallis in monte Albano triumphavit.* Et certe hoc veriſimile videtur, quia cum Liguribus militavit, nec ulla erit difficultas, ſi ſequemur editionem *Keuchenii*. Quin & obſtare nihil puto tempus remotum magis a Caudina clade; quia hæc omnium ſemper Romanorum militum animos occupavit, & ut ſummum dedecus apud poſteros habebatur. His adde, *T.* notare *Titum*, & *Ti. Tib.* vel. TB. *Tiberium*, nec memini, me inveniſſe *T.* pro *Tiberio* poſitum, & credo, male ſcribi apud *Urſatum Sertorium* T. IVL. T. F. *Tiberius Iulius Titi filius*, pro *Ti. Iul.*

Gal-

Gallæum nobis ereptum eſſe, ſummopere doleo. Dediſſet enim nobis *Lactantium* pulcherrime illuſtratum & emendatum. Ego frequenter a ſymbolis fui, & viro egregiæ indolis & doctrinæ multa ſubminiſtravi, uti patet ex volumine literarum, quas nobis mutuas ſcripſimus.

Atque ita quidem ſingulis epiſtolæ tuæ capitibus reſpondi, & ſpero, quæ in medium attuli, tibi non diſplicitura; & noſti, me ea non ut *κυρίας δόξας*, ſed ut coniecturas, mittere; quæ ſi probas, erit, quod læter, ſin minus, nullus erit triſtitiæ locus, cum non dubitem, quin me meliora ſis edocturus, & ita ſim extenſurus uſuram eruditionis.

Obſervo, ut hoc addam, *Glanderpium* male *Martiis*, vel *Marciis*, tribuere cognomen *Rutilii*, loco *Rutili*; id quod nequaquam eſt admittendum, quia *Rutilius* eſt nomen gentis, vel familiæ. Sunt mihi & alia, quæ ſpectant ad Faſtos aliquo ſaltem modo, niſi me fallo ſummopere, illuſtrandos; ſed illa alii tempori ſervare conſtitui; vereorque tibi plus oneris imponere, id quod certe haud leve nunc ſubis, legendo tam verboſam & inconditam epiſtolam.

Roma & Pariſiis pulcherrimorum nummorum & marmorei loculi perfectiſſimi ectypos, & alias res notabiles, accepi.

Vale quapropter ſummopere, & amicos communes ſaluta verbis meis amantiſſimis. Davent. 7 April. 1708.

In epiſtola tua bis *Vegetium* nominas pro *Frontino*.

✡ ✡ ✡

INDEX
DISSERTATIONVM,
QVAE
VOLVMINIS MISCELLANEORVM QVARTI PARTE TERTIA CONTINENTVR:

I. GEORG. LVDOV. OEDERI, D. Diſſ. de vexato loco *Gal. IV, 21 ſeq.* Pag. 385-426.

II. PETRI ZORNII Diſſ. de נזירים, ſive Naziræis, ex ordine procerum viris principibus, ad illuſtrationem variorum in S. Codice locorum, *Geneſ. XLIX, 26, Ieremiæ* in *Threnis IV, 7, Nahumi III, 17.* Pag. 426-442

III. CAR. HENR. ZEIBICHII, Art. Mag. & Ordinis Philoſ. Vitemberg. Aſſeſſoris, Diſſ. de Ritu adiurandi ſummum Hebræorum Pontificem ante expiationem anniverſariam, ad illuſtrandum *Cod. Ioma Cap. I N. 5.* Pag. 442-464.

IV. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Supplementum in Hadriani Relandi recenſionem Urbium & Vicorum Palæſtinæ. Pag. 465-511.

V. FRANC.

* * *

V. FRANC. CAROLI CONRADI, Seren. Brunſvic. ac Luneb. Duci a Conſiliis Aulicis, & in Academia Iulia Anteceſſoris, in loca *Quintiliani Inſtit. Orator. Lib. VI Cap. 1 & 3*, de uſu picturarum in iudiciis apud Romanos, coniecturae. Pag. 511-517

VI. MATTHIAE BELII Obſervatio hiſtorico-phyſica de Antro Ribarienſi, halitus noxios eructante. Pag. 518-526.

VII. FRID. OTTONIS MENCKENII duorum Ovidii locorum emendatio tentata. Pag. 527-551.

VIII. GISBERTI CVPERI ad THEOD. IANSS. AB ALMELOVEEN Epiſtolae, quartum continuatae. Pag. 551-570.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLUMINIS QUARTI PARS QUARTA, QUAE EST ULTIMA.

LIPSIAE,

IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM

M DCC XLVI.

I.

I. C. HARENBERGII EXPOSITIO ODAE DAVIDICAE LX, AD CRITICAM SACRAM EXACTA.

SYNOPSIS.

§. I. *Translatio Pſalmorum nova, hiſtoriæ, accentuationi, & vocibus, conformis, eſt adornanda.* II. *Exhibetur nova Metaphraſis, ad hæc momenta referenda.* III. *Explicatur* עַל *de tibiarum ſpecie.* IV. *Exponitur von Schuſchan de Sichonide, ſeu agitatione corporis ad tibiam.* V. *Regio Aram-Nabaraim determinatur.* VI. *Regio Aram-Zoba ſignificatur.* VII. *Definitur vallis ſalis.* VIII. *Edifferitur prælium Davidis cum hoſtibus Syris & Idumæis.* IX. *De voce* סֶלָה. X. *De vino & calice horroris.* XI. *De voce* מִכְתָּם *pacta afferuntur.* XII. *De munimento capitis Dei, Ephraimo.* XIII. *De oppidis Succoth & Manor.* XIV. *De calceo hieroglyphico, verſus Idumæam projecto.* XV. *Dogmata & ſententiæ morales eruuntur ex LX Pſalmo.* XVI. *Fertur iudicium de Verſione Alexandrina & veteri Italica, quantum ad hanc Odam attinet.* XVII. *Expenditur verſio Sebaſtiani Schmidii.*

I.

Voluminibus ſacris, quæ appellantur metrica, ineſt ſtilus ſublimis, adeo, ut ea recludant ſapientiam ſummam, verbis perpaucis incluſam. Quam ob cauſam ad voces inibi ſingulas lectori eſt ſubſiſtendum, ne quid ſeſe attentioni ſubducat, quod vel in ſignificatu vocum, vel in orationis contextu, vel in ipſa accentuatione, latet. Sæpius in voce unica reſidet offendiculi origo. Nam nomen proprium nonnunquam habetur pro communi, eo quod Hebræi nomina propria haud diſcreverunt litera maiuſcula initiali. Paſſim omittuntur voces, ab interprete haud ſecus, ac par eſt, ſupplendæ. Ut gravitas affectus pateſcat, ac inde vocum exquiratur pondus, inveſtiganda eſt hiſtoria, quæ *Pſalmo* ipſi ineſt, vel ei concinnando materiem ſuppeditavit. Si enim hiſtoriam ipſam, materiem quippe & occaſionem Odarum ſacrarum, explorare & expiſcari licet, interpretatio ac expoſitio ipſarum redditur facilior ac lucidior. Optandum itaque eſſet, ut cuicunque *Pſalmo* argumentum hiſtoricum olim fuiſſet præmiſſum. Interpretis omnino eſt, ſententiæ cuiusque vim, eiusque tempus, recte indicare, ne vaticinium habeat pro imprecatione, vel deſiderio vindictæ, ne transacta convertat in futura, ne præterita dudum mutet in præſentia, ne exoptationes, vel exclamationes, vertat in periodos ſimplices, affectuque carentes. Interpretes vetuſti duces parum fidos ſeſe in *Pſalmis* exponendis præſtiterunt. Alexandrinus Interpres Græcus adhibuit Codicem, accentibus punctisque vocalibus vacuum, cum ad in-

interpretandum Inſtrumenti veteris Codicem ſeſe applicaret. Codices enim Ebræi, accentibus literisque, ſeu punctis vocalibus, inſtructi, maximis olim ſteterunt ſumtibus, nec in manibus univerſorum fuerint verſati. Interpres vetus Italus, cuius interpretatio *Pſalmorum* ab *Hieronymo* fuit haud admodum emendata (*a*), & in hunc usque diem apud Latinos retenta, expreſſit ſua ex Alexandrini illius verbis, ſæpius a re ipſa & ſcopo aberrantibus. Qui de Patrum grege in *Pſalmos* exponendos incubuerunt, ab adminiculis hermenevticis fuerunt imparati. Nihilo minus Græci doctores poſtea contexuerunt *Compilationes*, ſeu *Catenas* ſuas. Latinos Patres in uſus ſuos adhibuit *Rabanus Maurus*, ac ex eorum Commentariis unum in univerſa Biblia Commentarium conflavit. Ex hoc Commentario *Walafridus Strabo*, Augiæ Divitis Abbas, *Gloſſam* decerpſit *ordinariam*, id eſt, ſyllogen breviſſimarum in ſententias totius Codicis ſacri univerſas annotationum. Adiunxerunt huic Gloſſæ, hinc inde mutatæ, nonnihil *Anſelmus Laudunenſis* & *Nicolaus Liranus* ex ſcriptis Patrum Latinorum, quæ *Rabanum* præterierant, vel ipſe præterierat lubens (*b*). Si hanc ad Odas *Davidicas* conſulas Gloſſam, vix tibi arridebit iudicium *Dugeti*, qui illam exiſtimat haud deſpiciendam eſſe (*c*). Nec interpretationes & expoſitiones *Pſalmorum*, a noſtris hominibus

 pro-

(*a*) Cardinal. *Gotti de Veritate Relig. Chriſtian. & librorum, quibus innititur, T. II Cap. 6, 7.*

(*b*) *Hiſtoire litteraire de la France T. V p. 60.*

(*c*) *Duguet dans la Lettre 41 du VIII Tome de ſon Recueil des Lettres de pieté & de morale.*

profectæ, ubique menſuram ſcopi hermenevtici implent. Ipſe *Lutherus* alias puncta vocalia neglexit, alias eis ſeſe in interpretatione ſua conformavit, ratus, illa eſſe Iudæorum inventa recentiora (*d*). Quam *Lutheri* opinionem, ex Romana Eccleſia transductam, extra dubitationem collocavit *Ioannes Saubertus* (*e*). Accentuum *Lutherus* rationem habuit nullam, ſiquidem Codices V. T. Ebraici ea ætate vel nullos, vel pauciſſimos, exhibebant accentus (*f*). Quis inficiabitur, hinc uſu veniſſe, ut ſtructura ſententiarum, *Pſalmis* expreſſarum, haud ſemper accurate fuerit patrum noſtrorum memoria vel explorata, vel verbis vernaculis expreſſa? Tentavit metaphraſin *Pſalmorum* novam Cl. *Chriſtianus Richterus*, Halæ A. 1736, 8. editam, cui egregiam fuiſſe operam inſumtam, facile largiuntur omnes. Liceat vero indicaſſe, ipſum nomina geographica aliquando prætervectum fuiſſe, ac bis in *incíſo undecimo Pſalmi* noſtri poſuiſſe *nos*, ubi ponenda erat vocula *me*. Muſicam vetuſtiſſimam interpretes plerique reliquerunt intactam, vel ex Rabbinorum fictionibus addiſcere voluerunt. Ex eo factum eſt, ut inſcriptiones *Pſalmorum* univerſi fere interpretibus crucem fixerint, tenebraſque offuderint graviores. Aggreſſus fui hanc ob cauſam multis abhinc annis *Pſalmis* ſacris majorem addicere

re

(*d*) *Lutheri Commentarius in Geneſin XXXVI*, 4, *XLI*, 40, *XLVII*, 31.

(*e*) In *Operibus poſthumis*, a *Ioanne Fabricio editis*, p. 1, 2.

(*f*) Cel. *Chriſtianus Gottlieb Kluge* in *Anmerckungen über den Vorbericht und die Vorrede zu den Reinbeckiſchen Gedancken von der vernünftigen Seele und der Unſterblichkeit derſelben*, *Cap. II* §. 6 *p.* 117 *ſeq.*

re curam. Speciminis loco iam une praebebo interpretem *Pſalmi LX.* Ut vero tramitem oſtendam, cui inſiſtere eſt animus, omnino neceſſum eſt. Odae noſtrae argumentum complectitur carmen triumphale & gratiarum actionis plenum. Inſcriptio ipſa iudicium huius rei complectitur perquam luculentum. Quamobrem ea omnia, quae ad calamitates Iudaeis ab hoſtium turba illatas, pertinent, ad tempus pridem elapſum ſunt referenda. Inſultus ac impreſſiones in Iudaeos fecerant eodem tempore Philiſtaei, Syri, & Moabitae, ac Idumaei. Philiſtaeos primum devicit *Davides.* Tum vero Aramaeos repulit, illos in Aram-Naharaim habitantes aeque ac in Aram-Zoba commoratos. Tandem ordo tetigit Idumaeos. Hiſce ſingulis devictis, non minus quam Moabitis, aperto Marte haud bellantibus, *David* iugum ſervitutis impoſuit, eosque Deo reddidit vectigales. In victos haud crudeliter ſtatuit conſuluitque *Davides.* Nam, *Ovidio* teſte,

Quo quisque eſt maior, magis eſt placabilis irae;
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni.
Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet.

II. Succedat iam interpretatio ipſa, Latine reddita, & fideliter ad verbum expreſſa:

1. *Praefecto Muſices. Cum ſcinnide iduthi. Aurea Davidis Oda didaſcalica.*

2. *Cum ipſe conflixiſſet cum Aramaeo Interamnenſi et cum Aramaeo Zobaeo, & Ioabus revertiſſet, atque*

 per-

percuſſiſſet Idumæos in valle ſalis, nominatim XII principes familiarum.

3. *Deus! Deſerueras nos, inſtiteras nobis veluti cumulus exundantis aquæ irruens, fueras nos averſatus. At reduxiſti in nos* benevolentiam tuam (g).

4. *Concuſſeras terram (h), confregeras eam. Fac, ceſſent calamitates eius, quibus contacta frangi ſolent. Namque* ea regio *hinc inde nutavit.*

5. *Spectandum præbueras populum tuum duriter tractatum. Ebrios ſtupidosque nos reddideras vino, horrorem conciliante & vertiginem, immo mortem.*

6. *Propoſuiſti tandem eis, qui te reverentur, vexillum, quod ſit perfugio.* Id feciſti *ob veritatem* promiſſorum. *Selah*, id eſt, *perpetuo (i)* perſtet illa veritas!

7. *Propterea*, ob hanc veritatem, *erepti ſunt* e calamitate *dilecti tui. Salutem præſtitit dextera tua, annuitque votis noſtris.*

8. *Deus locutus fuit (k) in adyto ſuo*, ante expeditionem illam conſultus, hunc in modum: EXVLTABO VTIQVE. DISIICIAM DESTINATIONEM hoſtium. ET VALLEM A SVCCOTH

(g) Ellipſin hanc curate indicavit B. *Chriſtophorus Theodoſius Waltherus* in libello *de Ellipſibus Hebraicis pag.* 35.

(h) Terram Iudaicam, in quam dominabatur *David.*

(i) Targumiſta loco vocis, *Selah* habet *Pſ.* XLIV, 9. לעלמי עלמין, *in ſecula ſeculorum.*

(k) Pontifex ſummus pro Rege conſulebat Deum, in adyto templi intimo inſtar Regis in throno recumbentem.

COTH AD IABOCI FLVMEN PROTEN-SAM, METABOR DILIGENTER.

9. MEA EST GILEADITIS, non hoſtis (*l*). AC MEA EST MENASSITIS Transiordanica. ATQVE EPHRAIMITIS MVNIMENTVM EST CAPITIS MEI. IVDAH EST CONSTITVTIONVM MEARVM PROMVS CONDVS (Gen. XLIX,10,).

10. MOABITIS EST OLLA AD LAVANDVM ME. VERSVS IDVMAEORVM REGIONEM CALCEVM MEVM PROIICIAM. ERGA ME, TERRA PHILISTAEORVM, CLANGORE EXVLTA.

11. *Quis perduxit me ad urbem Maſarin? Quis perduxit me usque in Idumæam?*

12. *Nonne tu, Deus, qui deſerueras nos? Nonne exiveras, Deus, cum exercitibus noſtris in expeditionem?*

13. *Imperti nobis porro auxilium ex anguſtiis! Namque irrita eſt fiducia, in homine collocata.*

14. *Per Deum perfecimus expeditionem validam. Nam ipſe conculcat hoſtes noſtros.*

III. Is, qui choreas ſacras muſicas moderabatur, nomine מנצח inſignitus erat, ex נצח, *actione, qua quis alterum perpetuo urgere dicitur.* Is enim, qui præfectum rei alicuius agit, vocatur מתנצח *Dan. VI,3*, & מנצח *2 Par. II, 2, XXXIV, 13.* Muſicæ ſacræ ſub *Davide* præerat *Aſſaphus*, ſub *Hiskia* vero *Korah* cum ſociis. Diſcipuli ac ſocii

Oo 4 Pro-

(*l*) Hoſtem Gileaditida & Batanæam ad Iordanem usque invaſiſſe, hinc pateſcit.

Prophetarum ſolebant Muſicen ſacram ad temperandos & flectendos animos adhibere (*m*). Claruit inter eos Propheta & Muſicus *Iedutbun*, *1 Par. XXV*, *1*, a quo ſpecies tibiarum videtur inventa eſſe nominis eiusdem, de qua ſtatim eſt dicendum. *Iedutbun*, ידותן, certe eſt nomen organi muſici, ut ex inſcriptione *Pſalmorum 39, 62*, & *77*, perſpicere licet. Hoc loco conciſius, nomen illud appellatur עדות, *Eduth*. *Iulius Pollux* (*n*) nobis ſpeciem hanc tibiarum conſervavit, hiſce verbis in medium allatis: *Ιδυθοι αυλων ειδος*, *Iduthi ſpecies tibiarum.*

IV. Quid ſit שושן, *Schuſchan*, fluctuantur Critici & Lexicographorum luminares. Roſarum domina, *lilium*, hic non venit in cenſum. Cum Suſis, urbe Elymaidis, *Davidi* nihil fuit negotii. Quare ad eam hic reſpicere haud lubet. Ad rem muſicam vetuſtiſſimam animus eſt revocandus. Antiquiſſimi enim mortalium Odas decantabant tripudiando, & choreas iungendo, quibus exercebant ſeſe fœminæ cum fœminis, & mares cum maribus, *Exod. XV*, *20*, *1 Sam. XVIII*, *6*, *7*, *2 Sam. VI*, *5*, *14*. Memoria repetere decet, *Sicinnin*, *Σικιννιν*, שושן, quandam fuiſſe tripudii, tibus iuncti, ſpeciem, omnium modeſtiſſimam, omnique animi motu vacantem. Teſtem compello *Athenæum* (*o*). Inde profluxit vox *σικιννοτυρβη*, deſignans *modum*

(*m*) D. *Io. Wilh. Albrecht de Effectibus Muſices in corpus animatum*, Lipſiæ, 1734. 8.

(*n*) *Onomaſtici IV*, 10, §. 1.

(*o*) *Dipnoſ. IV*, p. 630.

canendi tibia quendam, *Euſtathio teſte*. *Schuſchan-Eduth* eſt itaque Σικιννοτύρβη, vel Σικιννὶς ὁ *modus ſaltationis ad tibiam inſtituta*. Alibi ſimpliciter legunt *Sicinnides*, שׁלשׁים, quam vocem temere pro *hexachordo* reputant aliquot Rabbini, quaſi ea ex שׁשׁ, *ſex*, decerpta fuiſſet contra analogiam omnem. Indicantur per eam choreæ, ad tibiarum concentum attemperatæ. Licet enim vel maxime unam ex templi portis, *Schuſchan* dictis, cum *Salomone Ben Melech* hic deſignari crederemus; id tamen dubio vacat, ævo *Davidis* nec templum, nec portas Schuſchan exſtitiſſe.

V. Regio *Aram-Naharaim*, Syria interamnenſis, vocata fuit ex oppido *Nahharaim*, ſeu *Hharan*. Dicta fuit alibi eadem regio etiam *Paddan-Aram*, & *Aram-paddan*, *Aramæa Batanitenſis*, ex loco Paddan, quem *Stephanus* vocavit Βατανέα, *Batanæa*. Ad hanc, id eſt Transjordanica regionem hanc poſitam fuiſſe, oſtendi in *Novis Eruditorum Actis A. 1740 Menſe Maio*. Pereque *Ioſephus* appellavit regionem *de B. I. II*, 42, atque *Hegeſippus de Excidio Hieroſolymitano III*, 9, quam *Gorionides* vocavit *Aram-naharaim Lib. VI Cap. 9 p. 576*, contribuens *Menaſſe*, Iudaico Principi præfecturam terræ Iudaicæ ab Hierichunte uſque ad fluvium Phrath, id eſt, Orontem, per Aram-naharaim, iterque *Veſpaſiani* patris deſcribens ab urbe Syriæ Antiochia inſtitutum verſus Galilæam per regionem Aram-Zoba. Ex quorum locorum collatione intelligitur, regionem Aram-Naharaim exſtitiſſe trans Iordanem ad Orientem: regionem vero Aram-Zoba ad ſeptentrionem Galilææ eſſe

rendam. *Abrahamus*, *Nahor*, *Bethuel*, *Labanus*, & *Iacobus* ad tempus, commorati fuerant in loco Hharan intra regionem Aram-Nahharaim. Hharan vero tanto locorum intervallo abfuit à Iaboco, in Iordanem ſeſe exoneraturo, quantum *Iacobus*, lenisſime cum gregibus ovium & familia imbelli progreſſus, emetiri potuit ſupra locum Gilead diebus decem, *Labanus* vero, eum conſecuturus, diebus ſeptem. Qui Hharan quærunt ultra Euphratem in urbe Carris, ii pronuntiant ſententiam, quæ toto cœlo diſſert ab itinere illius intervalli. Iabocum a ſeptentrionibus defluxiſſe primo quidem, pateſcit etiam ex *1 Macc. V*, *37-46*, ac ex aliis locis.

VI. Regio Aram-Zoba ſita fuit ultra Chermonem montem verſus ſeptentriones circa Hhamath, ſeu Heliopolin, Damaſcum, & Cun, *1 Par. XIX*, *3*, *5*, *8*. *Wilhelmus Tyrius Syriam Sobal* exiſtimavit exſtitiſſe regionem transiordanicam (*p*), cuius caput, ſeu urbs primaria, fuerit *Sobal* (*q*). Si vero ad loca eius accurate attendimus, ipſi haud licet ſuffragari, ſiquidem ille regionem illam nimis verſus meridiem protraxit. Aram-Zoba ſic vocata fuit ab oppido *Zoba*, alibi *Chobah*, & *Cabioſa*, dicto, quod ab urbe Damaſco in ortum æſtivum ſitum, poſteaque ſub Syris Græcis appellatum fuit *Laodicea*. Regiunculam, ei adiectam, *Ptolemæus* vocavit *Cabioſam Laodiceam*. Ipſa ad Antilibani verticem borealem extremum fuit poſita, inde appella-

ta

(*p*) De *Bello ſacro X*, 8.

(*q*) *Ibidem XVII*, 2.

(r) *Cellarii Geographia antiqua III*, 12, *p.* 443.

ta a *Strabone* Λαοδίκεια ἡ πρὸς Λιβάνῳ (*r*). Hac iter proficiſcentium Antiochia in Galilæam patuit, uti ex itinere *Flavii Veſpaſiani* facile eſt intellectu. In *Notitiis Eccleſiæ* provincia hæc vocatur *Phœnice Libaneſia*, latius, quam ipſa Laodicea, patens. Nam ad Phœnicen hanc ſpectarunt præter Laodiceam illam Heliopolis, Abila, & Damaſcus. Unde, quanta horum locorum fuerit vicinitas, facile perſpicitur. Haud procul fuit *Conna*, quam ſcriptor divinus *Cun* vocavit. In Itinerario *Antonini* iter, a Damaſco Emeſam inſtitui ſolitum, ſic deſcribitur: *Item a Damaſco Emeſam m. p. 152 ſic. Abilam m. p. 38, Heliopolim m. p. 22, Conna m. p. 32, Laodiciam m. p. 32, Emeſam m. p. 18.* Ergo Conna Heliopolin & Laodiceam illam interiacuit. Supereſt Soba, ſeu Hoba, pagus ſat grandis ad ſiniſtram Damaſci verſus ſeptentriones, plus quam quadrante milliaris Germanici ab hac diſtans. Hanc *Franciſcus de Troilo* aliique de Zoba exponunt. At repugnat ſedi Regis Zobenſis vicinitas Damaſci. Chobah autem, cuius fit mentio *Gen. XVI, 15*, huc potius quadrat. Patres Eccleſiæ & eorum compilatores Geographiam ſacram haud attigerunt, nec fontibus labra ſatis proluerunt. Inde contigit, ut allegorias ubique fuerint venati, doctrinasque, legitime comprobatas, e fontibus eliciendi artem ignorarint. Si quis hoc dubitat, eum remittimus ad *Rabani Mauri* in *Ioſuam* Commentarium, allegoriis refertiſſimum, a *Martenio* & *Durando Tom. IX p. 668-768* tandem evulgatum.

VII. *Vallis ſalis*, in qua Idumæi fuerunt devi-

ſibi appellationem traxit a ſale, quod ex unda maris mortui, in ciſternas derivata, concreſcit, & a ſole elaboratur. Celebratiſſima ibi fere olim ad ripam lacus illius occidentalem exſtitit *urbs ſalis Joſ. XV, 62.* Ibi non ſolum *Davidis* duces bellici, ſed etiam *Amazias*, Judæ Rex, olim conciderunt Idumæos in valle ſalis 2 *Sam. VIII, 13. 2 Par. XXV, 11.* Sal Sodomiticum Judæi vocant id, quod in ciſternis prope lacum illum coaleſcit. Sunt, qui ſibi perſuadent, non ſolum ſal, ſed etiam bitumen, lacus mortui nomine hoc veniſſe. Bitumen veniſſe nomine ſalis, merito inficiatus fuit *Hadrianus Relandus* (s). *Galenus* ſal, ex lacu iſto factum, ipſe exploravit & deſcripſit (t) hunc maxime in modum: Δύναμις αὐτῶν ἁλῶν, οὐ ξηραντικὴ μόνον ἐπὶ μᾶλλον ἐστὶ τῶν ἄλλων ἁλῶν, ἀλλὰ καὶ λεπτυντικὴ, διότι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἐξώπτηνται. *Vis eius ſalis non modo plus exſiccat, quam ſal alius, ſed magis etiam extenuat & digerit, quia magis toſtus eſt.* *Julius Africanus* ſalem hunc tradidit paululum ab aliis diſcrepare, quippe *amarum & perlucidum.* Inter montem, cui Petra incubuit, & oram lacus Sodomitici vallis interiacuit, ad Orientem procurrens. *Wilhelmus Tyrius de Bello ſacro* commentatus, XXII, 28. de ſitu Petræ ſic expoſuit: *Civitas in monte ſita ſublimi admodum & vallibus ambitu profundis.* In has valles ex illa petra *Amazias* Idumæos devictos præcipitari & exanimari caſim juſſit, ut exſtaret monumentum perfidiæ Idumæorum vindicatæ.

VIII.

(s) *Palæſtina V, 28. p. 243.*
(t) *L. V de ſimplicium medicamentorum facultatibus Cap. 19.*

VIII. Eodem tempore in *Davidem* inſurrexerunt Philiſtæi, Moabitæ, Aramæi in Naharaim & Zoba, ac ipſi Idumæi. De Aram-naharaim tantum fit in inſcriptione *Pſalmi* noſtri mentio. Rex Damaſci dicitur *2 Sam. VIII*, & *1 Par. XIX*, *Hadadeſeri*, Zobæ Regi, ſuppetias iviſſe, ipſe devictus. Inde fit veroſimile, Regem Damaſci ea ætate tenuiſſe regionem Aram-Nahharaim. Mirabile aliquid, vel librarii nævus, videtur ineſſe loco *2 Sam. VIII, 13*, ubi, ſi verſionibus quibusdam fides eſt, *Aramæi* dicuntur proſtrati in valle ſalis eo eventu, ut Idumæi fuerint devicti, ac redditi vectigales. Videtur de reliquo in hiſtoria huius expeditionis aliquid ſeſe offerre contradictionis. Proferemus momenta, quæ contradictionem ſpirare videntur, ac deinde difficultatibus illis medebimur. En difficultatum ſeriem: 1) In inſcriptione *Pſalmi* noſtri dicitur *David* cum Aramæis confixiſſe, qui in Aram-Nahharaim habitarunt; in *libro* autem *Samuelis poſteriori* ac *Paralipomenon priori* de hiſce nihil habetur. 2) In inſcriptione *Pſalmi* noſtri & *1 Par. XIX, 12*, dicuntur Idumæi in valle ſalis conciſi eſſe; at in *2 Sam. VIII, 13*, videntur Aramæi fuiſſe proſtrati ibidem. 3) *Ioabus* dicitur eos Idumæos deviciſſe in inſcriptione *Pſalmi* noſtri; illos vero *Abiſai*, filius *Zeruiæ*, traditur deviciſſe *1 Par. XIX, 12*. 4) In inſcriptione *Pſalmi* noſtri numerus occiſorum dicitur fuiſſe 12000; at *1 Par. XIX, 12*, definiuntur contrucidatorum 18000. Tentarunt interpretes & Critici ſacri haud unam hæc inter ſeſe conciliandi viam. D. *Auguſtus Pfeifferus* in *Dubiis vexatis p. 461* primam & ſecundam difficulta-

perſpicitur, a voce אלף eam haud abeſſe poteſtatem quam ei aſſignavimus. Ex notione ducis etiam defluxit ea ſignificatio, quæ *bovem*, ductorem ſui quippe gregis, deſignat, *Deut. VII*, 13, *XXVIII*, 4. 18. 51, *Jeſ. XXX*, 24, *Prov. XIV*, 4, *Job. XXI*, 10, *Jud. VI*, 15. Taurum fuiſſe potentiæ ac imperii ſymbolum, pateſcit ex *Deut. XXXIII*, 17. Addemus vero rationem quoque aliam, cur in enumeratione contrucidatorum & captivorum arbitremur vocem אלף cum notione, *ductorem principemque* indicante, eſſe ſæpius conjungendam. Qui Palæſtinæ, Syriæ Damaſcenæ, Laodicenæ, Bataneæ, Ammonitidis, Moabitidis, Idumææ, & Philiſtæorum tractus, pro ratione ſoli fertiliſſimos etiam, contemplantur, ii odorantur facile, tantam copiarum curruumque bellicorum multitudinem, quantam vox אלף, ſubſtituta *chiliadi*, fundit deſignatque, in illis regionibus nec exiſtere potuiſſe. Id ipſum jam animadvertit *Ludovicus XII*, Galliarum Rex. Licet vero dubitationem illam ipſi nemo eximere potuerit; id tamen a Cel. *Salomone Negri* mihi Halæ fuit indicatum, vocem אלף in recenſionibus, jamjam expoſitis, *principis ductoris*que notioni eſſe accommodatam. Adjungebat idem, ſeſe Palæſtinam obiiſſe ac regiones vicinas, parentibusque ſuis Syris ſe eam debere notitiam terrarum illarum, ut non potuerit non huic notioni ſubſcribere, quæ ineſſe dicitur voci אלף, hinc inde poſitæ, ubi numerus copiarum, curruum, vulneratorum, & captivorum, videtur ſignificatus fuiſſe.

IX. *Vinum horroris & ſtuporis calix* dicitur eis infuſus, qui ad calamitates imminentes animum

haud

haud appellunt, & ſalutis ſuæ, veluti mente privati, mortuique, rationem habent nullam. Si quis maleficus ad ſupplicium olim ducendus eſſet, ei vinum, thure conditum, vel myrrhinum, antea bibendum dabatur, tum ob halitum & odorem eius tetrum tollendum (x), tum ad cogitationes ei anxias demendas, ſenſumque fere omnem ipſi excutiendum (y). Ob finem hunc vinum illud vocatur *vinum horroris*, & *ſtuporis calix*, סַף רַעַל, *Zach. XII*, 2, & כּוֹס תַּרְעֵלָה *Ieſ. LI*, 17, 22. Conf. *Ezech. XXIII*, 31 *ſeq.*. *Apoc. XIV*, 10, *XVIII*, 6. Magnitudo calamitatum homines aliquando ita deprimit, ut conſilia ipſi inire nequeant ſalubriora, nec, quo ſeſe vertant, ſciant. Status illius ſymbolum fuit calix ille horroris ac ſtuporis. Cum hoc ſtatu comparat *Davides* conditionem illam ſuam, in qua ab hoſtibus circumquaque erat tentatus & appetitus. Obiter annoto, voci מוּט & מוֹת nonnunquam ſubeſſe notionem exultationis, ac inde dictum fuiſſe *mothonem*, genus cantionis tibiarum, cui ſaltatio fuit iuncta. De eo diſſeruit *Athenæus Lib. XIV p. m.* 618. Nolui tamen notionem hanc ad *inciſum quartum* interpretandum adhibere, ſed tritum ſequi ſignificatus callem, licet ii, qui morem Orientalium in ſaltando imitantur, in utrumque

(x) *L. M. Kahlii Obſ. ad Marc. XIV*, 23, in *Parergis Gotting. Tom. II Lib. II p.* 113 *ſeq.*

(y) *Caſaubonus Exerc. XVI ad Baronii Annales p.* 548, *Maimonides de Synedriis & pœnis Cap. XIII pag.* 79. *Salomo Ben Melech* vocem תרעלה exponit per סם המות.

que nutent latus, (*1 Reg. XVIII, 20, 21,*) ac eapropter verbum מוט, in ſaltatione denotanda ordinarium aroma, mortiferum quoque retineat ſignificatum. Iudæi ſolent hac ætate eodem adhuc geſtu leniter uti, cum odas ſacras decantant.

XI. Velum textile, quale vexillis adiungitur, appellatur נֵס, ponendum certo loco, ut id oculis hominum obiiciatur. Inde deducitur vox נסס. *Guſſetius* (z) inſignem voci huic adfudit lucem, ita commentatus: *Nonnulla nunc de verbo* התנוסס *obſervabo. Significatione concinit cum* נֵס *Zach. IX, 16:* Et ſervavit eos Deus & oves populi ſui, quia lapides coronæ ſanctæ מִתְנוֹסְסוֹת *ſuper terram eius ſeſe oculis obiiciunt, ut ſignum aliquod altum ad invitandos homines. Per illos autem lapides puto intelligi fideles, qui alios ad ſalutem ſecum participandam invitant, tum verbis, tum gratiarum, ſibi indultarum, illecebris. Non eſt mere paſſivum, ſed mixtum ex activo. Ut & Pſ. LX, 6:* Dediſti timentibus te נֵס *inſigne vexillum* לְהִתְנוֹסֵס, *quod ſublatum oculos feriat* (*), *ſicque eos ad ſe ipſum vocet, recolligatque, præſidio tuo fruituros. Sic Eſaiæ LIX, 19, Pihel* נוֹסֵס, Spiritus Dei vexillum tollit pangitque, *ſalutem paratam ſignificans, quo homines recolligit ad Chriſtum.* Hæc *Guſſetius* apposite. Subeſt voci נוֹסֵס & נסס notio *efferendi in altum.* Reſpondet ei vox Arabica فص. Vide *Albertum Schultens* in *Originum Ebrææarum Tom. I Lib.*

(z) *Comment. Ling. Ebr. p. 519.*

(*) *Salomo Ben Melech* in *Miclal Iophi*: פירושלהתנוסס להתרומם ולהתעלות. *Expoſitio vocis* Lehitnoſes *eſt ad attollendum ſeſe & ad efferendum ſe in ſublime.*

Lib. I Cap. 5 §. 23 p. 142 ſeq. Unde patet, voci התנוסס ineſſe ideas complicatas, coortas ex 1) ſtudio animi interno, 2) ſeſe allevantis & efferentis, 3) ad illud, in quo ſitum credit confugium, præſidium, & munimentum ſuum. *Davides* gradatim exponit ſuam ſalutis curam anxiam, primo fere ſuppreſſam, deinde a Deo accenſam, tandem vero divinitus auctam & condecoratam. Fontem ſalutis recuperatæ conſtituit ipſe veritatem promiſſionum, quas Deus populo ſuo impertiendas curaverat per *Moſen*, reliquosque Prophetas. Ducem memorat & principem familiæ piorum, hieroglyphico vexilli erecti inſignem.

XII. Ephraimitis vocatur *munimentum capitis Dei*, eo quod ad ſeptentriones Beniaminitidis habitari ſolebat. *Beniamin* enim ita erat ſita, ut Deus, Hieroſolymis reſidens, diceretur *inter humeros eius* habitare *Devt. XXXIII, 12*, ſiquidem Hieroſolyma erant tribui *Beniamin* contributa. Tribus vero *Iehudah* erat inſtar ſcabelli pedum, vel loci pedum. Hieroſolyma ipſa vocata fuerunt *umbilicus terræ. Egeſippus III, 6*, perſpicue: *Hieroſolyma velut umbilicus regionis totius, ut prudentibus placuit.* Iudæi ideo dicuntur *habitaſſe circa umbilicum terræ*, id eſt, Hieroſolymam, teſte *Ezechiele XXXVIII, 12.* Antiquiſſimi enim homines mappas geographicas in modum corporis humani delineabant. Locum præſtantiſſimum ponebant loco umbilici (*l*) in medio regionis. Partes ſe-

 pten-

(*l*) *Henricus Dodvvellus* in *Diſſ. de Dicæarcho, eiusque Fragmentis* §. 7 *pag.* 18 *Vol. II Hudſoni*, *Agathemeres* in *Geographiæ compendiariis expoſitionibus I*, 1, *Vol. II Hudſoni.*

ptentrionales reſpondebant capiti, auſtrales pedibus; occidentales & orientales congruebant manui utrique. Omnis enim corporis dimenſio olim ab umbilico cœpta, teſte *Wagenſeilio ad Sotah p. 904.* Cum vero Deus Hieroſolymam habitaret ætate *Davidis*, ac filius Dei in umbris ſupra thronum, ſeu operculum, arcæ fœderis conſediſſet recumbens, Ephraimitæ dicebantur *munimentum capitis Dei*, eo quod ipſi erant fortitudine eximii, templumque Dei, umbilicum quaſi, defendebant a latere ſeptentrionali. Filius Dei conſulenti ſummo Sacerdoti ex adyto intimo ſolebat oracula pronuntiare. *David* ipſum conſuluerat per *Abiatharem*, ac reſponſum retulerat, ſalute plenum. In hoc oraculo leguntur verba אֲחַלְּקָה שְׁכֶם, quæ vulgo redduntur: *dividam Sichemum.* At Sichemum Ephraimitis dudum fuerat aſſignatum, nec denuo a *Davide* aliis Iſraelitis fuit traditum. Circumſpicienti itaque mihi notionem aliam, occurrit ſignificatus *metæ* & *ſcopi*, quo fœcunda quoque eſt vox שכם. Veteres enim humum aggeſtam ſolebant in ſignum conſtituere, quorſum dirigerent tela. Meta eiusmodi appellata fuit שכם, quemadmodum perſpicitur ex *Pſ. XXI, 13, & Zephan. III, 9.* Si cuius *meta dividitur*, eius deſtinatio perit ac evaneſcit. Deus itaque, ſeſe *metam diviſurum* pronuntians, indicat, ſeſe deſtinationes hoſtium eſſe diſſipaturum, ac conſiliis ipſorum refragaturum.

XIII. Prædixerat idem Deus, ſeſe vallem Süccot diligenter menſuraturum. Qui olim caſtra hoſtibus opponere conabantur, locum ſolebant prius metiri, ac partem eius metari. Significatur, Iudæorum

rum eſſe, expeditione ſuſcepta in Syros, caſtra ponere prope Süccoth in valle ad fluvium Iabocum. Gileaditis ibi aberat proxime. Menaſſitis erat ad ſeptentriones ſita, ac urbi Süccoth vicina. Süccoth, a tentoriis dicta, in tribu *Gad* erat poſita, *Ioſ. XIII*, *27*, in planitie (*m*) trans Iordanem, *1 Reg. VII*, *46*, e regione Scythopoleos, ſeu Betſan, *Hieronymo* teſte. Urbs vero *Mazor* fuit Idumææ caput, alibi dicta *Maſaris* & *Mabſara*, *Hieronymi* ætate vicus grandis, ad Petram pertinens. Dicitur ipſa quoque *Bozra*, *Boſorrha*, *Moſorrha*, ex מִבְצָר, *munitione*, ſeu מָצוֹר, *munimento*. *Euſebius* eam vocat & *Maſarin* & *Mabſaram*. Apud *Ioſephum* vulgo legitur *Somorrha*, *B. I. V*, *4*. In translatione *Rufini* legitur *Bacra*. Locum in finibus Petræ exſtitiſſe, addidit *Ioſephus*. Qui naſum habent, ſubodorantur facile, reſtituendam eſſe vocem *Boſorrha*, ſeu *Boſra*. Alexandrinus Interpres Græcus voci Ebraicæ Bozra ſubſtituit *Boſorrha Gen. XXXVI*, *33*. *Ieſaias* & *Ieremias* eam vocant Bozram. De hac in oraculo Dei iniicitur mentio, ſiquidem regio *Idumæa* illico ei in membro *inciſi* altero ſubiungitur per exergaſiam, in carminibus ſacris frequentiſſimam.

XIV. Moabitida Idumæam Deus deſtinaverat *Davidi* in victoriæ præmium & mercedem. Moabitis, ſervituti addicenda, comparatur cum vaſe, e quo ſervi ſolebant pedes advenarum lavare. Vas eiusmodi ad limen ædium erat collocatum in loco vulgari, idque continuis ſordibus pulveribusque recipiendis aptum, quibus effuſis ſuccedebat in illud ex vaſe maiori, iuxta appoſito, lympha pura, donec,

 novi

(*m*) *Macc. V*, *52*.

1) nocere nobis poſſe neminem, ni Deus conſenſerit, nosque aliorum infeſtationibus ſtatuerit tradendos; 2) Deum curare omnino genus humanum; 3) benevolentiam & amicitiam Dei eſſe præſidium adverſus hoſtes & inimicos præſtantiſſimum; 4) mala phyſica a Deo immitti, ut homo deteſtetur peccata, & ad Dei opem anhelet. Ad *quartum* monemus: 1) Deum ſufficere calamitatibus avertendis, nec dari Arimanium, Deo vel potentiorem, vel potentia æqualem; 2) in calamitatibus dirigendum eſſe animum ac omne ſtudium ad Deum propitiandum; 3) ſalutem hominum nutare, Deo eos defendere recuſante. Ad *quintum* docemus: 1) Deum ſuos caſtigare, ac inimicis præbere irridendos, ſimul ac ipſi officia Deo debita omiſerint; 2) ipſumque dare & auferre prudentiam; 3) vim conſultationis ſanæ homini ſubtrahere, qui eſt per duriora ad officia pietatis revocandus. Ad *ſextum* monere lubet: 1) pietatem in Deum eſſe exercendam, eumque nobis eſſe reverendum; 2) fructumque eius pietatis eſſe defenſionem & tutelam Dei; 3) atque piis patere vim promiſſionum Dei. Ad *ſeptimum* iuvat notaſſe: 1) Deum eos, quos amat, calamitatibus eripere; 2) ſalutem noſtram genuinam a Deo proficiſci; 3) Deum preces piorum ita exaudire, ut tandem votis annuat eorum. Ad *octavum* docemus: 1) Deum eſſe invocandum, antequam opus bonum ſuſcepturi ſumus; 2) Deum præſcire eventus actionum humanarum futuros; 3) Deumque decreviſſe eventus præviſos ac præſtituiſſe. Ad *nonum* notamus: 1) Deum eſſe terrarum dominum, easque dare & de-

demere pro arbitratu ſuo; 2) hoſtes & inimicos ultra limites, a Deo præſtitutos, graſſari haud poſſe; 3) Deum conſtitutionum ſuarum eſſe amatorem, easque conſervare. Ad *decimum* docemus: 1) inimicos piorum diſplicere Deo; 2) impios piis ſervire, & emolumenta invitos præſtare; 3) impiorum eſſe, Deo reverentiam exhibere, & conſilia maligna mutare. Ad *undecimum* monere lubet: 1) viribus, a Deo datis, hominem reddi aptum ad fungendum officio ac munere ſuo; 2) eventus bonos, eorumque adminicula, Deo eſſe in acceptis ferenda; 3) *Davidicam* in Idumæos expeditionem, & reportatam ex eis victoriam, eſſe ſymbolum & typum victoriæ, quam Meſſias de hoſtibus ſuis reportavit, *Ieſ. LXIII, 1, 3, 4.* Ad *duodecimum* monemus: 1) actiones Dei externas pro varia hominum conditione variare; 2) Deum pios caſtigare quidem, ut proficiant in virtutibus, & illecebris mundi exſolvantur, horreantque peccata, ſed eis ſat ſubactis rurſum benefacere; 3) Deum ſtare in bellis pro meliori cauſa. Ad *inciſum 13* doceamus neceſſum eſt: 1) Deum ſolum, non homines, ex rebus anguſtis nos eripere; 2) ideoque ipſum ſolum eſſe invocandum, *Devt. VI, 13, X, 20, Matth. IV, 10.* Ad *ultimum* iuvat notaſſe: 1) bonos eventus Deo eſſe in acceptis referendos; 2) ipſum pios & eccleſiam ſuam defendere, precibus exoratum. Tu quoque, o Deus alme & vindex tuorum, vires nobis ſuppedita, ut precibus puris muniisque noſtris & patientiæ operam demus! Inſidiantur nobis, infeſtant nos, hoſtes ſpirituales noſtri. Concede nobis vires ex gratia, ut eos, con-

culcemus; & ab eis nos, ob promiſſionum tuarum fidem, perpetuo defende! *Rom. XVI*, 20.

XVI. Iuvat tandem ſubiungere iudicium de Metaphraſi Alexandrini Interpretis, ad quam Italica, ſeu Latina, vetus expreſſa & conformata fuit. Vocem למנצח, quæ *præfectum Muſices* notat, Græcus ille Interpres haud intellexit, ideoque credidit, eam loco vocis לָנֶצַח poſitam eſſe. Inde orta fuit eius verſio *εἰς τὸ τέλος*, quam Interpres vetus Italus fuit ſecutus, adhibens illud *in finem*. Voces ſequentes עַל־שׁוּשַׁן עֵדוּת מִכְתָּם לְדָוִד לְלַמֵּד Græcus ita reddidit: *τοῖς ἀλλοιωθησομένοις ἔτι εἰς στηλογραφίαν τῷ Δαυὶδ εἰς διδαχὴν, illis, qui adhuc mutandi ſunt, in ſtatuæ inſcriptionem Davidi pro doctrina.* Interpres vetus Latinus: *Iis, qui immutabuntur in tituli inſcriptione ipſi David in doctrinam.* Legit Græcus שושין & מכתב & לְלַמֵּד, nec punctis vocalibus, nec accentibus, in exemplari ſuo inſtructus. Nam voci *Eduth Atnach* ſubiacet pauſa maior. Non erravero, confeſſus, Alexandrinum Interpretem voces immutaſſe pro arbitrio, ut qualemcunque interpretationem contorqueret. Vident hinc Vulgatæ vindices, quanta ipſi inſit caligo, & quanti æſtimanda ſit admonitio *Hieronymi*, *Auguſtini*, & *Ludovici Vivis*, ſuadentium, ut fontes conſulamus, ſi qua incidat dubitatio, vel difficultas. Nihil enim hic intellexit Interpres Græcus, ſomnio uſus potius, quam veritatis ullius umbra. Hæc ad *inciſum primum*. Succedit *ſecundum*. Vox בְּהַצּוֹתוֹ deſcendit ex חָצָה *certare, concurrere, confligere*, cui affinis eſt נָצָה *contendit, certavit*, ex נצה, *vaſtando, deſtruendo,*

Ier. IV, 7. Significatus infinitivi in Hiphil conſtructi הַצּוֹת notat *certare*, *movere contentionem*, *Num. XXVI*, 9. Alexandrinus interpres ob oculos habuit verbum יצת, *ſuccendit*, *exuſſit*, *Ieſ. XXXIII*, 12, unde eſt Hiphil in infinitivo הַצִּית, non vero הַצּוֹת. Reddidit enim vocem בהצותו hoc modo: ὁπότε ἐνεπύρισε, *cum ſuccendiſſet*. Secutus eum eſt Interpres Latinus, qui habet *cum ſuccendit*. Uterque fefellit, & a ianua aberravit. In hiſtoria enim *Davidis* non legitur, ipſum incendiis exuſſiſſe Meſopotamiam Syriæ & Syriam Zobæ. Legitur indidem, *Ioabum*, iuſſu *Davidis*, contendiſſe ac conflixiſſe (*) cum Aramæis, in Naharaim & Zoba dominatis. Nec regio Aram-Naharaim apte dicitur ab Alexandrino *Meſopotamia Syriæ*, licet Vulgatus Italus idem repetiverit. Aramæi enim & Syri haud ubique conveniunt. Sed omittamus hæc leviora, quæ ferri poſſunt. Progredimur ad *tertium inciſum*. זנח reddidit Alexandrinus per ἀπωθέεσθαι, Latinus per *repellere*. Notio deſertionis & abiectionis propria eſt voci. Tolerari tamen poteſt Interpres uterque, ſiquidem notionem, inde fluentem, amplexi ſunt. Vocem פרץ ille per καθαιρεῖν reddidit; hic habet *deſtruxiſti nos*. Voci Hebraicæ ineſt notio *inſtandi*, *perrumpendi*, & *perfringendi*, in morem aquæ, cum impetu inſtantis, ac irruentis, vel fabri furisque, parietem perfringentis. Verbum hoc adhibetur de eo, qui lapides parietis effringit. Voces אָנַפְתָּ תְּשׁוֹבֵב לָנוּ Græcus curate reddidit ὠργίσθης

(*) R. *Salomo* in Miclal Iophi exponit vocem *bebazzoto* per בהלחמו, *cum pugnaſſet*.

σθης καὶ ᾠκτείρασας ἡμᾶς, Latinusque conſentit, qui habet: *iratus es, & miſertus es nobis* (noſtri). *Inciſum quintum* & *ſextum* uterque ſatis bene interpretatus eſt. Id unicum moneo, vinum horroris ac vertiginis per οἶνον κατανύξεως minus commode eſſe expreſſum, ſi κατάνυξις ſit *compunctio*. Alibi LXX vocem תרדמה, quæ *graviorem ſoporem* denotat, reddiderunt per κατάνυξιν. Νύσσειν, & νύττειν, eſt *pungere, fodere*, νυγμὸς *punctum*. Κατάνυξις videtur eſſe punctorum verſus unum centrum poſitus. Vetuſtiſſimi enim pictores noctem, νύκτα, deſignarunt per *fœminam*, velo ampliſſimo atroque, ſtellis micantibus, tanquam punctis quibusdam, diſtincto, circumfuſam. *Bernhardus Montfalconius* videatur in *Antiqu. explic. Tom. I Lib. IV p. 362.* Vereor autem, ut hic ſignificatus vocis poſſit comprobari exemplis. *Inciſo quinto* Alexandrinus nec ad puncta vocalia, nec ad accentum atnach, reſpexit, qui vocem התנוסס claudit. Ipſe vocem קֹשֶׁט mutavit in קֶשֶׁת, *arcum*, mira audacia. Inde nata fuit hæc interpretatio: Ἔδωκας τοῖς φοβουμένοις σε σημείωσιν, τοῦ φυγεῖν ἀπὸ προσώπου τόξου. διάψαλμα. Latinus: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant a facie arcus.* Vocem διάψαλμα ignoravit, ideoque vocem Latinam ei ſubſtituere omiſit. *Metuendi* vox, in pravos magis quadrans, quam in pios, poterat abeſſe. Præſtat ei hoc loco vox *revereri, timere.* נֵס, *vexillum, velum haſtæ impoſitum*, per σημείωσιν, *ſignificationem*, laxe fuit redditum. Voci הִתְנוֹסֵס ineſt actio reciproca, quæ denotat idem ac *ſtudioſe ſeſe attollere ad perfugi-*

um

um & tutelam ſub vexillo ſecuro. Vox *φυγεῖν*, *fugere*, notionem hanc parum attingit, tantum abeſt, ut exhauriat. Vox *Selah* eſt quidem obſcura. Nulla tamen ſeſe offert uſpiam ſuſpicio, reddi eam poſſe per *διάψαλμα*, *fortiorem pſallentium concentum.* At pergimus ad *ſeptimum inciſum*, in quo vox הוֹשִׁיעָה connectenda eſt cum voce יְמִינְךָ, licet ob magnitudinem ſalutis inſperatam, & exoptatum eius pondus, illi accentus Tiphcha fuerit ſubſcriptus. הוֹשִׁיעַ poteſt eſſe Hiphil infinitivi, ac congruere cum voce *σῶσον*, qua uſus fuit Alexandrinus. At vox הוֹשִׁיעָה eſt præteriti in Hiphil perſona tertia ſingularis fœminini generis. Vox ימין, quæ *dextram* denotat, eſt generis communis, ideoque ad verbi illum poſitum ſatis quadrat. Non eſt, quod moneam, vocem עֲנֵנִי contractam eſſe ex ענה & נִי. Alexandrinus habet *ἐπάκουσόν μου*, conſonans cum Keri, & Latinus æque repetit illud *exaudi me.* In *inciſo octavo* eminent verba illa Dei אֲחַלְּקָה שְׁכֶם, quæ Alexandrinus reddidit *διαμεριῶ Σίκιμα*, Latinus vero *partibor Sichimam.* Sed, nomen proprium hic venire in cenſum, iam ſupra monui. Obiter monere liceat, veterem illum interpretem Latinum a Grammatices peritia aliisque dotibus, interpreti utilibus, non ſatis fuiſſe inſtructum. Excuſamus eum, & eius opere paſſim ſalubriter utimur, nec tamen, ita comparatum eſſe, credimus, ut dux hermeneuticus, quem queas tuto ſequi, ſit appellandus. Ut vero Alexandrinus vocem שכם habuit pro propria; ita vocem סוכות exiſtimavit eſſe communem, uſus voce *Σκηνῶν.* Latinus

minus

minus Latine: *Convallem tabernaculorum metibor.* In *inciſo nono* Alexandrinus vocem מְחוֹקֵק putavit eſſe *Regem*, quam tamen per ἡγύμενον expreſſit *Gen. XLIX*, 10, & per ἀρχηγὸν *Deut. XXXIII*, 21. Tolerari poteſt illa metaphraſis, licet accuratione deſtituatur. In *inciſo decimo* referuntur verba Dei, dicentis: *Moab eſt* סִירִ רַחְצִי *olla lotionis meæ.* Alexandrinus hæc ita tranſtulit: Μωὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου, *Moab olla ſpei meæ.* Sic Latinus. At quinam inde ſenſus elici poteſt? Quis catechreſin eiusmodi exponere valet? Alexandrini ætate ſignificatus vocis רחץ Chaldæus ac Syriacus iam viguit. Sed in V. T. רחץ eſt *lavit, abluit*, excepto loco Chaldaico *Dan. III*, 28, ubi notio *confidendi* ac *ſperandi* invenit locum. Ex hoc exemplo animadvertere licet, Alexandrinum Interpretem ſignificatus vocum Ebraicarum genuinos & antiquos ſæpius ob oculos haud habuiſſe. Vocem אַשְׁלִיךְ vertit per ἐκτενῶ, *extendam*, ſecutus rurſum Chaldaicam ſignificationem. Sententiam עָלַי פְּלֶשֶׁת הִתְרוֹעָעִי reddidit prorſus inconvenienter: Ἐμοὶ ἀλλόφυλοι ὑπετάγησαν. Latinus: *Mihi alienigenæ ſubditi ſunt.* Senſum aſſecutus fuit Alexandrinus, vim ſententiæ haud penetravit. *Hitroai* vox eſt imperativi in Hitpael perſona ſecunda fœminini generis. Philiſtæam & Philiſtæos Alexandrinus vocare ſolet ἀλλοφύλους, *homines ex alia tribu & ſtirpe prognatos*, eo quod Philiſtæi a *Chamo*, non a *Semo*, deſcendebant. In *inciſo undecimo* Alexandrinus poſuit futurum tempus loco præteriti, cum tamen ſcriptor Ebræus per vocem נָחַנִי, *duxit me*, ſatis indicarit, de re præterita

eſſe

eſſe ſermonem. Latinus Interpres, affectatus ducem ſuum, ita: *Quis deducet me in civitatem munitam? Quis deducet me uſque in Idumæam?* Traduxerant dudum *Ioabus* & *Abiſai* exercitum in Idumæam, urbemque Maſarin, ſeu Boſorrham, Bozram, מִצּוֹר, Maſorrham, expugnaverant, omnemque *Davidi* ſubiecerant Idumæam. Ex *inciſo ſecundo* id ſatis ſuperque conſtat. *Inciſi undecimi* membrum poſterius capit primordia a voce הֲלֹא, *nonne*, in Ebraico fonte, licet ה illud abſit, & ex membro priori ſit repetendum. Natura interrogationis, qua afficitur membrum id poſterius, poſtulat omnino, ut ſenſus ita efferatur: *Nonne exiiſti, o Deus, cum exercitibus noſtris?* צְבָאוֹת ſunt *copiæ inſtructæ, ac in ordinem collocatæ*; Alexandrino δυνάμεις, Latino *virtutes*, minori ſane perſpicuitate. *Inciſum decimum tertium* Alexandrinus ita interpretatus fuit, ut ferri queat. Poſtremum ſic expreſſit: Εν τῷ Θεῷ ποιήσομεν δύναμιν. καὶ ἀυτὸς ἐξουδενώσει τοὺς θλίβοντας ἡμᾶς. Latinus: *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.* Requirimus hic notam temporis elapſi. Celebrat enim *David* auxilium Dei, quo præmunitus, Syrorum partem & Idumæos devicerat. Notamus deinde, verbo בּוּס inhærere notionem *calcandi*, non *redigendi in nihilum. David* certe noluit hoſtes ſuos plane in nihilum redigere. Hinc patet, 1) Latinum vetuſtum Interpretem preſſe ſequi Alexandrinum, nec Ebræi ſermonis fuiſſe peritum; 2) Alexandrinum ignoraſſe hiſtoriam *Pſalmi*, nec ad eam reſpexiſſe, intentum ſignificatibus vocum Palæſtinæ pro ætatis ſuæ ratione,

tione, Geographiæ ſacræ penetralia ignoraſſe, & 3) puncta vocalia, accentus, immo paſſim literas conſonantes, nullius penſi habuiſſe,

XVII. Eſt in manibus præterea interpretatio *Sebaſtiani Schmidii* Latina. Requiro hic quoque aliquid, quod limam effugit, licet B. Auctor & Alexandrinum Interpretem, & eius aſſeclam Latinum, multis poſt ſeſe reliquerit paraſangis. Notanda exiſtimo ea, quæ ſequuntur. Intactam *Schmidius* dimiſit *v. 1* vocem *Schuſchan*, & שׁוּשַׁן עֵדוּת expreſſit per *Schuſchan teſtimonii*. Nullus inde prominicat ſenſus. *Michtam* repoſuit, uti eſt in Ebræo. מִכְתָּם vero eſt *locus*, *in quo aurea vaſa deponuntur*, *& condita ſervantur*, atque *theſaurus* ipſe. Veteres enim orationem præſtantem vocabant & *aurum*, & *aureum theſaurum*. De *Pithermo*, Poeta Tejo, *Hipponax Clazomenius* in iambis ita iudicavit (*): Χρυσὸν λέγει Πίθερμος ὡς οὐδὲν τ' ἄλλα, *Aurum loquitur Pithermus, aliud nihil.* Aurea hæc Oda, *Davidi* divinitus inſpirata, dicitur eſſe לְלַמֵּד, *ad docendum* apta & data, id eſt, *didaſcalica.* *Schmidius* aride: *Michtam Davidis ad docendum.* Conflixit *Davides* per *Ioabum* cum Rege & exercitu regionis Aram-Naharaim. *Schmidius v. 2* ita: *cum certaret cum Syro fluviorum.* At quis unquam *Syrus* dictus fuit *fluviorum?* Aram-náháraim eſt regio, ac nomen eius proprium haud ſecus ac Aram-Zoba. In *inciſo tertio* reddidit idem voces תְּשׁוֹבֵב לָנוּ ita: *reduc nobis quietem.* Nullo autem exemplo illa ellipſeos ſpecies

(*) Apud *Athenæum* in *Dipnoſ. XIV*, 309, *p.* 625.

cies defendi poteſt. Vinum horroris & vertiginis vocavit *vinum trepidationis*. Vocis לְהִתְנוֹסֵס nervum haud aſſecutus fuit. *Inciſum* enim *ſextum* ita fuit interpretatus: *Dediſti timentibus te ſignum, quod attollerent propter veritatem. Inciſi ſeptimi* membrum poſterius ita expreſſit: *Serva dextra tua, & reſponde nobis*. At in Ebraico fonte nil ſuſpicionis ſeſe offert, cur *dextra* ad caſum ſextum ſit detrudenda. Ipſe oraculum Dei, expreſſum *v. 8, 9, 10*, haud ſatis diſtinxit a ſupplici eccleſiæ oratione. Vocem שְׁכֶם æque habuit pro nomine proprio, dum poſuit: *Dividam Schechemum*. Urbem Mazor appellavit *urbem obſidionis*. Omitto iam alia. Erat animus, expendere etiam metaphraſin *Sebaſtiani Caſtellionis*. At, ſi qui hæc attenta mente legerint, atque ſermonem Ebraicum mediocriter calleant, ipſorum ſane operæ examen illud feliciter ſuccedet. Quamobrem hic finem facimus commentandi, id unum monentes, fruſtra Exegetas (*) libris Biblicis exponendis operam navare, ni interpretationes prius elaborentur accuratæ.

II.

PETRI ZORNII DISSERTATIO DE CHRISTO SERVATORE,

QVA-

(*) Ex eo factum, ut *Walafridi Strabonis Expoſitio in Pſalmos*,

QVATENVS APVD MVHAMMEDANOS VERBVM DEI ET FILIVS DEI APPELLATVR.

I.

Iulianus Parabates apud *Cyrillum X pag. 327* vitio vertit *Ioanni Evangeliſtæ*, quod, *Ieſum Deum eſſe*, docuerit, aliis hoc Apoſtolis non auſis facere (1). Saltem in hoc, uti ex vero iudicat *Ioannes Albertus Fabricius* (2), acutius vidit *Iulianus* Socinianis, quod, Ieſum a *Ioanne* Deum eſſe pronuntiatum, non negavit; ſi voluiſſet aciem intendere, idem etiam ab aliis factum Apoſtolis, intelligere potuiſſet. Mittimus *Iulianum*; audiamus nunc *Ioannem Henricum Höttingerum* (3), qui conſenſum *Muhammedanorum & Socinianorum* in hoc *Capite* hiſce declarat verbis: Non negant *Sociniani*, Chriſtum eſſe Deum, negant tamen, ab æterno ex Patris eſſentia genitum, ſed in tempore factum. Ita ex *Motazalitis* (4) quidam, *Abajetiani* dicti, teſtibus

nios, cuius partem edidit *Bernhardus Pezius* in *Anecdotis*, contexta ſit ex meris allegoriis & accommodationibus myſticis.

(1) Τὸν Ἰησοῦν οὔτε Παῦλος ἐτόλμησεν εἰπεῖν Θεὸν, οὔτε Ματθαῖος, οὔτε Λουκᾶς, οὔτε Μάρκος, ἀλλ' ὁ χρηστὸς Ἰωάννης.

(2) *Bibliothecæ Græcæ Lib. IV Cap. V §. VI p.* 140.

(3) In *Hiſtoria orientali*, *quæ ex variis Orientalium monumentis collecta*, *Cap. III §. X p.* 393.

(4) *Motazalitæ* Arabica voce deſignantur, quæ notionem habet τῶν ἀφωρισμένων, *Separatorum* & *Phariſæorum*. Vide *Hottingerum* in dicta *Hiſtoria orientali Lib. II Cap. VII §. VI p.* 563; & *Marraccium Prodromi ad refutationem Alcorani P. III Cap. X p.* 29.

bus *Almavvakef* & *Ebnol-Kaſſai*, aſſerebant: mundo duos eſſe Deos, æternum, qui ſit Deus, ſupra omnia excelſus, & novum, qui ſit *Chriſtus*. Vel, ut alii dogma eorum enuntiant: creaturis eſſe duos creatores, quorum unus ſit æternus, nempe Deus excelſus, alter de novo ortus, nempe Chriſtus. Hactenus *Hottingerus*, cui addimus *Ludovicum Marraccium* (5): Hajetitæ & Hadathitæ aſſeclæ fuerunt *Ahmedi*, filii *Haieti*, & *Phadeli*, filii *Hadathi*, qui cum legiſſet libros Philoſophorum, miſcuerunt doctrinam ſuam cum doctrina eorum. Tres autem novas opiniones tenuere: primam, qua ſtatuerunt ſententiam *de Chriſti divinitate*, & aſſeruerunt, eum iudicaturum creaturas in futuro ſeculo.

II. Hæc præmittenda erant. Iam vero quæritur: *an in ipſo Alcorano exſtent quædam veteris Chriſtianiſmi veſtigia, quæ, diligenter expenſa, doctrinam noſtram de Chriſto Servatore contra Muhammedanos magis magisque confirment.* Affirmant id ipſum, præter *Abrahamum Whelocum* (6), &

(5) *Prodromi ad refutationem Alcorani P. III Cap. XXIV pag. 74.*

(6) In *Notis ad Evangelium Perſicum p. 5, hortantur*, inquit, *Chriſtiani Muhamedanos ex his, atque aliis, vel in Corano ipſo conceſſis, principiis; ſed ad origines in ſacra pagina revocandis, Chriſtum θεάνθρωπον venerari, atque ex animo obſequi iuxta normam Evangelii mundo traditam a Chriſto, cuius ſolius eſt, Legem Moſaicam* pro peculio ſuo *implere, & impletam abrogare. Sic Chriſtum fari voluit Muhammed ad Iudæos; quod & ipſe probat quidem his verbis: Certe in hoc (quod ſcilicet cæcos & leproſos ſanaverit, & mortuos excitaverit)* ſignum vobis erit, ſiquidem eſtis

& *Ioannem Cotovicum* (7), *Gabriel Sionita & Ioannes Heſronita, Maronitæ e Libano* (8). Ante omnes tamen

eſtis fideles. Et confirmatio Legis, quæ coram me erat; atque ut abrogem (Arabice *ſolvam*) vobis, inquit Muhammedes, ſive licita faciam, quæ *vobis antea erant probibita* (Beidavi intelligit *adipes*, *potus*, *piſces*, *carnes camelinas*, *operationem die Sabbathi*,). Et veni ad vos cum ſigno (*miraculorum ſcilicet & doctrinæ*) a Domino veſtro; &, *Chriſto obſequium præſtare*, *Mahometes*, viam rectam *eſſe*, *diſerte aſſerit*. *Supra habet*, *Chriſtum a Muhammede vocari non modo* Prophetam Dei, *ſed &* verbum eius, *quod miſit ad Mariam*, & Spiritus eius, *alibi:* verbum veritatis.

(7) In *Itinerario Hieroſolymitano & Syriaco*, Sunt etiam, inquit, qui *Chriſtum* ipſius Mahometis teſtimonio *verbum*, virtutem, ſapientiam, animam, & cor Dei, itemque *Meſſiam promiſſum Iudæis*, nec non mentem, principium, & caput, omnium hominum appellent, & *divino quodam afflatu e Spiritu Sancto conceptum*, & ex Maria virgine, ſine patre, generatum, atque omnis mendacii & peccati immunem affirment: ita ut ſibimet plane contrarii ſuo ſe gladio iugulent, *adeoque vel inviti divinitatem Chriſti palam profiteri cogantur*. Tanta nempe & vis veritatis eſt & virtus, ut ſæpe eam hoſtes & ab ipſa extorres, obtorto velut collo, velint, nolint, proferre & profiteri compellantur. Porro *e cœlo originem traxiſſe*, converſatione ſanctum, doctrinam ſanctam ac rectam docuiſſe, eamque miraculis illuſtraſſe, ac confirmaſſe, cœcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, & mortuos ſuſcitaſſe, fatentur omnes.

(8) In libro *de nonnullis Orientalium Urbibus*, *nec non indigenarum religione ac moribus*, *Cap. XVII*, nos, inquiunt, ex ipſo Alcorano, etiam invito Mohammede, divinas perſonas, Chriſtique divinitatem, quam acerrime impugnat, fatendas compellemus. Capite enim de mulieribus, quod Surat Anneſa indigitant, paulo ante finem ait: Profecto *Iſa* (ſeu Ieſus) filius Mariæ *miſſus eſt Dei*, *& eſt verbum eius collocatum in ipſa*, ac Spiritus de ipſo, hoc eſt, de Deo.

Et

tamen huic ſententiæ ſuffragatur *Ludovicus Marraccius* (9), cuius verba hic repetere, operæ pretium fuerit: Non meretur Alcoranus mendacii notam, cum vocat *Chriſtum Spiritum*, & *Verbum Dei*, vel *ex Deo*, eique vim creandi attribuit: per hoc enim, velit, nolit, fatetur aperte Chriſti divinitatem, quam tamen in Alcorano non ſemel inficiatur. Verum, cum proprium ſit impoſtorum, ſibi contradicere, & vel invito veritatem fateri, quam ſponte negant & impugnant, ex verbis Alcorani ita contra Mahumetanos libet argumentari. *Verbum Dei* iuxta principia fidei ipſorum, ab *Algazelo* in Profeſſione fidei Eslamiticæ allata, duplex eſt: *alterum*

Et Capite de fœderibus, quod Surato-Lookud vocant, paulo etiam ante finem ſic ait: Memento, o Ieſu, fili Mariæ, beneficii mei erga te ac matrem tuam, dum te corroboravi Spiritu ſanctitatis. Alloqueris enim homines in cunabulis & adultos, & creabis de luto volatilia, inſufflabis enim in luteam formam & creabis volucres permiſſu meo. Subdit deinde: Leproſos mundabis, cœcos illuminabis, ac denique mortuos reſuſcitabis, atque eadem alibi ſæpe repetit. En, quomodo ſuo ſe gladio iugulat impoſtor ille, *quomodo duas ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas, Verbum* ſcilicet atque *Spiritum ſanctum, agnoſcit*, quomodo etiam *Chriſtum* appellet *Deum*. Ad quem enim creatio pertinet, niſi ſolum ad ipſum Deum? Attamen miſer iſte, atque inſipiens, quod acerrime impugnat, alibi ultro concedit. Tanta nempe vis veritatis eſt, ac virtus, ut eam ſæpe hoſtes etiam ab ipſa extorres obtorto velut collo proferre ac fateri cogantur. Adhæc etiam verum Prophetam natum de Virgine, virum non cognoſcente, & a Gabriele Angelo annuntiata, Capite de familia Amram, quod Surato Al-Amram vocant, ingenue ac ſponte fatetur.

(9) *Prodromi ad refutationem Alcorani P. III Cap. XVIII p.* 61, & in ipſa *Refutatione Alcorani p.* 116.

rum æternum, ſine principio ſubſiſtens in eſſentia eius, *alterum*, *quod legitur linguis*, ſcribitur in libris, & cuſtoditur in cordibus. Chriſtus non fuit Verbum Dei ſecundi generis, ut patet, ergo dicendum eſt, fuiſſe primi, & per neceſſariam conſequentiam, fuiſſe Deum; nam, quicquid eſt æternum & increatum, & ſubſiſtit in eſſentia Dei, non poteſt niſi eſſe Deus. Hactenus *Marraccius*, qui perperam videtur ex Alcorano & verbis *Algazeli* Muhammedanos de divinitate Ieſu Domini noſtri atque Servatoris convincere velle. Quamvis enim Muhammedani (10) non negent, Chriſtum in Alcorano כלמת אללה, *verbum Dei*, vocari; non ideo tamen ita illum vocatum eſſe exiſtimant, ut eo indicetur, illum eſſe λόγον, ὃ ἦν πρὸς τὸν Θεόν. Contrarium enim & ipſe *Muhammed* & omnes aſſeclæ ſtatuunt. *Gelaleddinus* ait: *Nominatus eſt Verbum Dei, quia creatus eſt a Deo per verbum eſto.* Dixit nimirum Deus illi: eſto, & fuit (11). *Beidavius* aliam affert rationem, ſed itidem ineptam (12). Denique in Lexico aliquo Ara-

(10) Idcirco *Elmacinus* in *Hiſtoria Saracenica Lib. I Cap. I.* obſervat, *Muhammedem* populo ſuo mandaviſſe, ut crederet, Chriſtum, filium *Mariæ*, Spiritum Dei eſſe, verbum eius & Apoſtolum eius.

(11) Sed hoc modo omnia dici poterunt Verbum Dei: *ipſe enim dixit, & facta ſunt omnia*; neque Chriſtus per hoc excellentior erit quolibet alio homine, vel bruto.

(12) En huius *Beidavii* verba: *Sic appellatur Iſa, quia ad verbum, ſeu mandatum Dei, exſtitit abſque Patre, & inventus eius miraculis conſpicua fuit, quæ quidem nota ſunt viri ex benedictione divina probi, & rerum copia affluentis.* Ita verti poteſt, iudice *Hottingero*,

Arabico MSto (13) affertur hæc alia ratio: Dictus fuit verbum Dei, quia verbis ſuis profuit religioni, ſicuti aliquis dicitur gladius Dei, leo Dei (14). Quæ cum ita ſint, *Marraccii* argumentum nullius momenti apud Muhammedanos fuerit, cum Chriſtus alio ſenſu in Sacris Literis Verbum Dei, iterumque alio ſenſu in Alcorano, appelletur. Confer *Theodorum Hackſpanium* (15), *Ioannem Henricum Hottingerum* (16), & *Ioannem Rudolphum Battierium* (17).

III. Quid vero Muhammedani per *duplex illud verbum* intelligant, cuius *Algazelus* mentionem facit, in proclivi ſitum eſt. Ipſemet quippe *Algazelus*, citatus *Marracio* (18), de כלמת אללה, *verbo Dei*, loquens, mentem ſuam clare explicat, dum affirmat, Alcoranum pronuntiari linguis, ſcribi literis, cuſtodiri in cordibus, & nihilo minus

gera, vel, *quæ indicium ſunt imperii*, quod Chriſtus habuit in omnes creaturas.

(13) Indicio *Hottingeri* & *Marraccii*.

(14) Sed præterquam, quod hæc explicatio eſt valde frigida, plures alii verbis ſuis religioni profuerunt, nec tamen ullus vocatus eſt Verbum Dei, niſi Chriſtus, in quo hoc nomen oſtendit aliquid novum ac ſingulare.

(15) *De Scriptorum Iudaicorum in Theologia uſu Cap. II p.* 366, indicio *Laurentii Wegeri* in *Diſſertatione de Verbo Dei ex occaſione phraſeos Chaldaicæ* מימרא דיי §. XXXV.

(16) In *Hiſtoria orientali Lib. I Cap. III p.* 158.

(17) In *Theſibus philologicis miſcellaneis, Theſi XXVII p.* 135 *Miſcellaneorum Duisburgenſium Tom. II Faſciculo I*.

(18) *Prodromi ad refutationem Alcorani P. III Cap. XVIII p.* 61, & in ipſa *Refutatione Alcorani p.* 116.

eſſe *æternum*, *exiſtentem in eſſentia Dei*, neque ab illa ſeparari, aut dividi, dum transfertur in memorias hominum & paginas librorum. Patet igitur abunde ex hiſce verbis *Algazeli*, utrumque illud verbum *de ipſo Alcorano* intelligendum eſſe, ita ut ille æternus & talis ſtatuatur, qui in ipſa Dei eſſentia ſubſtitit, quia, ex ſententia Muhammedanorum, dogmata, in illo contenta, in ipſa Dei natura fundata ſunt, atque ſic Deo coæterna iure dici poſſunt, cum e contrario ſecundum eosdem eadem iſta dogmata in Alcorano fideliter tradita ſint, ita ut de illis dici poſſit, quod legantur linguis, ſcribantur in libris, & cuſtodiantur in cordibus.

IV. Denique nullo plane iure contra Muhammedanos probari poteſt, Chriſtum Deo Patri eſſe coæternum, & eiusdem cum illo eſſentiæ, quia ab illis nonnunquam ולד אללה, *Filius Dei*, vocatur. Neque enim hiſce verbis innuere volunt, illum ab æterno ex ipſa Patris eſſentia genitum eſſe (19), ſed ideo tantummodo illum hoc nomine inſigniunt, quia credunt, illum, *ſine Patre*, *modo plane extraordinario & miraculoſo*, iuſſu Dei efficace, *mediante afflatu Angeli Gabrielis*, *progenitum eſſe* (20). Itaque ſecundum illos reſpectu prioris אללה

(19) Contrarium ipſe *Muhamed* in Alcorano diſertis verbis docet *verſu* 81 *Suræ V*, *verſu* 169 *Suræ IV*, *verſu* 67 *Suræ X*, *verſu* 93 *Suræ XXIII*, *verſu* 3 *Suræ XXII*, alibique paſſim. Confer utique *Hottingerum* in *Hiſtoria orientali Lib. II Cap. II p.* 334.

(20) *Gelaldinus* aſſerit, Chriſtum dici Spiritum Dei, quia conceptus fuit opera *Gabrielis*, quem Mahumetani vocant, ſicut alios Angelos, Spiritum Dei: ſufflavit

autem

כלמת אללה & ולד אללה ſit, poſterioris reſpectu רוח אללה in Alcorano vocatur. Quæ cum ita ſint, facile intelligemus, quid ſibi *Muhammedani* velint, quando *in amuletis ſuis* nomini *Iſa*, ſive *Ieſu*, addunt רוח אללה, *Spiritus Dei.* Audiamus hic *Guilielmum Schickardum* in Procœmio ad *Tarich Regum Perſiæ p.* 79 *ſeq.*: *Ieſu nomen Turcis eſt ita honorabile*, ut eo, tanquam adverſus omne infortunium efficaciſſimo, in ſuis *Chamailis* abutantur. Sic vocant *amuleta* per ſuos *Talismanlar*, ſive Sacrificos, *magica devotione* confecta, & in *ſchedis circumvolutis* deſcripta, quæ *preculis* quibusdam, *circulis*, aliisque *characteribus*, conſtant. Ea *ſacculo ſerico* incluſa *de collo* ſuſpendunt, aut *in ſinu ſub pectore* geſtant, unde *ἐγκόλπια* nominantur ab hodiernis Græcis, ut mihi prodidit Hieromonachus ille Berrhoenſis Macedo, Dn. *Metrophanes Kritopulus*, amicus & non ita pridem hoſpes noſter. Quamvis autem hoc *Schickardi* teſtimonium quantivis pretii faciant *Gisbertus Voetius Parte III Selectarum Diſputationum theologicarum p.* 200 *ſeq.* itemque *Paulus Colomeſius* in *Clarorum Virorum Epiſtolis ſingularibus num.* XLVII *p.* 562 Operum; *inde tamen nullum adverſus Muhammedanos repeti poteſt pro vera*

autem per aperturam interulæ *Mariæ* ad collum & flatus eius deſcendens intravit in uterum eius, & ex eo ipſa concepit Ieſum. Quicquid autem erit, nullo modo conſentiunt verba Alcorani, quæ finguntur a Deo prolata: *& inſufflavimus in eam de Spiritu noſtro*: neque propterea poſſet Chriſtus appellari Spiritus Dei. Confer *Marraccium* locis, *Nota* 18 citatis.

Deitate Chriſti tuenda argumentum. Interim hodie plures reperiuntur inter *Muhametanos Sonnitas*, & quidem ex nobilioribus & ſapientioribus, qui, Chriſtum Deum & mundi redemtorem eſſe, conſtanter affirmant. Vide hanc in rem *Pauli Ricauti*, *Ludovici Marraccii*, & *Abrahami Hinckelmanni*, ſatis luculenta teſtimonia, a nobis copioſius excerpta in Hiſtoria noſtra Bibliorum, ex Ebræorum diebus feſtis & ieiuniis illuſtrata, ſelectiſſimis obſervationibus adornata, *Cap. X §. 3 p. 120.* Denique ſubiicimus verba *Ioannis Cotovici* in *Itinerario Hieroſolymitano & Syriaco:* Mahometani Chriſti nomen non minus, quam ipſius Mahometis, execrantes acriter puniunt, honeſtiores pœna pecuniaria, humiliores flagris. Neque Chriſti ſolum, ſed & Mariæ, nomen blaſphemantes caſtigant. Sic enim lege cautum eſt: Si quis ſive Chriſtianus, ſive Turca, vel Maurus, vel Arabs, Chriſtum, illud Verbum Dei, quem virtute Spiritus Sancti a *Maria* procreatum credimus, vel etiam ipſam Virginem, quam Deus omnibus creaturis puriorem fecit & excellentiorem, blaſphemaverit, præter multam pecuniariam, ſexaginta fuſtuarii plagas ſuſtinebit. Cuius quidem legis exactiſſima eſt apud Turcas obſervatio. Porro autem fidem facit *Guilielmus Schickardus.* Etenim in *Proœmio ad Tarich Regum Perſiæ pag. 82* commemorat, *quod Muhammedani morte puniant, aut ſaltem multis plagis, ſi quis maledicat Chriſto*, eiusque ibidem inſigne exemplum refert.

V. *Philippus Guadagnolus* (21) ait, auctorem libri

(21) E religione Clericorum Minorum, Arabicæ Linguæ in-

libri Chamus inter Arabes celeberrimum diverſis in locis *Pſalmos* adducere, & *Pſalmo II*, 7, verba Dei de Chriſto explicare; ſed, quemadmodum addit *Ioannes Henricus Hottingerus* (22), ſit fides penes auctorem, ita tantum aberit, ut dictum inter Arabes ſcriptorem veritatis teſtibus, ut potius eiusdem infenſiſſimis hoſtibus, adſcribamus, ſuffragantibus *Adriano Relando* (23), *Ioanne Pearſonio* (24), & *Ludovico Marraccio* (25).

III.

in Romano Lyceo Profeſſor, & Moslemicarum rerum peritiſſimus, edidit *Apologiam*, Arabice ac Latine impreſſam, *adverſus Ahmedum*, filium *Zini*, Principem in regno Perſarum, qui contra Chriſtianam religionem una cum aliis Perſarum Sapientibus ſcripſerat, & aureis characteribus exaratum ad Romanum Pontificem *Urbanum VIII*, ut eidem reſpondendum curaret, transmiſerat.

(22) In *Hiſtoriae Eccleſiaſticae Novi Teſtamenti Enneade, ſeu Parte I*, p. 394.

(23) In *Notis ad Auctorem Mohammedanum Compendii Theologiae Mohammedicae, Arabice & Latine editi*, inter *loca*, inquit, quae *corrupta* clamant, ſunt verba *Pſalmi II*, 7: *Ego genui te*, ubi legendum dicunt: *Ego educavi te*, quae voces apud Arabes non niſi per Tesdid, (ſive Dages Hebr.) diſtinctae ſunt.

(24) En huius obſervationem in *Expoſitione Symboli Apoſtolici p.* 241: *Alfirozabadius* in Kamuz ſuo: dictum Dei omnipotentis ad Ieſum (cui propitius ſit, & pacem concedat Deus,) tu es *Nabiya* Propheta meus. Ego *coalad toca*, *fovi te*, at dixerunt Chriſtiani, tu es *Banaya*, filius meus, ego *walad toca*, te genui, longe eſt ſupra haec Deus (*Marraccius* poſtrema verba vertit: at vero longiſſime abeſt Deus ab hac re). In eundem ſenſum *Ebnol-Athir*: in Evangelio dixit (Deus) Iſae: ego *walad toca*, id eſt, *educavi te*, at Chriſtiani, dempta litera altera, (*Marraccius* vertit: legunt in prima coniugatione, ego genui te,) ipſum ei Filium ſtatuerunt, qui longe clarus eſt ſupra ea, quae

dicunt,

III.

IO. CONR. SCHWARTZII CORRECTIONES QVAEDAM ET AMPLIFICATIONES QVARVNDAM GRAMMATICARVM HEBRAICARVM.

I.

Cum indigentia & reliqua Grammaticarum Hebraicarum vitia ſæpe ad ſeram ſenectutem noceant cum ceteris, tum præſertim iis, qui poſt Academici temporis decurſum ad dicendum, vel agendum, non ad docendum, adhibentur; non erit ſupervacanea opera noſtra, ſi, quæ uſus & experientia nobis ſuppeditavit, ea cum omnibus diſcendi cupidis communicemus.

II. Omiſſis igitur iis, quae ad iuſtam literarum pronuntiationem pertinent, & ex Arabum Aethiopumque collocutione, cuius nobis interdum etiam in terris noſtris copia eſt, facile & neceſſario diſcenda ſunt, ut ש & ס, ק & כ & ע, rite diſcernantur, tum in accurata literarum pronuntiatione vis & decus cuiusque linguae conſiſtat: inprimis

dicunt. Secundum *Marraccium*: ab hoc autem longiſſime abeſt Deus.

(25) *Prodromi ad refutationem Alcorani P. III Cap. XV p.* 50. *Marraccii* autem indicio *auctor libri Camus* eſt Mohammed, filius *Iacob Phiruzbadienſis*.

mis omnium cauendum eſſe iudico diligenter, ne א & ח reticeri, & tanquam abſorberi, putentur, ubicunque Grammatici quidam literas haſce reticeri & obliterari volunt. Nam linguæ Hebraicæ, ut res ipſa clamat, ea eſt natura, ut ex gutture & interiore oris parte vocabula profundat. Hinc igitur fit, ut pæne ad omnes literas ſpiritus quidam, ſive halitus, adhæreſcat, quem ſola nonnunquam pronuntiandi commoditas abiicit, ne linguae volubilitas, ſermoni quotidiano tam neceſſaria, inepte præpediatur. Floret hæc aſpirandi voluptas & facilitas in omnibus Orientis linguis, & iis, utpote ex prima & antiquiſſima natis, digniſſima videtur. Cum enim ſermo ex gutture potiſſimum vim et contentionem habeat, vis autem & contentio vocis praecipuum illud ſit, quod Deus, vocis creator, in ea conformanda ſpectavit; ius profecto & fas fuit, ut gentes, orienti ſoli ſubiectæ, præcipuum vocis inſtrumentum præcipue exercerent. *Hieronymus* quidem, qui in Oriente maximam viæ partem conſumſit, hominum orientalium voces crebro exaudivit, & linguam Hebræam ab orientalibus doctoribus didicit, in lingua Hebraica eximiam quandam aſpirationum crebritatem eximie animadvertit, & poſteritatis memoriæ prodidit in *Epiſt. ad Ruſt. pag. 21 Tom. I* edit. *Eraſmian.: Ad mentem edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi, ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, grauitatemque Frontonis, et lenitatem Plinii, alphabetum diſcerem, & ſtridentia anhelantiaque verba meditarer.* Ne igitur Hebraica verba, ſuppreſſa literarum א & ח pronun-

nuntiatione, ſtridorem & anhelitum amittant, nos eas ſolerter efferre non dubitabimus. Multo minus unquam credemus, literam א, cuius nullus ſit ſonus, cum præcedente ſægol colliqueſcere, ut ſyllaba illa producatur. Iſta enim productio tota nobis ficta eſſe & commentitia videtur. Quicquid enim non pronuntiatur, moram voci nullam interponit. Ubi autem mora non eſt, ibi productio vocis nulla poteſt intelligi. De qua re infra diſputabitur copioſius.

III. Quemadmodum autem literam, ad integritatem vocabuli cuiusque neceſſariam, reſcindere nobis religioni ducimus; ita eam inter pronuntiandum obliterare verebimur, etiamſi nos ita facere iubeant magiſtri Iudæorum. Conabimur ergo ſpiritum addere nomini גֵיא, quanquam adſit nota, neceſſarii index. Nam præceptio Grammaticorum de Scheva nondum iuſta eſt, &, ut Stoici loquebantur, omnes habet numeros. Etenim Scheva ultimæ vocabulorum literæ ſubiici negatur, niſi litera legenda cum ſuo Scheva præceſſerit. Quod verum quidem eſt fere in perſona ſecunda ſingularis fœminini. Nam e. g. בָאתְ, *veniſti*, f, *1 Reg. XIV*, *3*, & alia ſimilia alibi, reperiuntur. Sed licentia hæc ſcribendi non erat nimium arctis reſtringenda vinculis. Invenitur enim *1 Reg. XVII*, *13*, הוֹצֵאתְ, & *2 Sam. XIV*, *2*, *3*, וְהָיִיתְ, & וּבָאתְ. Quæ ſcriptura etiam ratione nititur, quia verbum ex אַתְּ & הוֹצֵא conflatum eſt. וּבָאתְ autem cum ab וּבָאת diſcernendum ſit; diſcrimen per ſcripturam recte indicatur, ut halitus alteri vocabulo a pronuntiantibus indatur, alteri detrahatur.

IV.

IV. Grammatici in literis quibusdam varietatem quandam agnoſcunt, quæ vel in ſcriptura, vel in ſono, animadvertatur. Varietatem ſoni amat litera נ in Hebraica lingua non minus, quam in Arabica. Scilicet unius eiusdemque inſtrumenti literæ cognationis iure ſæpe abutuntur ita, ut aliæ alias mentiantur ac ſimulent. Manifeſta eſt igitur ratio, cur יִתֵּן, תִּתֵּן, פַּתָּה, נָתַתָּ, item נָתַנּוּ, dicamus. Omnino נ eſt mollior, ac proinde facile cum proximis quibusque coaleſcit, ſaltem inflecti quoquo modo ſe patitur. Hinc exſtiterunt nobis יִגַּשׁ, אַף, אֶקְטֹל, יִקְטֹל, non modo חִטָּה, בַּת, אֱמֶת, cetera. Idem contingit literæ ת in Hithpael, ſubſequente ד, vel ט. Quorſum pertinet eiusdem commutatio, cum vel literæ ח, vel ע, poſtponitur. Quid de litera כ dicam, quæ in ſuffixis ſecundæ perſonæ ex ת pronominis ſecundæ perſonæ naſcitur? Sunt item aliæ literarum varietates, quas, quia vulgaria Grammaticorum præcepta curioſis & intelligentibus ſuppeditant, brevitatis cauſa nos omittimus.

V. Diviſio literarum in *radicales* nimium prodit originem ſuam, ingenium Iudaicum. Tanta enim diviſionis inſulſitas aliunde proficiſci haud poſſit. Quomodo enim ſervus & radix inter ſe opponi queant, explicatu eſt difficile. Quodſi aliæ *propriæ*, vel *germanæ*, aliæ adventitiæ, vel alienæ, dictæ eſſent; paulo commodior viſa eſſet diſtinctio. Ferri etiam moderatius potuit diſcrimen literarum *neceſſariarum* & *ſupervacanearum*. Nunc ferendum eſt, quod mutare non poſſis. Illud quidem certum eſt, ſingulis vocabulis literas

quas-

quaſdam naturales eſſe, & ternario fere conſtare numero, reliquas diſcriminis cauſa ſuperaddi, ut linguæ varietas quædam, & tanquam ornatus, concilietur, nec infinitas quædam vocabulorum excogitanda ſit ad ſingulas res nominandas. De reliquo literis Hebræorum ſervilibus addi poteſt ר in עִמְרִי. Grammatici quidam monent, literam adventitiam, germanis & propriis præmiſſam, præoptare Scheva. Cuius rei cauſam proponere debuerant. Cauſa cognita, veritas obſervationis fere ſibi conſtat. Nam litera ו decerpta ex vocabulo וָן extremo, ל ex אֶל, כ ex כּוּן, ex quo etiam כֵּן dicimus. ב ex בֵּין natum eſt. Utrobique Scheva ſubſcribitur, propterea qnod etiam hæ literæ cum iis, quas diximus, communitatem quandam habent, & ſonus literarum per ſe obſcurum quoddam *e* format, ſeu potius muſſat. In omnibus quidem linguis ſua quemque experientia docet, literam, quæ alteri inſtar cumuli adiicitur, obſcurum quoddam, ſive *e*, ſive *i*, dicere velis, adiunctum habere. V. g. in vocabulis *gloria*, *creſco*, *bolellium*, *plenus*, *ſcoria*, *ſpiritus*, &c. obrepit primæ literæ pronuntiandæ tenue quoddam murmur, quod nec *e*, nec *i*, commode appellaveris. Sub gutturalibus autem murmur iſtud magis induit ſonum *a*, vel *æ*, ob ſpiritus copiam, e gutture redundantis. Quare dicimus הַמֶּלֶךְ׃, הַוּת, &c. In reliquis origo, ut ſupra dicebamus, difficultatem omnem facillime explicat. Ergo שֶׁ ex אֲשֶׁר & מִ ex מִן detractum, non tam a natura ceterarum ſervilium præfixarum degenerat, quam vetus ius ſuum obtinet. Nec obſcurum eſſe poteſt iam, cur ו cum Patach

Dageſch præfigatur. Nam eſt prius illud ו nominis וו, niſi quod ּ in ֿ & Dageſch convertatur, quod ſæpe alibi quoque fieri ſolet..

VI. De vocalium antiquitate, neceſſitate, nominibus, autore, poteſtate, ſimilibusque rebus, infinita dudum eſt diſputatio literatorum, quam a B. *I. C. Wolffio*, ſi rem tanti putes, vel ab aliis etiam, quos ille citat, repetes. Sin externos Auctores præoptes, quibus tamen ille vel par, vel ſuperior etiam, en *Buxtorfium, Capellum, Clericum, Richardum Simonium Tom. I Hiſtor. crit. Lib. I Cap. 27 p. 145* conſulere licebit. Quid de illarum uſu in ſyllaba ſimplici & compoſita ſentiendum ſit, infra exponetur. Illud unum hic fortaſſe non fuerit omittendum, vocalium pronuntiationem & vim magis ex gentium orientalium ore & vocis receſſu, quam ex nativa cuiusque expoſitione, indicandam eſſe: alioqui mirifica illa vocalium commutatio nunquam ſatis intelligitur. Maior eſt enim commutationis illius varietas, quam illa inſectorum apud Phyſicos. Quanquam enim in plerisque origo & ratio aliquid valeat; multa ocurrunt tamen identidem, quæ admirabilia magis ſint & violenta, quam ſcite & commode inflexa, & cum genere ſuo conſentanea. Cum autem ingenia hominum, ſoli orienti ſubiectorum, veIocia ſint & feruida; mirum non eſt, eorum, vocabula, quanquam diſcriminis cauſa amplificentur, ſyllabarum tamen numero rarius creſcere, & huic fini vocales breviores inſervire. In quo quantum gutturis natura, vis, ſitus, & ratio, valet, tanta vocalium exiſtit varietas & modus. Quamobrem, ut in linguis gentium occidentalium vocales

potiſſimum ſunt, quæ non modo ſermonis partes, ſed partium etiam conditionem variam, diſtinguant, ita vocales in Hebraica lingua idem officium tam ſolerter & cupide præſtant, ut, quisquis varietatem comutationis illarum perſpexerit, & diligenter ob- ſervarit, is linguæ totius naturam callere videatur. Reliqua enim huius linguæ cognitu multo ſunt faciliora,& numero pauciora. Cetera,quæ hic annotari poſſent, commodiorem infra locum reperiunt.

VII. Vocalis ׳, in præpoſitione עִם fulcrum ſuum ſemper diſiderat; ׳ autem fulcrum ſuum amittere non poteſt, propterea, quod, illo amiſſo, ſummum exiſteret periculum, ne tirones punctum illud cum Dageſch confunderent. Quod periculum vix iam evitari poteſt, cum ſæpe ſe det occaſio, ut Dageſch forte, literæ Vau inſcriptum, tironibus imponat.

VIII. Utrum figura ֳ ſive adſit Metegh, ſive abſit, ut, *a*, an *o*, legenda ſit, ratio & conſuetudo linguæ totius indicat, quam vel Metegh, vel alia quælibet præcepta. Nam admonitio de Metegh, quia malæ cauſæ ſervit, ſupervacanea iudicari poteſt, id quod infra magis liquebit.

IX. Patagh genuba ſub penultima gutturali non ſemper pro Scheua penultimo poni, docet לְקַחַת, *1 Reg. XIV, 3.*

X. Ad notas, lectioni ſermonis Hebraici deſervientes, Pſik, Soph Paſuk, & alia quædam addi potuerant. Sed, cum notas huius generis ars ordinandorum accentuum ſibi vindicarit, hæc inopia Grammaticis quibusdam condonanda videtur.

XI.

XI. שְׁתַּיִם non minus, quam שְׁנַיִם, e שָׁנָה originem trahit. Ergo Grammatici quidam, Dageſch illud in ת literam abiectam compenſare, dictitant. Quod illis aſſentiri ſolent quam plurimi, quanquam definitio Dageſchi fortis in Dageſch illud non conveniat.

XII. Mappik nobis, qui omne ה ultimum legi volumus, hanc habere poteſtatem videtur, ut ה immutabile a mutabili, vulgare a ſignificatiori, ſecernat. Vide, quæ §. I præmonuimus.

XIII. De nota grammatica *Metegh* acriter tenendum eſt id, quod Grammatici quidam ipſi præcipiunt, nullam ei vim ineſſe ad efficiendum tonum. Hoc conſtituto, maxima iam res effecta eſt, quam ad §. XVII adſcribemus. Hic ea modo dicemus, quæ proprie huc pertinent. Metegh adſtrictum tertiæ modo vocali, vel quartæ, a tono adiici, docetur multis cum cautionibus, quæ diſcentium memoriam onerant, & nullius tamen ſunt pretii, propterea, quod veritas tam anguſtis ſe terminis circumſcribi vetat. Nam longæ vocali ſæpe Metegh additur comes, etiamſi vocalis brevis ſubſequatur. Ecce tibi exempla *Dan. IX, 16,* יֹשְׁבֵ־בָנָא, *2 Reg. V, 26,* הָפַךְ־אִישׁ, *ibid. VII, 6,* שָׂכַר־עָלֵינוּ, *ibid. XX, 1,* אָחוּ רַבִּית, *Exod. III, 18,* הָעִבְרִיִּים, *1 Reg. VIII, 37,* יָצַר־לוֹ, *1 Chron. XVII, 12,* וְכֹנַנְתִּי, *Thren. IV, 6,* הַחַטָּאת. Adde *1 Sam. XVII, 57, ibid. XIX, 2, ibid. XX, 6.* Neque vero Metegh adſtrictum ſoli tertiæ, vel quartæ, ſyllabæ, a tono remotæ, adiicitur, ſed ſæpius etiam ſecundæ. Nam *Pſal. XIX, 5,* שָׂם־אֹהֶל edit. *Iablonsk.*

 repe-

ritur. Cum autem Metegh vocali brevi adiectum fuerit; non eſt illud quidem a Grammaticis quibusdam annotatum, ſed nec annotari magnopere debuit. Brevis enim vocalis tum in locum longæ ſucceſſit, ac proinde huius iura ſibi vindicat. Ergo patet, cur *2 Reg. II, 16,* הֶהָרִים ponatur. Vid. etiam *1 Sam. XVII, 26,* & *XXV, 24.* Intercedit quoque Metegh inter duas vocales breves, ubi cautiones Grammaticorum locum non habent. Sic enim *1 Reg. II, 22, 29, 32,* מֶלֶךְ־יְהוּדָה, *2 Reg. V, 10,* שֶׁבַע־פְּעָמִים, *ibid. VI, 11,* מֶלֶךְ־אֲרָם, *ibid. II, 11,* רֶכֶב אֵשׁ, *ibid. III, 4,* מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל, *ibid.* מֶלֶךְ־מוֹאָב, *2 Chron. II, 10,* מֶלֶךְ צֹר. Cetera, quæ hic dicenda forent, ad *§. XVII* addita reperientur.

XIV. Officium & naturam lineolæ Makkeph vix aliunde rectius demonſtraveris, quam ex nominibus locorum, hominum, aliarumque rerum, propriis, ſi ex duobus nominibus conſtent, & unum tamen ſolum locum, hominem, rem, ſignent, v. g. בֵּית־לֶחֶם, *Bethlehemum,* בֵּית־הַלַּחְמִי, *Bethlehemenſis,* וּמַלְכִּי־צֶדֶק, & *Melchiſedech, Gen. XIV, 18.* Quamobrem non erraverint, puto, ſi qui hanc lineolam ad Craſin referre malint. Eſt enim re vera Craſeos index: ſaltem quam plurima cum figura, quæ Græcis *Hyphen* dicitur, habet coniuncta. De reliquo uſus huius lineæ in collocandis accentibus, & illuſtranda ſententiarum vi, ac natura, maximus eſt, & grammaticæ arti non affinis modo, ſed etiam proprius. Quamobrem in Grammaticis quibusdam non male deſideratur.

XV. Ad ſingulas vocabulorum ſyllabas Grammatici quidam tres moras, quas vocant, contente requirunt. Neque veritatem habent reclamantem, ſi vocabula pleraque extra ſermonis contextum tum poſita ſpectari velint. Sin contextum eorum intueantur, & nos intueri velint; vereor, ne præceptio illa veritati ſit inimiciſſima. Primum enim nomen בָּתִּים & conſimilia refragantur. Deinde infinita illa, quæ per Makkeph vocabulo ſubſequenti obrepunt, & Metegh tamen deſiderant, repugnare videntur, v. g. 2 *Chron. V*, *13*, קוֹל־אֶחָד & 1 *Reg. XIII*, *14*, אִישׁ־הָאֱלֹהִים, & alia ſimilia. Dices, *ſuſtentetur per Metegh.* At hoc quidem eſt optare, vel potius iubere, non docere. Alibi foro ſervire licet; hic non licet, quia de veritate quærimus, quam ſimplicitas iuvat & integritas, aſtutia & imperium non item. Scio equidem, Metegh in huiusmodi exemplis frequenter oculis noſtris obverſari; ſed quid tandem merebimur, ſi Metegh adſcribi iuſſerimus? Erit enim Metegh illud laxum. Habenæ laxæ ſunt fere pro nullis, quamdiu ſunt laxæ. Omnino Makkephi naturam impugnabimus, imo euertemus, ſi ullam hic Metegho vim tribuemus inſigniorem. Makkephi officium ſacroſanctum ſemper haberi debet, ſiquidem linguæ ipſi & accentuum rationi vim facere nolimus. Intelligitur id autem, ut modo vidimus, ex propriis urbium, gentilibus, & aliis, nominibus cummaxime, v. g. ex בֵּית־שֶׁמֶשׁ 1 *Sam. VI*, *19*, ex בֵּית־הַשִּׁמְשִׁי 1 *Sam VI*, *18*, ex קִרְיַת־יְעָרִים *ibid. v. 21*. Hic quisquis diſtractionem ullo pacto inſtituere voluerit, næ is naturam

ipſam rei diſturbare audeat. Id quod nemo non improbabit. Si veritatem, ut debemus, ita conſectamur; intueamur, quæſo, diligentius in 1 *Sam. XXIV*; 16, ubi reperimus וַיִּרָא. Hic ultima ſyllaba ſi ſimplex eſt, habemus, quod nos volumus, & adverſarii averſantur. 1 *Sam. XXIV*; 22, legimus חָשׁ בְּעָה לוֹ. Quæritur ergo, utrum ultima prioris verbi ſyllaba tres, an plures, paucioresve, habeat moras. Si adverſarii reſponderint, tres modo eſſe; excipietur merito, qui fiat, ut tres conſonantes & vocalis longa tres modo moras habeant, non quinque, cum præſertim litera בּ cum ע difficillime in unam moram coaleſcere poſſit, quia בּ labiorum eſt opus, & ע gutturis, quorum inſtrumentorum diſtantia longiſſimam moram pronuntiandi requirit. Sin faſſi fuerint, plures tribus adeſſe moras, ſua iam cæſa videbunt vineta. Corrigenda iam igitur erit opinio, *Gen. XXX*; 38, בַּשְּׁקָתוֹת, cernimus. Hic ſyllaba ſimplex eſt, & duæ ſolum moræ. Num igitur verbum hoc nos corrigemus? לְיֵחֹמְנָה habet י in legendo obliterandum. Syllaba igitur לְ tantum conſtat duabus moris. Quodſi ex me quæras, cur פֶּלֶא ſyllabam penultimam evehat, in promtu erit reſponſio. Nihil enim ſyllaba ultima proprii habet, & a ceteris ſyllabis compoſitis ſeparati. חֵטְא quidem congruit cum זָכָר. Adverſarii contra noſtri ex tam parva difficultate expedire ſe non poſſunt, niſi forte novas exceptiones confingere velint. Sæpe autem exceptionum ubertas vel malæ cauſæ, vel inchoatæ modo & adumbratæ veritatis, eſt indicium. Si א cum præcedente Sægol colliqueſcere dixeris,

ver-

verbum audio tralatum, ac proinde obſcurum, quod in pronuntiando non auditur, an id ad ſyllabam explendam valeat; num, quod pro nihilo eſt, aut nihili, id eodem tempore literæ vim habeat. Equidem non intelligo, quemadmodum hæc inter ſe concilientur. Adde ſupra §. *III.*

XVI. Quodſi, ut demonſtratum eſt, quædam ſyllabæ plus, quædam minus, quam tres, moras habent; vacillat iam diviſio ſyllabarum in *regulares* & *irregulares*. Regulæ quidem per naturam ſuam in ſcientiis omnibus ſpectant, & ſpectare debent, id, quod pleriſque commune, vel etiam univerſale, iudicatur, & hæc communia *regularia* dicuntur. Quæ contrariam habent naturam, & tantummodo in paucis animadvertuntur, *irregularia* vocantur. Atqui dubium eſt, utrum maior ſit ſyllabarum regularium numerus, an irregularium. Hactenus igitur diviſio illa minus eſt apposita, ut nobis quidem videtur. Nam, ſi formas nominum, vel *nudorum*, vel *veſtitorum*, perluſtraveris curatius, plus profecto ſyllabarum irregularium animadvertes, quam regularium. Ultimæ enim ſyllabæ in pleriſque formis vocalem amant longam, quæ, cum maxima formarum pars conſonante litera terminetur, neceſſario ſyllabam gignit irregularem. Si cogitemus pluralem numerum & nominum, & pronominum, & participiorum; infinitas quædam ſyllabarum occurſat irregularium. Si perſonam ſecundam fœm. ſing. & ſecundas pluralis numeri ſpectes, & in his non, quomodo ſcribantur, ſed quomodo ſcribendæ ſint, conſideres; ultima ſyllaba ſemper emergit irregularis. Si futura, impe-

rativos & infinitivos & participia formæ Kal & Niphal, ſi plerasque omnes extremas ac nudas ſyllabas formæ Piel, Hiphil, Hithpael, conſideres; irregulares habebis ſyllabas. Si Paragogen literæ ɔ, ſi ſuffixa intueare; magna irregularium rurſus conſpicietur ſeges. Ad ſummam, ne ſingula perſequi oporteat, quicquid in aliarum linguarum Grammaticis regulare & eſt, & habetur, & dicitur, id hic irregulare appellabitur & contra.

XVII. Cum natura ſyllabarum non ſatis exquiſita & omni dubitatione liberata eſſet; mirum non fuit, ignoratas eſſe cauſas, quare tonus vel in ultimam ſyllabam coniiceretur, vel in penultimam. Ita igitur fieri aliter non potuit, quin plurimæ naſcerentur exceptiones & exceptionum exceptiones. Id quod diſcentium memoriam ita fatigat, ut vix longo tempore merces tam conſimiles quaſi varias diſcernere, & diverſas tanquam ſimplices complecti, diſcant. Non meminerunt hic ea, quæ de literarum natura ipſimet initio docuerunt; non meminerunt, quæ nos ſupra in ipſis reprehendimus, origines cuiusque rei ante oculos eſſe habendas; non meminerunt, quod linguæ omnes inprimis omnium meminiſſe nos iubent affectuum, & naturæ quarumvis rerum habendam eſſe rationem a loquentibus. Quæ quidem res Hebræis tantæ fuit curæ, ut ſatis admirari non poſſint intelligentes. Nobis quidem lingua nulla Hebræorum accurationem aſſequi videtur. Cum igitur ab affectu loquentium, a natura ipſius rei, ab originibus vocabulorum, ſimilibusque rebus, pendeat toni diverſitas & poſitionis varietas, atque ab hac

hac varietate cooriatur punctorum variatio; in rebus inanibus deſudarunt, ſi qui ad hanc rem docendam ante ſunt aggreſſi, quam res illas tam neceſſarias explicarunt. Terminationis aliqua etiam hic vis eſt; accentuum nulla, Dageſchi euphonici nulla. Accentus quidem, ſi affectui, ſi naturæ rei, ſerviant, videntur aliquid valere. Sed vis ea omnis debetur potius rei ipſi. Accentus ſunt ſigna rei; vis & efficientia omnis non ſignis, ſed rei, tribuitur ab intelligentibus cuiusque artis. Ita vis medicamentorum non a medicorum ſignis proficiſcitur, quamvis magicam quandam pleraque figuram habeant, & imperitorum pæne oculos terreant. Quare, ſi, me auctore, ſuſtuleris inanitates, communia vero illa omnibus linguis præcepta diligenter memineris; pauciſſima iam ſupererunt, quæ propriam curam & attentionem requirant. Ergo videndum illud eſt ante omnia, literæ ſingulæ utrum aliquam habeant poteſtatem, an non habeant. Habere eas aliquam, nemo negarit, niſi qui cauſam inventionis earum minus perpenderit. Quisquis enim perpendit, eas idcirco inventas eſſe, ut ſignificarent id ſoni, quod os hominis conformare ſolet, is, poteſtatem quandam illis ſubeſſe, libens concedet. Poteſtas autem illa ſalva ſit oportet, ſive litera ordiatur vocabulum, ſive finiat. Niſi forte inventorem literarum aut temere ruiſſe dixerimus, aut libidini ſuæ aliquid dediſſe. Utrumque hoc crimen eiusmodi eſt, quo nemo temere inventorem rei tam bonæ, & vitæ communi tam neceſſariæ, onerare audeat. Si ergo ſalva eſt, & eſſe debet, literarum poteſtas, cur in verbo אבר

litera א ius literæ obtinet, & ad ſyllabam complendam pertinere putatur, in verbo בָּרָא non obtinet, & ultima ſyllaba ſimplicis naturam habere iudicatur? Si iam inventor literarum literas ה & א ſupervacaneas duxit; cur eas ultimis ſyllabis affinxit? Cur librarii & ſculptores inventoris exemplum plene perpetuo ſecuti ſunt? Sin in ea re inventoris ſapientiæ & ſuæ conſtantiæ prudentiæque ſervierunt; cur nos præſcriptum eorum præoptabimus, qui præceptis ſuis literarum inventori imprudentiam quandam & inconſtantiam haud obſcure exprobrant? Si ה legi poteſt & legitur, ut concedunt Grammatici, cauſam non video, cur ה ceterorum vocabulorum, in quibus legi negatur, ad literas ſingulis vocabulis proprias adſcribatur. Quorſum accedit ה, aut א, pro quadam quaſi ſarcina, aut ſarcinæ ſupplemento? Fateor equidem in vocabulorum inflexione diverſam utriusque ה dari vim & efficientiam, propterea, quod alterum manet & deleri non poteſt, alterum perit, nec ſui veſtigium relinquit; ſed hic ipſe eventus vim literæ ה non continuo ſic enervare & perimere poteſt, ut iam item antea nauci & nihili fuiſſe videatur. Nam multæ item aliæ literæ identidem eliduntur; neque tamen idcirco literarum iure ſpoliantur. Sibilus literæ ה fortior & contentior olim eſſe potuit, quam literæ ה; ſed propterea, nullam omnino eius vim fuiſſe, aſſeverare nolim. Novimus enim, exiſtere tempora, cum ה, quod alibi puncto non inſignitur, alibi puncto inſigniatur. Quod fieri non poſſet, ſi nulla literæ ה extremæ foret poteſtas. Facile apparet, me illa ſpectare vo-

cabula

cabula, quæ verbo הִתְלַהְלֵהַּ, *Gen. XLVII, 13*, ſunt conſimilia. At enim urgent huiusmodi exempla nos, qui pro poteſtate literæ ה extremæ propugnamus. Nam, ne vis literæ ה antea lectæ ſubito prorſus evaneſcere videatur, idcirco, cum in ultimum locum reiici cœpta eſt, priſtina eius vis inſigni quodam munitur. Sed hoc ipſo argumento non perimitur ה extremæ poteſtas, quam non validiſſimam eſſe, ipſi iam antea fatebamur. Fortaſſe igitur ה creſcente vocabulo tantum idcirco perit, ut verba לה a verbis לא facilius diſtinguerentur. Aut fortaſſis ea hic valuit ratio, quæ apud Latinos *v* ex multis vocabulis exterminavit, ut e. g. malimus dicere *laudarint*, *laudaſſe*, quam *laudaverint*, *laudaviſſe*. Nam difficultatem ſignificantius enunciandi literam ה priorem in verbo הִתְלַהְלֵהַּ re vera ſentiet is, qui ex auditore Hebrææ linguæ ignaro ſingulas enunciati vocabuli literas repoſcet. Ultimum vero verborum א, etiam creſcente illorum extremitate, tamen retinentur, quia pronuntiatio nihil, eo retento, ſentit tantæ difficultatis. Retineri autem nec poſſet, nec deberet, ſi quidem nulla eius vis iam antea fuiſſet. Hactenus igitur pervenimus, ut extremas illas ſyllabas, quæ litera ה terminantur, litera terminari conſtaret, hoc eſt, ſigno, iure ac poteſtate ſigni prædito, ſi literarum inventorem ſibi conſtare velimus, ut certe velle debemus. Circumſpectis enim rebus omnibus, ſubductisque rationibus, alia ſumma fieri non poſſe mihi quidem videtur. Ergo eximemus ſyllabas, litera ה terminatas, e numero ſyllabarum ſimplicium. Reſcribemus eas ad com-

poſitas-

poſitas, quo pertinere videntur, & quo ipſa toni natura & conſuetudo reſcribit. Tonus enim vocabulorum ius & originem ſcriptionis fere maxime prodit ac vindicat. Ac verba quidem in ה exeuntia ſecundæ radicali ַ etiam ſubieciſſe, docet Scheva literæ ſecundæ ſubiectum perſonæ tertiæ fœminini generis, ſicuti fit in verbis perfectis. Sed quid fiet de litera ה adventitia & loci indice? Dividamus ſententiam, referamus de utraque eius parte ſeorſim. ה locale tonum eum habet & habebit, quem in omnibus linguis ipſa vocis natura ei aſſignare ſolet. Rem omnem Germanica illuſtrabit lingua. Nos dicimus *gehet hîeher*, & tamen dicimus etiam *hiehêr gehœrt das groſse Werk Gottes* &c. Ac, ſi diligentius ad tonum attenderimus reſpondentium ad quæſtionem eorum, qui finem itineris reſciſcere cupiunt, alius eſſe apparebit, quam qui extra reſponſionem eſſe ſolet. Scilicet magna vis eſt omnibus in linguis neceſſitatis illius, quæ diſcrepantiam terminationum & ſonorum obſervare nos iubet. Diſcrepantia enim ita neceſſaria, eſt obſervatu, ut citra eam ſermo nonnunquam vix ſatis intelligi poſſe videatur. Id quod iam olim in lingua ſua Romani animadverterunt. Unde natum eſt illud *Quintiliani Inſtitut. Orat. Lib. I Cap. V p. 33: Ceterum ſcio, iam quosdam eruditos, nonnullos etiam Grammaticos, ſic docere ac loqui, ut propter quædam vocum diſcrimina verbum interim acuto ſono finiant, ut in illis:*

Quæ circum litora, circum piſcoſos ſcopulos —

ne, ſi gravem poſuerint ſecundam, circus *dici videatur, non* circuitus. *Item* quantum, quale, *interrogan-*

gantes gravi; comparantes acuto, tenore concludunt; quod tamen in adverbiis fere ſolis ac pronominibus vindicant, in ceteris veterem legem ſequuntur. Sic item Græcis differentiæ cauſa Δημοσθένης, Διογένης, & ſimilia, dicuntur, cum ſunt nomina propria, etiamſi adiectiva a nomine γένυς, σθένος, & aliis, ducta, ultimam ſyllabam acuere ſoleant. Imo tempora nonnunquam incidere poſſunt, cum extremæ ſyllabæ nominis, locum ſignantis, & litera ה terminati, tonus inſidere queat. Quam in rem צֹעֲרָה, *Gen. XIX*, 22, memorabilius eſt, quam ut hic ſilentio prætereatur.

XVII. Cur autem ה paragogicum aliis in verbis ſyllabas aliter afficiat, difficilior eſt quæſtio. Nam in futuris verborum perfectorum ה illud tonum ſecum e ſyllaba penultima in ultimam abſtrahit, cum tamen eum in verbis quibusdam imperfectis e ſede vetere non moveat. Sed ratio eius rei e ſyllabarum penultimarum natura repetenda videtur, ut paulo poſt demonſtrabimus. Hoc ipſum autem, ſi verum & certum eſt, uti eſt; non licet nobis dubitare, quin Grammatici quidam officio ſuo rectius functi eſſent, ſi nos in collocandis tonis non ad ultimam modo ſyllabam attendere iuſſiſſent, ſed penultimæ quoque ſuum ius, ſuamque poteſtatem, vindicaſſent, ac præſertim ad origines ultimarum ſyllabarum nos allegaſſent. Ita factum eſſet, ut præcepta quædam de tono non in alieniſſimum locum reiicerentur, præter neceſſitatem alibi atque alibi repeterentur, memoria diſcentium multitudine animadverſionum oneraretur, ac mens tanquam in tenebris quibusdam identidem aliquo in-

incurreret. Nam generali obſervationi de natura originis cuiusque rei in derivatis ſancte retinenda etiam toni ratio rectiſſime ſubiici poſſet. Quorſum referri potuiſſet ה intendendi vim habens, ה affirmativum coniugationis Hiphil & levium in verbis mediam quieſcentem habentibus, ה ſuffixi, tertiis perſonis fœmineis additi, vocalis brevis, longæ partes ſuſtinens, & ſtatus conſtructi index, tribus conſonantibus præmiſſa, vel ך & ם ſervilibus præcurrens, terminatio י‍ַ & multa alia, quæ a multis præter neceſſitatem, & quaſi caſu, admonentur, multiplicantur, commiſcentur.

XVIII. Statueram hæc, quæ adhuc innui, ſæpe cuiusque conſiderationi accuratiori relinquere, ut, quicquid quisque indagaſſet, id ſuæ deberet ſolertiæ. Sed, occupatis & minus exercitatis facem ut præluceam, operæ fortaſſis erit pretium. Sunt enim admonendi, vocalem, ultimæ literæ ם, vel ן, præmiſſam, ad præceptionem pertinere eam, quæ vocalem brevem, pro longa poſitam, longæ poteſtatem obtinere iubet. Nam יכם & יכן, itemque יהם & יהן. orta ſunt ex אֵתֶם & אֵתֶן, atque ex הֵם & הֵן, quæ, ut ſui queinque oculi docent, vocalem longam amant. Equidem non memini, אתם per Tſere ſcriptum me reperire, ſed reliqua tamen pronomina, quæ modo poſui, convincunt, etiam אתם ſecum congruere, quanquam uſus vocalem brevem pro longa ſemper ſubſtituerit. Nam, אתם ex אַתְּ & הֵם conflatum eſſe, ſatis apparet, & coniecturæ ſubvenit ſimilitudo Chaldaicæ linguæ. Et cur ſolum Sægol a communi ceterarum vocalium conſuetudine deflexiſſe putabimus,

quam

quam ceteroquin tenere ſolet? Iam, ſi in ſtatu conſtructo vocalis brevis, in longæ ſuccedens locum, tonum ſibi vindicat, cur particulæ עַל ius idem negabimus? Etenim עַל quoque ſtatus eſt conſtructi, quem etiam plurale עֲלֵי indicat, & multi Grammatici ipſique adverſarii noſtri profitentur. Trium conſonantium concurſus etiam ex origine ultimam vult attolli. Concurrunt enim duo vocabula, e. g. אֵת & דַּבֵּר. Et אֵת quidem vocalem ſuam in anteriorem locum coniicit, & ultima verbi דַּבֵּר tonum retrahere non poterat, qui tonus, cum veterem locum mutare non poſſet, neceſſario in extrema ſyllaba retinebatur. Venio ad difficilem quæſtionem, cur vocalis brevis verbi קָטַל ultimam ſyllabam elevet, quam nusquam alibi intendere ſolet. Non memini usquam me quidquam ea de re legere. Expromam igitur, quid ego ſentiam, relicta ſua cuique ſententia. Ultima ſyllaba radicis illius, unde cetera tempora enaſci ſolent (*), olim mihi & longum & breve *a* ſuſtinuiſſe videtur, cuius rei teſtes cito radices, litera per ה & א terminatas. Etenim ה & א, quanquam pro longa vocali ſæpiſſime brevem ſubſtituant, e. g. in futuris & participiis & nominibus quibusdam, in tertia tamen præteriti maſc. Kal præoptarunt *a* longum. Indifferentem & brevis & longæ vocalis uſum ſub ſecunda radicali coniugationis Kal, indicat non modo mutatio in ִ, ſi ſuffixum acceſſerit, ſed etiam radices eæ, quæ penultimæ radicis literæ longum *e*, vel *o*, ſubiiciunt. Nam, ſi longum *e*, vel *o*, ſubſcribi potuit ſecundæ radicali præteriti maſculini generis in Kal, cauſam non

(*) Infra §. XLI.

non video, cur antiquiſſimis temporibus, eidem ſubſcribi non potuerit: antequam uſus, tyrannus ille, Grammaticos, ad vocalem brevem compulſos, tonum tamen veterem retinere coegit. Nomina, in י_ deſinentia, vel propria ſunt, vel ſuffixum primæ perſonæ pluralis ſuſtinent, vel aliam quandam naturam præ ſe ferre videntur. Suffixum י_ in nominibus maſculini generis tonum in anteriorem ſyllabam reiicere non potuit, propterea, quod eum ibi iam antiquitus & iure optimo maximo locatum repererat. Etenim e poſſeſſione vetere nihil temere deturbare licet ne Grammaticis quidem, atque hic quidem eo minus libuit, quia originem huius ſuffixi memoria tenebant. Originis maxima ſemper vis fuit in Hebræa lingua. Neque natura ſuffixorum patiebatur, ut tono privarentur, cum in iis potiſſima vis, interdum etiam ſeiunctio & oppoſitio, ſita ſit. Illa autem, in quibus maxima vis ineſt, tonum ſibi per naturam ſermonis & ſanæ mentis vindicant; niſi forte nonnunquam vis iſta in duas ſyllabas diſtrahi queat, quæ propter moram pronuntiationis ſatis ſibi conciliant attentionis. Tonus autem, quam in maſculinis ſedem obtinebat, eam in fœmininis demum mutare non poterat commode; cum præſertim pro eadem ceteræ, quas memoravi, rationes propugnarent. Quod ad nomina propria pertinet, ea ex eodem ſuffixo conflata videri poſſunt, ac proinde a natura nominum, quæ ſuffixum ſuſtinent, nihil diſcrepare queunt. Cetera, in י_ deſinentia, v. g. אולי, ex ipſis Grammaticorum præceptis de particularum natura facile iudicantur. Cum enim eas nominibus

bus annumerent, nominum naturam hic quoque eas tueri, mirum non eſt. Denique veritati accommodatiſſimum eſſe videtur, ut בַּרְזֶל , כַּרְמֶל, ex Piel formas ſuas mutuo ſumſiſſe dicantur, ut פַּרְדֵּס. Nam, quia in Piel aliquando Sægol pro Tſere ponitur, & formæ huiusmodi ex Piel ſumtæ videntur, idcirco mirari non debemus, ſi vocalis brevis iura longæ ſibi vindicat. Rationem certe toni uſitati quandam eſſe oportet, præter hanc autem, quam attulimus, nulla videtur eſſe conſentanea.

Difficilior fortaſſe nonnullis videatur quæſtio, cur יְ & יֵ & ו tonum ſuſtineant, ſecus ac ceteræ ſyllabæ ſimplices, vocali longa terminatæ, ſolent. Sed, ſi originem אני, vel אנכי, terminationem יום & הם, unde ו illud natum eſt, ſpectaris, iam apertum erit, cur a ceteris literis conſimilibus diſſentiant. Infinita ſunt alia, quæ huc referri poſſunt, ſed brevitati nos ſervientes, ſuæ cuiusque induſtriæ ea perpendenda relinquimus.

Præter ſervilia, in י. deſinentia, etiam וַיְהִי, וַיְחִי, & conſimilia, ultimam habent acutam.

Tonum ex ſede fixa iam & conſtituta in penultimam revocari ob ו converſivum futuri, haud dubitanter Grammatici docent. Denotarunt etiam tempora quædam, quibus hoc ita fieri ſoleat, ſed omnia omnino tempora, quibus id non liceat, non definierunt; cum tamen ea res alicuius ſit momenti, propterea quod ſyllabæ quædam ita rigidæ ſunt, ut ad leges inflecti ſe non patiantur.

tiantur. Uſus hic diu multumque ponderandus eſt, ut certis adſtringi regulis omnia poſſint. Nos in hac brevitate noſtra plura dicere nequimus. Non magis definita ſunt tempora, quibus accentus domini ex ultima in penultimam tonum reprimant. *2 Reg. V, 11*, repræſentari tonus poterat; ſed ibi tamen legimus וַיֵּלֵךְ. Sic וַיָּבוֹא ſemper, ut opinor, tonum in ultima habet. Sæpe toni inter ſe quaſi colliſi tantam tamen vim non habent, ut alter ab altero repellatur ac reſiliat. Fit igitur hic etiam id, quod in magnetibus accidere videmus. Nonnunquam enim magnes obverſum magnetem repellit; nonnunquam rite appoſitum perfert. Ergo reperimus *Exod. II, 7*, תֵּינִק לָךְ, *2 Sam. XVI, 14*, וַיִּנָּפֵשׁ שָׁם, *1 Reg. XIII, 16*, אִתְּךָ מַיִם, *ibid. v. 19*, וַיֵּשְׁתְּ מַיִם, *1 Reg. XVI, 4*, וַתָּבֹא בֵּית. Si quis igitur accuratius hæc perpenderit, facile intelliget, nonnunquam per vocabulorum naturam fieri non poſſe, ut tonus retrahatur. Ergo vis præcepti Grammaticorum tum exoleſcit. Nam, neceſſitati parere, ſemper ſapientis eſt habitum, ſicuti licentia fruitur, quisquis ea citra reprehenſionem poteſt. לָמָּה ob Dageſch euphonicum retractum accentum habere dictitatur, reclamantibus aliis, qui Dageſch euphonicum negant tantam vim habere. Illud quidem facile conceditur, לָמָּה ex ל & מה compoſitum videri, & ſignificationem vocabulorum componentium cum compoſiti ſignificatione ſatis congruere; ſed non facile intelligitur, unde natum ſit ָ ſub ל; cum בַּמֶּה *2 Sam. XIX, 35*, בַּמָּה *ibid. v. 3*, &

con-

conſimilia, reperiamus. Quæ eadem vocabula tonum in ultima ſyllaba retinent, & ea re efficiunt, ut literati quidam homines ampliandum putent. Lingua quidem Arabica, Hebraicæ cognata, ſuggerit nobis vocabulum לם, cuius etſi vis & ſignificatio a לָמָּה maxime diſcrepat, ſaltem tamen vocabulum quoddam לם exſtitiſſe indicat. Huic autem particulæ לָם facile accedere potuit ה, litera, nominibus, verbis, pronominibus, & particulis ipſis, crebro addi ſolita. Omnino ex vehementia affectuum hominis per לָמָּה interrogantis iudicanda eſt poſitio toni, ut in aliis item linguis fit, ubi pro diverſitate affectuum eadem vocabula in diverſis ſyllabis tonum reponunt. Ad conſuetudinem igitur pronuntiationis vehementioris tonum Maſorethæ accommodarunt. Iidem enim etiam לָמָּה ſcripſerunt *1 Sam. XIX, 17, ibid. XXVIII, 9, 2 Sam. XIX, 11*, uti אָנָּה *2 Reg. XX, 3*, quod tamen fortaſſe ex נא & אן conflatum eſt. Accentus miniſtri tonum vocabulorum quorundam, אָנֹכִי, אָתָּה, &c. variare dicuntur a quibusdam, qui hoc ipſum aliis minus perſuadent. Nimis enim certum eſt, accentuum per ſe nullam vim eſſe, & omnem eam vim, quam aliis atque aliis in locis habere videntur, a pronuntiationis vel contentione, vel remiſſione, habere. Pronuntiantis quidem officium eſt, ut curate diſpiciat, quid aut contentius, aut remiſſius, enuntiandum ſit. Vid. *Quintiliani Inſtitut. orator. Lib. X Cap. 3 pag. 682 & 704 edit. Argentor. An. 1698.* Cui rei utriusque toni aut permanſio in conſueta ſede, aut diſtractio, mirifice ſervit. Omnibus quidem in linguis hoc obſervare licet quotidie. Sic

Germani percontantibus, quo tempore domi quisque ſit, ut inviſuris adeundi poteſtas ſit, reſpondent: *Ich bin allezeit zu Hauſe.* Iidem contra, cum perpetuam hominis cuiusdam malitiam notant, dicere malunt: *Er thut das allezeit.* Itaque Germani, ſi vocabula ſua accentibus onerarent, alias primam, alias ultimam, ſyllabam particulæ *allezeit* accentu notarent. Qua ex re intelligitur, quod initio dixi, accentum e pronuntiatione & affectibus natum eſſe, neque pronuntiationi leges præſcribere. Minus eſt igitur credibile, quicquid Grammatici de vi accentuum clamant. Si accentus ut teſtes iudicii cites Grammaticorum, qui ad libros antiquos accentus adſcripſerunt, bene eſt; ſin poteſtatem accentuum ampliorem iudices, & liberiorem, nihil iam mirabimur, ſi quamplurimi ſententiæ tali reclament.

XVII. Grammatici quidam opinantur, cauſam mutandarum vocalium eam eſſe, quod vocalis longa in ſyllaba compoſita, aut brevis in ſimplici, tolerari non queat, niſi forte aut tonus, aut Metegh, adfuerit. Sed, cum tonus ad ſyllabas vel producendas, vel corripiendas, nihil valeat, apertum eſt profecto, vocalem brevem in ſyllaba ſimplici, & longam in compoſita, ſtare poſſe, nec proinde cauſam mutationis vocalium ex brevitate vocalis in ſyllaba compoſita repetendam eſſe. Tonus quidem in omnibus linguis ſæpe inſidet vocali brevi; neque tamen idcirco vocalis illa brevis fit longa. E. g. ἔχω tonum habet in vocali brevi, & tamen eandem illam priorem ſyllabam ſemper habet correptam. *Ager*, *habeo*, *juſtitia*, vocales illas habent breves, in quibus tonus inhæret; neque tamen eſt quisquam,

quam, qui, easdem illas tono præditas ſyllabas longas eſſe, iudicet. Ergo, ſi vocalis brevis in ſimplicibus Hebraicorum vocabulorum ſyllabis cum tono ſtat & ſtare poteſt citra ullam reprehenſionem, ſequitur certe, ut, vocalem brevem in ſyllaba ſimplici, & longam in compoſita, recte ſtare, dicamus, etiam ſi tonus ab huiusmodi ſyllabis abſit. Neque Metegh ad producendas, aut corripiendas, ſyllabas ullam vim habet. Sive igitur abſit Metegh, ſive adſit; vocales breves per Metegh nunquam fient longæ, neque longæ breves. Ergo Metegh nec impedit, nec adiuvat, permutationem vocalium. Id quod ut clarius fiat, ſedes modo lineolæ Metegh curatius contemplanda eſt. Adiicitur Metegh & ſimplicibus & compoſitis ſyllabis. Simplicibus inſidet, ſive longa illarum eſt, ſive brevis, vocalis. Longam vocalem Metegh non diducit & dilatat magis: alioqui plures, quam tres, moræ in eiusmodi ſyllabis forent, quod ii ipſi, contra quos hic diſputamus, abominantur. Neque vocalis brevis per Metegh evadit protractior. Nam origo vocalis illius brevis quantitatem, illi vocali debitam, ſatis declarat. E. g. לַֽעֲנוֹת habet Metegh vocali (−) adſcriptum: (−) autem illud pro Chirek parvo ſubſtitutum eſt. Non ergo longiorem moram, quam Chirek, poteſt poſtulare. Per Metegh quidem nihil nec affertur, nec detrahitur, moræ. Eſt enim Metegh tantummodo ſignum vocalis conſiderate poſitæ, quam proinde conſiderate lectites. Hoc præſertim ea docent exempla, quæ Metegh apponunt vocali ָ ſubſequente Schua, aut vocali Kamez hhatuph ſubſequente ֳ hhateph, aut vocali ֶ,

 ante

ante Kateph Sægol detruncatum, v. g. אֶעֱשֶׂךָ, תַּעַבְדוּ, קְטָלוּ. Metegh ſi curſum lectionis ipſum vel retardaret, vel etiam impediret, ut fræni curſum equorum ſolent; longiorum vocabulorum lectio odioſam haberet tarditatem, uti pomparum fercula: cum tamen Hebraicæ linguæ ratio odioſam longitudinem perferre haudquaquam poſſit. Neque illud Grammaticorum præceptum, quod tono per acceſſionem ſyllabæ, vel literæ, unius attollendæ e ſede ſua repreſſo mutationem vocalium iniungit, ſatis ſemper tutum eſſe videtur. Primum enim, tono in ultima ſyllaba poſt acceſſionem literæ attollentis, vel ſyllabæ gravis, confirmato, tamen commutatio vocalium ſuſcipienda eſt. V. g. *Ier. VIII, 2*, דְרָשׁוּם, *Pſalm. XVIII, 5*, אֲפָפֻנִי. Deinde vocabula nonnulla, ab extremo aucta, vocalem aliquam tamen mutant, etiamſi tonus in veteri ſede permaneat, e.g. לַיְלָה, אַרְצָה. Ergo reſtrictior & anguſtior eſt cauſa illa mutationis vocalium, quam ut ad univerſa mutationum exempla accommodari poſſit. Eſt igitur mutationis vocalium alia ratio exquirenda, & eo quidem magis, quod per veterem illam Grammaticorum rationem mutatio vocalium, quam nomina conſtructa faciunt, nullo pacto explicari poſſit, cum tamen illius quoque mutationis ratio aliqua dari debeat. Sunt aliæ item cautiones adhibendæ, quibus licentia mutationis vocalium refrænetur, poſtquam tonus longius promoveri cœptus eſt. Suadent id וְהִפְרֵתָה *1 Sam. XV, 34*, מִתְנַכֵּרָה *1 Reg. XIV, 5, 6*, & alia quædam exempla, quæ brevitatis cauſa hic prætermittimus. Eſt etiam incrementi vocabulorum

rum a capite ſub diligenter habenda ratio. Neque enim vocales tantummodo mutantur vocabulorum, a calce creſcentium, ſed etiam ab initio auctorum, v. g. מִשְׁפָּט, נְרֹתֶ[redacted], תַּחְמָס, &c. Atque hæc quidem mutatio vocalium capitis, una pluribusve literis aucti, Hebræis tam ſancta habetur, tantamque vim habet, ut tota etiam vocabula, quæ aliis vocabulis accedunt, & eorum quaſi acceſſio quædam videri poſſunt, ad commutationem vocalium adigantur, quo facilius lectores auditoresve intelligant, eas tantummodo vocabulorum ſubſequentium acceſſiones eſſe. Exemplum rem omnem illuſtrabit facillime. Si dicas אֲפַסִי[redacted], mutationis nihil eſt ſuſcipiendum, propterea, quod nomen hoc ſui iuris eſt, neque acceſſio alienæ quaſi familiæ videri poteſt. Verum, ſi alieni dominii quædam quaſi ſit acceſſio, tum, tanquam acceſſio vocabuli ſubſequentis vocales ſuas immutet, neceſſe eſt, ne lector auditorve de conditione illius diutius dubitare neceſſe habeat. Cum igitur caput vocabuli, pleno iure ſuo fruentis, tanquam adauctum eſt; plerumque ſubito vocales & literæ ipſæ immutantur, quo facilior & aptior tota fiat cohærentia. Ita ergo fit, ut אַפְסֵי אָרֶץ dicamus, & duo nomina pro uno quaſi vocabulo habeamus. Ad hunc talem loquendi modum Hebræis ipſa rerum natura ſuffragata videtur. Etenim extremitates terræ ita ſunt ab interioribus terræ partibus ſegregatæ & ſeiunctæ, ut nihil pæne alteræ cum alteris commune habere videantur. Quicquid autem a ceteris rebus ita ſeiunctum eſt, ut omnia ſibi propria habere videatur, id recte pro re una habetur, a qua res

ceteræ ſint diverſæ. Cum autem verba ſint rerum ſigna, &, quoad fieri poteſt, ad rerum naturam recte accommodentur; apertum eſt profecto, Hebræos talia verba ſapienter coniunxiſſe ita, ut prius acceſſio poſterioris videatur, &, ut ipſi loquuntur, conſtructum cum conſtruente quam arctiſſime conglutinetur.

2. Omnino diligentibus Hebraicorum verborum æſtimatoribus mirum videtur, qui fieri potuerit, ut ab una prolatione toni cuiusque vocabuli omnis ſuſpenderetur vocalium commutatio; cum tamen ſola ſæpe finium prolatio, tono nequaquam ſummoto, commutationem vocalium poſtulet. Etenim in verbis שְׁפָּטוּנִי & יְדָעֻהוּ, 1 *Dan.* XI, 38, יִשָּׂאוּם, 1 *Reg.* XIV, 28, & conſimilia verba poſtulant: & vocalium tamen commutatio facta nihilo minus. Sed hoc iam e ſuperioribus ſatis clarum fore ſperamus Lectoribus noſtris.

3. Illud etiam Grammaticis erat curioſe obſervandum, quod vocabula nonnulla vocalem penultimæ ſyllabæ ſubiiciant, cum penultima illa per *ἀναλογίαν* retinere deberet. Dicimus enim דֶּלֶת pro דֶּלֶהֶת, quod, excisa litera ה, דֶּלֶת gignere debebat. Cave, nobis hic obiicias, pauca eſſe vocabula, quæ penultimæ ſyllabæ, appoſita vocali quadam, conſultum velint, eamque ob cauſam a Grammaticis novi præcepti nihil confingendum fuiſſe. Nam, ne erres, maior eſt vocabulorum huius generis multitudo, quam primum quisquam ſuſpicetur. Etenim huc quodammodo pertinere videntur omnes infinitivi verborum פ״י & פ״נ, v. g.

g. רֶדֶת, לֶדֶת, גֶּשֶׁת. Fateor equidem, verba hæc, a fine creſcentia, tonum ſimul ſecum abſtrahere non videri, nec proinde neceſſitatem vocalis in (:) mutandæ incidere. Sed hæc ipſa vocalium permutatio ſatis oſtendit id, quod ſupra demonſtravi, diſtractionem toni non eſſe neceſſariam ad ſuſcipiendam vocalium permutationem. Nam בַּקָּשָׁה, & multa alia nomina, quamvis a fine augeantur, vocalem ſuam tamen non immutant, qua de re alias diſſerendi erit locus. Tantum nunc dicimus, quod ſupra iam annotare debueramus, cauſam mutandæ vocalis brevis in ſyllaba ſimplici idcirco in ablatum tonum conferri non poſſe, quod alioqui, reſtituto tono, ſyllaba ſimplex redire debeat. Etenim, ceſſante cauſa, ceſſat etiam effectus, ut ſermone tritum vult proverbium. Atqui non dicimus וַיָּקֶם, ſed וַיָּקָם.

4. Ipſa etiam vocalium permutatio ſæpe tam incerta eſt, & ab origine ſua tam diverſa, ut, niſi origo illa aliunde iam ſit cognita, in derivato vocabulo nulla coniici queat arte. Reperimus enim e. g. אָהֳלוֹ ex אֹהֶל, *1 Sam. XVII.54*, רָאשִׁים ex רֹאשׁ, עֲנָיִם ex עַיִן, יִקְטְלוּ ex יִקְטֹל, יִקְרָאוּ ex יִקְרָא, quod ultimum ו qui vocalem immutare poſſit, viderint ii, qui Maſoretharum auctoritatem ſacroſanctam habent. Iam igitur ſatis, puto, liquet, firmiora circumſpicienda eſſe fundamenta, quibus variatio punctorum ſuperſtruatur. Quæ res, ut difficilior eſt & moleſtior, ita perveſtigantibus glorioſior erit. Nunquam enim inventionibus laus ſua denegata fuit. Quæ mihi hac in re

videantur, breviter exponam: ſi qui forte ſint, qui ad ſuum ea commodum transferre aut velint, aut poſſint. Nocumento ſaltem non erunt, ſpero, etiamſi rem omnem haudquaquam conficiant.

α. Primum literarum naturam curioſius, quam adhuc factum eſt, perveſtigatam velim, ut e tenebris in lucem protracta curate & alacriter conſiderari queat. Sunt enim literæ quædam ad vocales ſuſtinendas paulo infirmiores; cum ceteræ tam validæ ſint & robuſtæ, ut nihil non ſuſtinere poſſe videantur. Maſoretharum quidem præcepta & uſum ſi ſequendum exiſtimes; non licebit dubitare, quin huic literarum diviſioni plurimum tribuas. Si enim quæſieris, cur pro שְׂאֵת ponendum ſit vel שֵׂאת, vel שְׂאת; in promtu erit reſponſio, literam א ægre ſuſtinere vocales, ægrius easdem ad pronuntiationem protrudere; ſed poſt literas, tanquam poſt principia quædam, commode latitare. Ecce מָאתַיִם pro מְאתַיִם, לִקְרַאת pro לִקְרַאת, חַטָּאת pro חַטַּאת, רֵאשִׁית pro רֵאשִׁית, לֵאלֹהִים pro לֶאֱלֹהִים, לֵאמֹר pro לֶאֱמֹר, לַאדֹנָי pro לַאֲדֹנָי, & multa alia. Hæc, quæ dixi, cum certa ſint de una iſta, quam appellavi, litera; minus iam a nobis diſſidendi locum reperirent ii, qui literam י multis in locis non multo firmiorem norunt eſſe, quam literam א, בָּתִּים pro בְּיָתִים, וַיִּשְׁרֵם pro וַיְיַשְּׁרֵם, לֵילוֹת, & alia, notiora, quam quæ hic ſine faſtidio proponantur. Litera ה vel exoleſcit, ubi facultas eius pronuntiandæ datur exigua, vel tenuiſſimas vocales adſciſcit, vel, ut audiatur, punctum, ſibi

ſibi præmiſſum, tollit. Hinc nata nobis ſunt גָּלִית, עָשָׂךְ, hinc גָּלְהּ pro גָּלָה, יִגְלֶה, hinc לַיהוָה לַיְהוָה. Litera ו ad vocales in mediis ſyllabis enuntiandas etiam infirmior eſt fere; quocirca קוּם mutandum fuit in קוֹמֵם, יָקִים in יָקֻם, הֲקִימוֹתִם in הֵקִים.

β. Gutturales contra ח & ע, ut ex interiore gutture, magnaque cum vi, repetuntur, ita vocales omnis generis non minus valide ſuſtinent, quam reliquæ literæ. Imo, vim ſuam ut bene declarent, quippe quam propter aeris e gutture manantis copiam diſſimulare non poſſunt, (:) nusquam pæne non fugant & abolent.

γ. Tertius locus cautionis eſt, ne literæ vocum, diverſa ſignificantium, iisdem inſigniantur vocalibus. Cuius rei tanta apud Hebræos eſt obſervatio, tantaque religio, ut omnis pæne vocalium permutationis in verbis hæc una cauſa fuiſſe videatur. Declarant hoc exempla, quæ hic pauca ponam: דִּרְשׁוּנִי, *quærite me*, & דְּרָשׁוּנִי, *quæſiverunt me*. Huius quidem præcepti tam late patet uſus, ut vitandæ ſimilitudinis cauſa multa vocabula literas quasdam vel retinerent, vel abiicerent, quas alioqui nec retinuiſſent, nec abieciſſent. Etenim quæ cauſa eſt, quæſo, cur דְּלָתוֹת dicamus, niſi confuſionem huius vocabuli cum infinitivo דְּלֹת fugiendam putaſſent Hebræi. Idem ſentiendum de שְׁקָתוֹת, de קְצָוֹת, etiamſi in ſtatu conſtructo קְצוֹת הָאָרֶץ reperiatur. Nam hoc quidem קְצוֹת ab infinitivo קְצוֹת facile diſcer-

çernitur, cum periculum non ſit, ne quis in eam opinionem veniat, de hac terra noſtra partem quandam, præſertim grandiorem, abs quoquam præcidi. Iam igitur etiam apertum eſt, cur אַיִל nobis dederit אֵילִם, *arietes;* cum literæ iſtius pluralis cum אַיָּלִים, *cervis*, nimis congruerent. Cur *2 Reg. XVIII, 16*, הָאוֹמְנוֹת reperimus? Nempe quædam quaſi neceſſitas erat illius vocabuli ab אוֹמְנוֹת ſecludendi. Sic diſcriminat Scriptura עַבְדֵיהֶם *Eſr. II, 65*, & עֲבָדֵיהֶם *Eccl. IX, 1.*

ð. Præterea obſervandum putem, Hebræos cavere, ne, voce vel a capite, vel a calce, creſcente, incondita quædam voci creſcenti accedat deformitas. Quam proinde vitandam putant per vocalium contractionem, ita, ut, quamvis ſyllabarum numerus & a calce, & a capite, creverit, numerum tamen ſyllabarum radicis nihil, aut parum admodum, ſuperet.

ε. Præſertim æquilibritas quædam ſyllabarum ſæpius eſt ſpectanda, quæ proinde correptas producit, productas corripit. Et, ne correptio in infinitum procedat, ſaltem proceſſura eſſe videatur, belle ab Hebræis proviſum eſt, ut vocales quædam immutabiles literas, vocalibus ſuis primitivis orbatas, vincirent & continerent. Ex hac admonitione דֶּלֶת, שֶׁקֶת, צֶאֶת, &c. Sægol capiunt pro Schua.

ϛ. Et, quoniam pronuntiatio extrema periodi cuiusque, vel enuntiationis, vocabula meditate ac

de-

decore inflectit & ſuſtinet, huic quoque rei ſerviendum fuit. Ac ſervitur quidem commodiſſime adſcitis vocalibus longis. Nam idcirco & longæ & breves inventæ ſunt, ut ad orationem gravem & meditatam vocalis longa, ad levem concitatam brevis, adhiberetur. Cuius conſiderantiæ Hebræorum in mutatione vocalium ſupra iam eſt iniecta mentio.

ζ. Quoniam item literæ quædam identidem abiiciuntur, ac proinde vocales quædam ſimul exauctorantur; defectus iſte ſigno quodam diligenter eſt annotandus. Lectorum enim, vel auditorum, intelligentiæ curioſe deſerviendum eſt, ne tenebræ quædam offundantur iis, qui lumen ſibi quoddam accendi volunt.

η. Vocalibus tono moto immutabilibus addendæ ſunt productæ ex duabus brevibus, v. g. צֵאתָם.

ϑ. Sæpius quoque, antequam vocalium mutatio ſuſcipiatur, intuendæ ſunt vocales. Nam, ſi una poſita fuerit pro altera, mutatio caute & diligenter inſtituenda eſt, v. g. in כַּרְמִלּוֹ ex כַּרְמֶל.

XVIII. Vocalis longa ſyllabæ compoſitæ, quamvis tonum retineat, tamen interdum immutatur, v. g. in גְּמָלַתּוּ, *1 Sam. I, 24*, unde cognoſcitur, quemadmodum regula interpretanda ſit. De reliquo vocalis brevis ſyllabæ compoſitæ in ſimplicem commutatæ præſidium mutationis in vocalem longam habet ex *ſ. XVII*, & oſtendit rationem quarundam commutationum, *ſ. XXII*, v. g. תְּרַבְּקֵנִי.

XIX. Præter deficientia nomina & verba ex geminantibus literam radicis alteram, quæ adaucta calce Dageſch poſtulant, etiam reliqua nomina, literam quandam penultimam deſiderantia, hoc ius ſibi vindicant. V. g. ex אַף fit אַפַּיִם, ex בַּת, *filia*, fit בִּתִּי *1 Sam. XVIII, 17*, לְתִתָּהּ, *dari eam*, *Ezech. XLVII, 14.*

XX. Dageſch forte adſciſcitur etiam ob alias cauſas, & tum longa quoque vocalis immutatur, v. g. גְּמַלְתּוֹ.

XXI. ו tertiæ a tono ſyllabæ, quod penacutum antea fuerat, interdum inviolate ſervatur, v. g. in לְאַחֲלָיִן *1 Sam. IV, 10*, *2 Sam. XIX, 9*, *XX, 1, 22*, *1 Reg. XII, 16*, *Iud. XIX, 9.* Etiam ſub litera dageſchanda poſt eliſam literam ב manet, v. g. in מַכְּרֵיכֶם.

XXII. Ad participia Niphal mutantia poſt incrementum adde נִדָּחוֹ, *2 Sam. XIV, 13.* Nec obliviſcendum hic לְבַבְכֶם, *1 Sam. VI, 6*, & ſimilia, quæ a Grammaticis quibusdam alium in locum addita ſunt præter neceſſitatem.

2. Tſere penultimum non mutatur in יֹאחֲזוּן, *Ieſa. XIII, 8*; mutatur contra in שׁמְמוֹת, *Ieſ. LXI, 4*, qui tamen locus dubius reddi poteſt; צֵאתָם, *1 Sam. XVIII, 30*, conſiderationem etiam hic merebatur.

3. ו nominis קָטֹן *1 Reg. XII, 10*, in קָטָנִּי. Sed hoc aliunde notum eſt. Sed ו verborum infinitivi ex ל״ה nequaquam mutatur, v. g. כַּבְּלֹתוֹ, *1 Sam.*

1 Sam. XVIII, 1, 2 Sam. XIII, 36, כְּרְאֹתוֹ, *2 Sam. XXIV, 17.* Adde *Pſalm. XCII, 11.*

4. Etiam in duali דְּלָתַיִם *Malach. I, 10,* pro Sægol eſt Kamez. Sed כַּרְמִלּוֹ *Ieſ. X, 18,* eſt proprie ex כַּרְמֶל, nec huc referre licet.

XXIII. אַרְצָה dicimus, non אֶרְצָה. Ergo regula recte eſt interpretanda. Et הָאֹהֱלָה *Ioſ. VII, 22.*

XXIV. Quoniam Chirek parvum ex Schuaim factum in N. T. nominibus Εμμανουήλ, Εφφαθά, &c. per ε exprimitur; repetenda hic ſunt, quæ ſupra diximus. Ceterum pro י ex ־ factum corripitur in Chirek parvum *Ieſ. X, 17,* שִׁיתוֹ, *veprem eius,* ſicut עִירֹה pro עִירוֹ, *pullum ſuum, Gen. XLIX, 11.* Ac regulæ de commutatione vocalium cum Schevaim ſunt pro fundamento *§. XXV* ducendæ.

XXV. Chateph Sægol pro Schva mobili eſt in Chald. הֱוִי, *Dan. XI, 4,* & in Hebraico חֱיֵה, unde natum eſt וֶחְיֵה, *& vive, Gen. XX, 7.*

II. Quod de futuris verborum, quorum prima, vel ſecunda, radicalis ſchuanda eſt, Chateph Patagh præoptantibus dicitur, idem de imperativis quoque & nominibus quibusdam dicendum eſt, v. g. רַחֲצוּ *Gen. XIX, 2,* שַׁאֲלוּ, *pete, 1 Reg. II, 20, 22.* Sed יֶהֱבְּלוּ *2 Reg. XVII. 15.* In Niphal reperitur נַעֲוַת *1 Sam. XX, 30.* In infinitivo Hiphil habemus הֶחֱזִיקִי *Ierem. XXXI, 32,* & in Kal וַיַּאַסְפוּ *1 Sam. V, 8.* בְּהֶמַת ex בְּהֵמָה

בְּחֶמְאָה natum huc itidem pertinet, &, cauſam adſciti Sægol ex §. XXIV repetendam eſſe, docet.

XXVI. Vocales inter ſe varie commutantur, non modo propter ſoni ſuavitatem, ſed propter ſignificationis diſtinctionem etiam. Sed לִתֵּתָן 1 Reg. VI, 19, in utramque partem trahi poteſt. De reliquo infinita pæne eſt vocalium commutandarum licentia, quæ in animadverſionum noſtrarum anguſtia digne commemorari nequit. Sic יִפֵּס habes 2 Sam. XIX, 25, קָם Ioſ. VII, 10, 13, & לֶחֶם quidem nunquam amat commutationem vocalis Patagh, contra, quoties vel unum, vel duplex, Sægol, præſertim Syncope ingruente, periclitatur, toties fere Patagh adſciſcitur, v. g. לֶדֶת pro לְלֶדֶת, אַף pro אֶנֶף, בַּת pro בֶּנֶת, פֶּשֶׁת pro מִשְׁרַחַת, 1 Reg. I, 15. Exempla plura ſubiunxi Diſſertationi meæ de Io. XVI, 14, pag. 47.

XXVII. De mutatione vocalium, quam accentus domini efficiant, & de retrahendo tono, qui iisdem affingitur, ſupra iam §. XVI dictum eſt. Hic adiicimus pauca הֶחֱסֶר, Pſal. CXXX, 7, וְנִקְלֶה׃, 1 Sam. XVIII, 23, בַּמֶּלֶךְ, 1 Sam. VIII, 26, 2 Sam. XIV, 22, XV, 15, 18, XVI, 4, 9, XVIII, 13, מִגְבָּר׃, non mutant Sægol in Pauſa. הִנֵּנִי׃ tali tempore Tſere ſuum revocat, Exod. III, 4. Poſſit huc etiam referri, Schua, quod præcedit paragogicam literam ה ſed ea res pertinet ad §. XXXIX, v. g. נִכְרָעָה, Pſalm. XCV, 6.

XXVIII. In nominibus plura eſſe conſideranda, quam quæ vulgo traduntur, in Grammatica Latina

tina monuimus, unde, quæ huc pertineant, facile repeti poſſunt. Ipſa autem linguæ Hebraicæ ratio attendentibus declarat, nominum conſiderationem explanationi verborum ſubiiciendam eſſe, non præponendam. Etenim varietas nominum per ſe docet, a verbis illa proficiſci, & verborum naturam multo eſſe ſimpliciorem, quam illam nominum. Atqui ſimplicia & levidenſia prius noſcitari debent, quam compoſita expolita, ornatiora, mirifice variata.

XXIX. In formis nominum rite cognoſcendis & diſcernendis genus etiam ſpectandum mihi videtur ante omnia. Nam שָׁנָה, cum & maſculinum ſit & fœmininum, alias ex forma דָּבָר, alias ex forma כִּבְשָׂה depromtum videtur. דָּוִיד quam ſimillimum eſt nomini קָצִיר, & naturam nominum ex verbis ſecunda quieſcentibus illuſtrat.

In formis nominum auctorum non tam deſiderantur formæ מְגִדּוֹן, שְׁלֹמֹת, פְּרָתָה, quam truncatæ putantur. Minus recte fortaſſis. בִּלְתִּי debetur formæ דֶּלֶת cum י Paragog. Si אֲמִתַּי *Ion. I, 1*, & אֲבִישַׁי *2 Sam. XXIII, 18*, ad קִשְׁלִי adſcribere voles, licebit. יוֹנָתָן, יְהוֹנָתָן *1 Sam. XVIII, 1*, יְהוֹשָׁפָט *1 Reg. XXII, 2*, referri poſſunt ad יָקְטָן. Unde cognoſcere eſt in proclivi, quorſum יְחוֹרָה referendum ſit. Formæ מַלְבּוּשׁ attribues, ſis, מַדּוּעַ, *quare*, coll. *§. LXIV Obſ. 3, β.* מֵרַב *1 Sam. XVIII, 19*, formæ מִשְׁפָּט aſſignari

Præterea tenendum eſt, rectionem nominum per vocalium commutationem non indicari, ſi commutatio illa vel ambiguitatem, vel obſcuritatem, ſermoni afferat, v. c. כִּכְּרַיִם. *1 Reg. XVI, 24*, quod extra ſtatum conſtructum eſt, כִּכָּרַיִם, *duo talenta*, אַלְפַּיִם סוּסִים, *duo millia equorum*, *2 Reg. XVIII, 23*, מָאתַיִם לֶחֶם, *ducenti panes*, *1 Sam. XV, 18*, סְאִים קָלִי, *ſata toſti*, *1 Sam. XXV, 18*. Rationem huius obſervationis ex *§. XVII* depromе.

XXXV. Pronomina quædam, v. g. אֲנִי & אַתְּ, non concoquunt particulas, caſuum indices. Neque pronomina quædam ſeparata dicuntur, quod nulli nomini adiungantur ut comites, ſed quod cum nominibus non coaleſcant tanquam partes. Raro quidem fit, ut locum ſuum per ſe & ſine nominis comitatu obtineant, niſi forte particulæ הֲלֹא *annon*, הִנֵּה, & ſimiles, acceſſerint. De qua re rectius in Syntaxi admonent Grammatici.

XXXVI. אָנֹכִי multis videtur literam כ cum ח commutaſſe paulo ſerius, ut Grammatici extremæ ſyllabæ verborum præteriti temporis primæ perſonæ facilius reddere poſſent rationem. Antiquitus enim eandem floruiſſe ſuſpicantur pronominis אֲנַחְנוּ & אָנֹחִי ſcripturam. Omnino crebra quondam fuit literæ ח & כ permutatio. Id quod etiam nos hoc ipſo libello demonſtravimus. אני autem & אנכי hoc fere differre videntur, quod apud Græcos ἐγὼ & ἔγωγε. Hanc enim ſuſpicionem iniicit nobis varietas toni, quæ

in

in vocabulo אֲנֹכִי item ut in אַתְּ crebro animadvertitur.

XXXVII. Quæ de variato pronominis מַה & מֶה uſu monuerunt Grammatici quidam, ea ſunt ſatis diligenter obſervata. Invenimus enim *1 Sam. XX, 1,* מֶה־עֲוֺנִי, *Exod. XII, 26,* מָה הָעֲבֹדָה, *Ioſ. IV, 6, 21, 1 Sam. VI, 4,* מֶה קוֹל *1 Sam. IV, 14, XV, 14.* Ergo attendendum ad regulam.

XXXVIII. הוּא ſonum olim habuiſſe videtur clariorem. Nam ab eo profectum creditur Græcum *ἀυτὸς*, unde Latinum *ipſe* natum opinantur. Difficilius certe ab litera ה ſonus paulo clarior inter pronuntiandum ſeparatur. Ad hanc conie- cturam deducit nos ſonus literæ ה, nominibus & pronominibus præfixæ.

XXXIX. Suffixum ָה ֶ putatur tantummodo verbis vocali terminatis adſcribi; ſed pluribus annectitur, v. c. יִשְׂנָאֶהָ, *odiſſe cœpit eam, 2 Sam. XIII, 15,* אֲהֵבָהּ, *quam amavit, 2 Sam. XIII, 1.* Aliæ vero vocales Sægol ex ָה ֶ reſpuunt. Qua de re paulo poſt. עוֹדָךְ, *adhuc tu f. 1 Reg. I, 14,* habes eodem modo ſcriptum, uti לָךְ, *Eſth. V, 3, tibi f.* Sic הִנָּךְ, *ecce tu f. Gen. XVI, 11,* הוֹרַדְתֵּנוּ *Ioſ. II, 18, demiſiſti f. nos,* ponitur pro הוֹרַדְתִּנוּ. Unde ſimul manifeſtum eſt, pro Chirek parvo alternis poni poſſe Tſere. Imo הִשְׁבַּעְתָּנוּ, *iureiurando nos adſtrinxiſti f.* ſcriptum eſt *Ioſ. II, 20,* pro הִשְׁבַּעְתִּנוּ, ſed in pauſa. Neque vero ſola verba in vocalem deſinentia repellunt puncta ſuf-

multumque nequicquam deſudant. Nam aliis libris, quibus iſtæ explicantur, plerique deſtituuntur.

XLIII. Quæ modo monuimus, eadem ad verba, quæ perfectam formam tuentur, quanquam literas habeant commutationi obnoxias, transferri commode poſſunt. Nam etiam לִקְחִי, *affer f. 1 Reg. XVII, 11*, reperiri, ſicut קַח & קְחִי, & alia multa, uno loco conſignata cernere tironibus, nec iniucundum, nec inutile, foret.

XLIV. Præter verbum לקח etiam לְתַע in Niphal gignit נִתָּעוּ *Iob. IV, 10*, & יָתַע Hebraicum nonnunquam verba פ״נ imitatum eſſe, מַדּוּעַ indicat, & מַסַּד *1 Reg. VII, 9*, ex יָסַד, *fundavit.*

XLV. In futuro Peal pro Kübbuz retrahendo eſt Cholem, v. g. תֵּרֹעַ, *confringet, Dan. II, 40.*

XLVI. לְרֹא, *timere, 1 Sam. XVIII, 29*, ut per ſe manifeſtum eſt, extremitati ה non adiicit. וַיִּיָּחֵל, *& exſpectavit*, item יִיָּרֶה, *proiicietur, Exod. XIX, 13*, retinent י in Niphal præter morem. Et, cum multa nomina ex verbis פ״י formentur, prudentiæ putabimus eſſe, ut omnia circumſpiciamus, ne forte labamur. Periclitandæ vires in יִרְאָה, *metus.*

XLVII. Schurek pro Cholem in verbis ע״ו adhiberi, non debet nobis mirabile videri, qui meminimus, in libro Ruthæ Schurek ſæpius locum vocalis Cholem explere. הֲמִיתִיו, *occidi eum, 1 Sam. XVII, 35*, annotatione dignum videtur.

XLVIII. De Sægol extremæ ſyllabæ verborum

rum futuri temporis ſic habeto, natum id eſſe idcirco, ut diſcrimen verborum ל״ה & ל״א facilius noſcitaretur.

XLIX. Satis valent Grammaticorum præcepta de verbis ל״א, ſi modo צֵא *1 Reg. II, 30*, & יֵצֵא *1 Sam. XVII, 13*, ſatis meminerint; nam in his Tſere ex verbis פ״י præponderat. תָּבֹאנָה, *vult etiam memorari*, *1 Reg. III, 16*; item מְלוֹאת, *cum implentur*, *Levit. VIII, 33*, קְרֹאת, *ut vocaretis*, *Iud. VIII, 1*, שְׂנֹאת *Prov. VIII, 13*, *odiſſe*, מַלֹּאת, *ut ſculptura emineat*, *Exod. XXXI, 5*, ſequi videntur verba ל״ה.

L. מֵיהוָה exſtat *1 Sam. XXVI, 10*, *Gen. XXIV, 50*, *1 Reg. II, 15*, *Ier. LI, 5*.

De verbis tertia radicali quieſcente tonum ex penultima in ultimam non deiicientibus, etiamſi ו conversivum præteriti acceſſerit, meditate Grammatici monuerunt. Nam reperitur etiam וְהִכֵּיתָה *2 Reg. IX, 7*. Nos vero nec verborum quieſcentium ſecundæ, aut tertiæ, pluralis præteriti Hiphil obliviſcemur, quæ tonum ex penultima in ultimam non magis protrudunt, וְשָׁבוּ *1 Reg. VIII, 48*, וְקָמַח, *& florebit*, *1 Sam. XXIV, 21*, וְנִסְּתָה *2 Reg. IX, 3*, וְהִכְרִיתוּ *Ioſ. VII, 9*.

ו converſivum futuri ex ultima in penultimam ſimplicem coniugationis Niphal non facile retorquet tonum, v. g. וַיִּוָּעַץ *1 Reg. XII, 6*. Sic reperitur ſemper יָבֵא, יָבֹא, &c.

LI. E figuris autem quibusdam in Grammati-

 cis

cis deſiderantur *Synæreſis*, *Antiſtoecbon*, ſeu *Antitheſis*.

Metatheſis eſt artificioſa quædam & elegans a communi ſermonis conſuetudine declinatio in iungendis literis. In Hithpael literæ ſibilæ transponuntur, cum ceteræ literæ priſca & debita in ſede remaneant. Inſigni huic traiiciendarum literarum mori adiunctum velint Grammatici quidam vocalium traiectionem. Notiſſimum eſt enim, certis temporibus לָךְ dici pro לְךָ, בֵּאֲרָךְ, *decus tuum*, pro בֵּאֲרֵךְ *Ieſ. LV,5*, עֲנָךְ *Ier. XXIII,27.* De accentuum traiectione etiam quædam admoneri potuerint, ſi figuram hanc expletam volueris.

Per *Synæreſin* conſonæ, vel vocales, coaleſcunt, cum ſingulæ ſeparatim poni poſſent. Sic Hebræi ſcribunt תִּתָּם, *integer es*, *Pſalm. XVIII,26*, וְהֵמַתָּה *1 Sam. XV,3*, & *occides*, & תִּתַּבָּר *2 Sam. XXII,27*, תֵּעָגֵנָה, *morabimini*, *Ruth. I,13*. Datur autem etiam compreſſio duarum vocalium, ut una exiſtat. Nam pro שְׂאֵת dicitur vel שְׂאֵת, vel שֵׂאת, צֵאת, pro לֶאֱלֹהִים dicimus לֵאלֹהִים, pro לֶאֱמוֹר eſt לֵאמוֹר. Poſſit huc etiam יְרוּשָׁלֵם pro יְרוּשָׁלַיִם utcunque trahi.

Antiſtoecbon ſubſtituit literam in locum literæ, v. g. נִצְטַדָּק, *Gen. XLIV,16*, *purgabimus nos tibi*, dicitur pro נִצְתַּדָּק, הִזְדַּמִּנְתּוּן pro הִזְתַּמִּנְתּוּן, בְּקָשְׁתְּכֶם pro בְּקָשְׁרְכֶם חֲרָגְתְּכֶם, pro חֲרָנְדְּכֶם, אִמְרָתִי pro אִמְרָהִי, מִלְּתוֹ pro מִלְּהוֹ, עֵשָׂו, *Eſavus*, ex עָשָׂה, עֶרְיָה, *retectio*, עֶרְוָה, *nuditas*, & talia innumera, ſunt Antitheſeos

ſeos munuſcula. Vocalium autem permutatio tam crebra & tam copioſa eſt, ut omnes pæne loci Scripturarum ſacrarum ea perſonent. Multa quidem præcepta, in alieniſſimum locum coniecta, commodiorem ſub Antitheſi reperirent ſedem. Cum enim antitheſis Grammaticorum declaret variandæ orationis ſtudium, quod in permutandis vocalibus inprimis exſplendeſcit, apertum eſt certe, ad figuram *Antitheſin* omnem illam vocalium commutationem pertinere. Ab hoc *Antitheſeos* genere diligenter ſecretum velim illud, quod vocales pro conſonantibus ſubſtituit, e. g. צַמְתֻנִי, תְּחַשְׁבֻנִי *Zach. VII, 5, Iob. XIX, 15.*

LII. Ad Proſtheſin referenda videtur litera ל perſonæ tertiæ maſc. futuri præpoſita in verbo הוה Chaldaico. Quæ eadem litera י, quod ſubſequi debebat, extruſiſſe videtur. Exempla multa ſuppeditabit *Daniel.*

LIII. In *Epentheſi* commemorari poterunt etiam עִפְּרִי, & alia quædam, v. c. הִשְׁתַּחֲוָה, *incurvavit ſeſe*, & כִּמְטַחֲוֵי, *ſicut iaculantes, Gen. XXI, 16.* Ad vocalium commutationem, quæ in Epentheſi memorabilis eſt, (ſi quosdam ſequaris Grammaticos,) inſigne eſt fortaſſis verbum תְּדַכְּאוּנַנִי, *attercretis me, Iob. XIX, 2.* Syllaba מוֹ in כְּמוֹךָ etiam ad Epentheſin reſcribenda videtur, ut כ in בָּשְׁנָה *Hoſ. X, 6,* & שִׁבְעָנָה, *ſeptem, Iob. XLII, 13.*

LIV. ה Paragogicum interdum Sægol habet ſibi præpoſitum, v. c. וָאֶקְרָאֶה, *& vocavi, 1 Sam. XXVIII,*

XXVIII, 15. Huc item נ trahi poterit ex לְתִתֵּן, *ad ponendum, 1 Reg. VI, 19.*

LV. ▭ד ex ▭אר profectum eſſe negant aliqui, cum aliæ ſuperſint radices, unde id ductum videri queat. י & נ in verbis & nominibus, quorum ex literæ primæ radicales ſunt, *Aphæreſi* detrimentum ſuum debent, v. g. תֵּן, תֵּת, *da, dare,* רֶדֶת, *deſcendere,* צֵאת, *egredi,* &c. חַשְׁמַל, *æs igne fervidum,* quia ex מלל & נְחשֶׁת conflatum videtur, etiam exemplum *Aphæreſeos* præbet. Vid. *Monumenta* noſtra *ingeniorum T. IV Monum. XXXIV pag. 281.*

LVI. *Syncope* א etiam excidit e verbo אֲחַטֶּנָּה, *ſatisfaciebam tibi pro ea, Gen. V, 39,* מַכֹּלֶת, *alimentum, 1 Reg. V, 25.* Nec י illud ſolum, quod in Tſere quieſcit, ſed etiam alterum, quod in Chirek quieſcere ſolet, interdum excidituг, v. g. in וַיִּשַׁר, pro וַיִּישַׁר, *1 Sam. XVIII, 26.* Neque quidquam impedit, quo minus ה ante ſuffixa abſorbendum ad Syncopen referatur, ut אֶעֱשְׂךָ, הִנְנִי, *faciam tibi, Ezech. XXXVIII, 6,* וּבִעֲתַתּוּ, *& conturbavit eum, 1 Sam. XVI, 14.* שְׁזָפַתּוּ, *intuitus eſt eum, Iob. XX, 9,* & alia multa. Et ה præformativi Hiphil v. c. in וְדִיגוּ▭, *& piſcabuntur eos, Ierem. XVI, 16.* His adiunxeris nomina, literas quasdam deſiderantia, מַתַּת, *Cohel. III, 3,* שְׁתַּי▭, alia. Item ל ſchvandum verbi לקח, &c. & י eorum verborum, quæ verba פ"נ imitantur. וַיַּךְ, *& percuſſit,* Patagh retinet, nec in Sægol mutat. Similiter וַיַּעַל propter cauſas ſatis notas.

LVII.

LVII. *Apocope*, ut ex meditata Grammaticorum oratione liquet, futuris verborum ל״ה literam extremam varie demit. Sic יִצֶף, *diſpiciat*, *Gen. XXXI, 49.* יְהִי, *& ſit*, in optationibus, alibi etiam in præcipiendo & iubendo. אַב, עוֹר, עַר, בִּין, & ſimilis formæ nomina, *Apocopæ* etiam ſunt luculenti teſtes. וַיֵּט, *& declinavit*, *Numer. XX, 21*, abiicit Scheva, ut tali tempore ſolet.

LVIII. Figuris Hebræorum grammaticis annumerandæ ſunt etiam *Chaldaiſmi*, *Neoteriſmi*, *Archaiſmi*, *Idiotiſmi*, *Enallage*, *Antimeria*.

De Barbariſmis, quos impietas hominum confingere auſa eſt, diſputabitur alias, cum etiam de Chaldaiſmis & ceteris figuris agetur diligentius.

LIX. Reliquum eſt, ut de figuris quibusdam Syntacticis pauca addamus.

Craſis enim Scriptoribus Hebræis etiam uſitata eſt. Quod quidem eo minus mirari nobis licet, quod gentes orienti ſoli ſubiectæ ferventiore cœlo utuntur, & idcirco volubiliorem linguam habent. Duplicis autem generis conſtitui poteſt *Craſis* Hebraica. Una eſt, quæ nulla inſignitur nota, ſed lectorum relinquitur iudicio. Quorſum equidem illud *Moſis*, *Exod. IV*, 2, מַזֶּה, retulerim. Nam per ſe quisque intelligit, vocabula hic duo coaluiſſe, quæ alibi ſeparatim & integre ponuntur. Altera eſt, quam potiore iure Maſorethis tribuendam putaverint aliqui literati. Quid enim aliud ſibi vult tritiſſima illa nota, quam

Mak-

Makkeph appellant Grammatici? Copulat enim vocabula quædam ita, ut, ſi non re, at ſono & linguæ volubilitate, unum videri poſſint. Saltem connubium iſtud vocabulorum (ad *Hyphen* commode referre poſſis, ſi ad *Craſin* Makkeph illud referre nolis.

LX. De ceteris figuris, quarum magna eſt copia, agemus, ſi Deo videbitur, alias.

IV.

IO. GEORGII SCHELHORNII,

ECCLESIAST., ET BIBLIOTH. MEMMINGENS.

SINGVLARIA DE LIBRIS QVIBVSDAM.

Summa.

1. *De Daphnai Arcuarii Apologia pro Polygamia.* II. *Singularia de libro quodam aſcetico Hungarico.* III. *De Stanislai Hoſii Iudicio & cenſura de iudicio & cenſura Heidelbergenſium Tigurinorumque miniſtrorum.* IV. *Singularia fata libri cuiusdam, hiſtoriam Sfortiorum Principum complexi.* V. *Memorabilia quædam de Card. Pallavicini Hiſtoria Concilii Tridentini.* VI. *De Stephani ex Notis opere remisſionis a pœna & culpa.* VII. *De Ioſ. Scaligeri Carminibus, noctu in lectulo ſine lucerna factis.* VIII. *De Iulij Cæſ. Scaligeri Exercitationibus in Cardanum de ſubtilitate.* IX. *Baronii Annales ſomnio cuidam natales ſuos debent. Tomi eorum XI fata ſiniſtra, ac Baronii ad Philippum III, Hiſp. Reg. Epiſtola.* X. *De Odorici Raynaldi Annalium Eccleſ. Tomo nono, eoque poſthumo.*

I.

Cum *Carolus Ludovicus*, Elector quondam Palatinus, *Louiſa*, ex illuſtri *Degenfeldiorum*

Ba-

Baronum ſtirpe prognatæ, amore captus, eam coniugali forma ſibi deſponſatam in thori ſocietatem accepiſſet, viva adhuc legitima uxore *Charlotta*, ex Sereniſſima Landgraviorum Haſſo-Caſſelanorum gente orta, non defuit, qui, perſonato licet nomine, & cauſa iſthac plane ſilentio tecta, huiusmodi connubiorum patrocinium ſcripto publice edito ſuſciperet. Prodiit nempe A. 1679 in forma quadrifariam complicata ſine mentione loci liber, hoc titulo inſignitus: *Kurze, doch unpartheyiſch-und gewiſſenhaffte, Betrachtung deſs in dem Natur-und Gœttlichen Recht gegründeten heiligen Ehſtandes, in welcher die ſeither ſtrittige Fragen vom Ehbruch, der Ehſcheidung, und ſonderlich von dem vielen Weiber-nehmen, mit allem beyderſeits gegebenen Beweisthumb, dem Chriſtlichen Leſer vorgeſtellet werden, durch* DAPHNÆUM ARCUARIUM. Hoc ſub nomine adſcititio delitescere voluiſſe *Laurentium Begerum*, Bibliothecæ Palatinæ eo tempore præfectum, prænomine ſcilicet Latino in Græcum, & cognomine Germanico in Latinum, transmutato, res hodie pervulgata eſt. Prorſus vero ſingularia ſunt, quæ de huius libri hiſtoria in Commentariis ſuis literariis (a) primus prodidit *Carolus Ancillonius*. Nimirum ipſe Sereniſſimus Elector, qui inter eruditos Principes locum non poſtremum obtinuit, e Bibliotheca ſua inſtructiſſima omni ſtudio undecunque ea collegit, quæ ad probandam polygamiam facere

(a) *Memoires concernant les vies & les ouvrages de pluſieurs modernes celebres dans la Rep. des lettres par* Ancillon *p. 437 ſeq.*

re ipſi videbantur. Hanc autem farraginem *Begero* in ordinem redigendam, varieque exornandam, dedit, qui, Principis ſui nutibus morem gerens, librum illum compoſuit, ac, re ſecretiſſime habita, typis clanculum excudendum curavit, cuius deinde ſingula exempla Elector in arcem ſuam transportari, ac non pauca eorum, faſciculis incluſa, ad celebriores bibliopolas tecto nomine & loco, unde ad harum rerum plane ignaros pervenirent illa munuſcula, mitti iuſſit. Hac itaque ratione in lucem prodiit liber, ut nemo, cuinam is acceptus eſſet ferendus, diu ſatis noſſet. Mortuo autem A. 1680 Electore, filius ac ſucceſſor eius, *Carolus*, cuius in offenſam hac opera, Parenti præſtita, *Begerus* incurrerat, ipſum, quem ſolum libri auctorem eſſe arbitrabatur, propterea graviter reprehendit; cui vero non deerant ſuæ cauſæ præſidia, quibus culpam a ſe omnem in ipſum defunctum Electorem, cuius ſtudio cuncta operis argumenta collecta, eiusdemque imperio in ordinem tantum a ſe redacta fuerint, dimovere contendit, atque ita in gratiam receptus eſt, hac tamen lege, ut ipſe placita, illo libro defenſa, alio opere ſtudioſe & ſolide refelleret. Promiſit id non tantum *Begerus*, ſed reapſe etiam præſtitit, ſuamque refutationem Electori *Carolo* obtulit, ut eam vel publicæ luci exponendam curaret, vel illa, utcunque ipſi collibitum fuerit, uteretur. Sed, non evulgatam eſſe illam, ut antidoti loco inſervire adverſus ea poſſet, quæ in altero illo libro ſpecioſe pro polygamia tuenda congeſta ſunt, dolendum eſt. Inter alias enim ſchedas coniecta

poſt

poſt Electoris obitum in manus cuiusdam militum præfecti incidit, penes quem cum aliquando miniſter quidam aulæ Palatinæ eam conſpiceret, ac, *Begeriani* ingenii fœtum eſſe, animadverteret, facile illi perſuaſit, ut auctori ſuo eam confutationem redderet. Sed neque ipſe *Begerus* iſtam deinde in lucem emiſit, neque poſt ſuprema eius fata vidua permoveri potuit, ut eam publici iuris faceret. Hac occaſione, veluti in transcurſu, meminiſſe liceat alius libri rarioris, in pari fere cauſa Seculo XVI, cum magnus quidam Germaniæ Princeps, viva adhuc legitima coniuge, nec tamen repudiata, virginem quandam nobilem ſibi clam deſponſandam curaviſſet, hoc titulo in 4 editi: *Dialogus, das iſt, ein freundlich Geſpræch zweyer Perſonen, davon, ob es gœttlichen, natürlichen, kayſerlichen, und geiſtlichen, Rechte gemeſſe, oder entgegen, ſey, mehr dann ein Eheweib zugleich zu haben, und, wo iemand zu dieſer Zeit ſolches fürnehme, ob er als ein Unchriſt zu verwerffen und zu verdammen ſey, oder nicht.* In fine huius libri, viginti quatuor philyris conſtante, additum: *Geſchrieben auf Sonntag Lætare Anno 1541, durch Huldrichum Neobulum.* Quæ fuerit *Lutheri* de hoc Dialogo ſententia, noſſe cupidi in B. *Seckendorffii Hiſtoria Lutheraniſmi* (b) perſpicient. Quis autem ficto hoc nomine eum divulgaverit, ego iuxta cum ignariſſimis ſcio. *Placcius* certe in ſuo *Pſeudonymorum theatro*, & Clar. *Io. Chriſtoph. Mylius* in ſua *Anonymorum & Pſeudonymorum Bibliotheca, Hul-*

(b) *Lib. III §. LXXIX f.* 281.

Huldrici huius *Neobuli* plane non meminerunt. Quodſi autem verum eſſet, celeberrimum quondam Academiæ Marpurgenſis Anteceſſorem, *Ioannem Oldendorpium*, illo tempore uxori viventi aliam ſuperinduxiſſe, uti perſonatus *Athanaſius Vincentius*, ſive potius *Io. Lyſerus*, qua fide, neſcio, perhibet (c), huic eum tribuendum eſſe, facilè ſuſpicarer.

II. Haud ita pridem nactus ſum librum Hungaricum, hunc titulum in fronte gerentem: I. N. I. BOLDOG HALAL SZEKERE. *Mellyet, Az Idvöſſéges halált Kivánó Embereck Kedvéjert, Maga Azur* JESUS *elkéſzitet, és az Hallánack Elöl Járó Követivel Skéſérö ſeregi vel edgyiit az ö Jrásábul öſzve ſzedegetet, Eö Fölsége leg utolsóbb Szolgácskája* AACHS MIHALY. ARGENTORATUMBAN. *Nyomtattatot ſpoor* FRIDERICUS IANOS *Altal.* 1702. in 12. De hoc, artem beate moriendi docente, ſingularia prorſus & cognitu non iniucunda ſunt, quæ in ſuo Hungariæ literatæ ſpecimine (d) his verbis commemoravit *David Czwittingerus*, Nubilis Hungarus: *Ille libellus ſuperioribus annis fatum ſubiit prorſus admirandum, neque ſilentio hic penitus involvendum. Accidit nempe ſub initium belli ſuperiorum annorum Gallico-Bavarico-Cæſarei, ut Galli per Bavariam Auſtriamque in Hungariam usque armis ſuis, juxta in-*

(c) in *Notis ad Theophili Alethei*, quod nominis idem *Lyſerus* ſibi quoque impoſuit, *Diſcurſum politicum de Polygamia p.* 556 edit. Londin. Scan. uti titulus quidem fert, A. MDCLXXXII.

(d) *pag.* 14 *ſeq.*

intentionem quidem ſuam, viam parare affectantes, atque cum ſic dictis Male-contentis ſocietatem inire vane præſumentes, de animis eorum variis artibus & blanditiis, ceu familiare Gallis alias etiam id eſſe ſolet, & proprium quaſi ipſorum in quarto modo, illaqueandis, capiendis, & in partes ſuas pertrahendis, quam maxime ſoliciti fuerint. Huic igitur fini obtinendo haud efficacius ſupereſſe medium putarunt, quam libellum paulo ante commemoratum in Hungaria divulgare, interque incolas & milites illius diſtribuere; quapropter eundem ſuis ſumtibus haud exigua in copia Argentinæ recudi, & denuo imprimi, curantes, in futuros futuro tempore uſus aſſervarunt. Unde poſtea factum eſt, ut in prælio illo poſterorum memoria digniſſimo, ad Hæchſtadium in Suevia prope Danubium A. 1704 acerrime commiſſo, in cæſorum plurium gregariorum æque militum, ac nobiliorum Officialium Gallicorum, ſaccis, peris, ſarcinisque, is repertus, primo quidem ob peregrinæ linguæ typos aliqualem pepererit admirationem, deinceps vero ob rumorem finis per tale medium in Hungaria conſequendi, longe lateque diſperſum, malitioſam Gallorum vafritiam manifeſtarit. Sane mihimet ipſi, A. 1705 Argentorati aliquamdiu commoranti, a viro quopiam fide digno relatum, & deinceps etiam a centurione quodam Gallico, ex prælio illo in captivitate, Reitlingæ, Sueviæ urbe, detento, pluribus adductis circumſtantiis expoſitum eſt, libellum eundem ea præcipue de cauſa, a quampluribus militibus Gallicis fuiſſe aſſumtum, & in ſarcinis ſuis reconditum, ut faviturа ſibi iuxta propoſitum in Hungaria fortuna,

na, eodem in vulgus edito, tanquam illicio aliquo ineſcati Hungari, certiorem de Gallica opitulatione ſpem conciperent, atque ſic non opinantes in naſſam Gallicam inciderent. Sed, uti, validiſſimo & prorſus inſperato ſupremi Numinis auxilio intercedente, hæ aliæque Gallorum ſubdolæ machinationes, in fumum abeuntes, evanuerunt, ita ominoſum potius hunc libellum iisdem quis dixerit fuiſſe, atque mortes tot millium Gallorum, dicto in prælio oppetitas, non tantum portendiſſe, ſed etiam titulo libri edoctos, artem moriendi, non quidem ſine ignominia, ac vana ſpei deluſione, exercuiſſe. Meum exemplum eo mihi eſt gratius, quod illud ipſum ad nos poſt prælium Hochſtadienſe attulerit, ac apud hoſpitem ſuum reliquerit, miles Gallus, miſere in gravi iſto conflictu vulneratus, qui cum aliis illi expeditioni Hungaricæ haud dubie deſtinatus fuerat.

III. *Stanislaus Hoſius*, Cardinalis & Epiſcopus Warmienſis, quam atroci odio eos ſemper proſecutus fuerit, qui inſtauratis Evangelii ſacris addicti fuerunt, docent eius acta & ſcripta fere omnia. Præſertim vero id apparet ex illius *Iudicio & cenſura de iudicio & cenſura Heidelbergenſium Tigurinorumque miniſtrorum*, in quo libello, ἀνωνύμως edito, teſte *Stanislao Reſcio*, oſtendere conatus eſt, non minus Lutheranos & Calvinianos, quam Antitrinitarios, quos Trideiſtas vocat, & Anabaptiſtas, Deum negaſſe, nec magis illos a Chriſtianis Principibus, quam iſtos, tolerandos eſſe. Facile inde quilibet iudicabit, quam turgidus ſit acerbiſſimis criminationibus ille libellus. In eo autem concin-

nan-

nando omnes animi nervos intendiſſe *Hoſium*, idem commemorat *Reſcius*, nonnulla plane ſingularia de hoc ejus enixiſſimo ſtudio referens (e). *In hoc libro conſcribendo*, ait, *orationum maxime præſidio* (f) *uſum eſſe vidimus*, *& accuratiſſimam rerum omnium conſiderationem adhibuiſſe. Poſt orationem autem matutinam, ad meditationem ſe conferebat, in qua tam fixo animo cernebatur, ut quandoque raptus eſſe videretur; &, cum aliquando induſium, quo erat indutus, ab ardente lucerna, quæ legenti lumen miniſtrabat, ignem concepiſſet, non prius ſenſit periculum, quam ad corpus ipſum incendium pervaſiſſet, ac minime profecto inſignem aliquam in corpore ſuo plagam evaſiſſet, niſi, qui ſcripſit hæc, caſu quodam in conclave ingreſſus, e media flamma, detractis veſtibus, virum Dei liberaſſet. Vidimus aliquando corporis pellem in humeris eius multis frictionibus, quibus ad tuendam valetudinem ex præſcripto medicorum utebatur, usque ad ſanguinem laceratam, cum interim toto animo & cogitatione lectioni ſtudioque deditus, nullam ipſe moleſtiam, aut dolorem, niſi cum in ſe reverſus eſſet, ſentire videbatur. Sæpe etiam accidit, cum aliquid amanuenſi dictaret, quod facere ambulando conſueverat, ut in parietem, aut in poſtes, aut in repagula feneſtrarum, frontem, aut humeros, meditabundus tam graviter impingeret, ut in multos dies læſionis indicia apparerent. Solebat autem eos quoque, qui dictantis ſermonem excipiebant,*

 bant,

(e) *Lib. II de Vita Stan. Hoſii Cap. XXV p.* 239 *ſeq.* edit. Olivenſis A. 1690.

(f) Conf. *Eſai. I*, 15, & *Pſalm. LXVI*, 18.

bant interrogare, num, quæ ſcribebantur, omnia intelligerent: & , ſi quid durius dictum videbatur, ita moderari, ut ſenſum ſcriptoris ſine multo labore conſequi quisque poſſit; ſeque animis, non auribus, hominum ſcribere memorabat, & hoc unum ante omnia laborare, ut, quæ ſcribuntur, legentes intelligerent, & proficerent, ornatus & delectationis poſtremam ducere rationem. Qui enim novit, neque id, quod ſentit, explicat, perinde eſt, atque ſi neſciret. Satius eſt, mutum eſſe, quam, quod nemo intelligat, dicere. Fuit autem hic liber exceptus maxima Catholicorum gratulatione, multorumque iudicia de ſolis Trideiſtis & Anabaptiſtis eiiciendis, tum etiam de rationibus concordiæ conſtituendæ, ad potiorem ſententiam revocavit. Viciſſim autem hæreticorum animos, maxime Genevenſis illius Mercurii, Theodori Bezæ, Galliæ turbatoris, quem, ſi viveret Athanaſius, ipſiſſimum Chriſticidam & legirupam diceret, non leviter conturbavit, &c. Hæc *Reſcius*, homo maledicentiſſimus. Ipſum autem huius iudicii avtographum in manibus nunc verſatur meis, ſed mutilum.

IV. Singularia fuere fata libri, hiſtoriam *Sfortiorum* Principum complexi, de quo *Bartholomæus Riccius* ad *Herculem Ateſtium*, Ferrariæ Ducem, illuſtriſſimæ gentis ſuæ hiſtoriam erudito alicui viro deſcribendam demandare tum cupientem, hæc perſcripſit (g): *Noſti, Princeps, atque adeo amas*

g) *Epiſtolarum ad Herculem Ateſtium, Ferrariæ Principem, ac ad reliquos Ateſtios Principes, Lib. I p.* 54 edit. Venet. A. 1554.

amas plurimum, Alexandrum Manzolium, prudentiſſimum, neque ab his ſtudiis abhorrentem, virum, ex ea familia, ex qua tot Principes Sfortii exſtitere. Hic, cum a quodam propinquo ſuo, viro quidem bono, ſed ſcriptore ineptiſſimo, Sfortiorum hiſtoriam vulgo editam comperiſſet, accurrit ad eam Bibliothecam, ubi venale opus propoſitum erat, omnes libros emit, quanti ſunt iudicati, quos, ut primum domum rediit, ſua manu combuſſit. Factum, mea quidem, atque adeo omnium, ſententia, ſplendidiſſimum. Maluit enim optimus civis nullam familiæ ſuæ memoriam ſcriptam exſtare, quam eo modo indigne perpetuo legi. Quare, Princeps, ut cetera in hiſtoriæ tuæ ſcriptore comprobabis, hoc ante omnia maxime providebis, ut Latino viro eam committas, quique dicendo eam non minus ornet, quam vere, atque ordine, explicet. Quando res ſordide dictæ cito conſeneſcunt, quæ vero ſua dictionis elegantia non carent, perdurent in omnium hominum memoriam. Rariſſimis ergo libris hæc *Sfortiorum* Hiſtoria annumeranda venit, ſi modo unum, vel alterum, eius exemplum illud incendium evaſerit. Vellem vero, *Riccius* nomen ſcriptoris haud reticuiſſet.

V. Perquam ſunt memorabilia, quæ de *Pallavicini Hiſtoria Concilii Tridentini* Auctor *Nepotismi Romani* prodidit, cuius verba ex Latina eius libri translatione (h) dabimus: *Dignus ſcitu eſt caſus ille, qui Patri Pallavicino, Ieſuitæ, iam nunc Cardinali, tunc accidit. Hic ſub ſpe, Cardinali-*

(h) *Lib. III Cap. XVI* p. 125 edit. Stutgard. A. 1669.

um adſcendendi faſtigium, ut re vera adſcendit, ſcribebat Hiſtoriam Concilii Tridentini, quam ipſius merito dicere poſſumus; maior enim illius pars non hiſtoria, ſed conceptuum & verborum maſſa, in Pallavicini cerebro ſubacta, eſt, qua dum P. Pauli Servitæ eiusdem ſubiecti Hiſtoriam, falſam mundo oſtendere concupiſcit, proprium pedem (ut dicitur) ſecuri ſidit; ipſiusmet enim conceptus Patris Pauli Hiſtoriam confirmant potius, & corroborant, quam lædunt, & ego poſſum affirmare, nunquam Servitæ Hiſtoriam ita puram, ſinceram, & realem, credidiſſe, donec Ieſuitæ Hiſtoriam legi. Unde, qui profectum aliquem inde haurire velit, indifferenti oculo utramque Hiſtoriam legere eum opus eſt.

Pallavicinus igitur in hac Hiſtoria ſæpe Papam Alexandrum, tanquam angelum humanis affectibus carentem, ſummis extollebat encomiis, & præcipue circa proprium ſanguinem, eius propoſitum, cognatos procul a Roma arcendi, laudans. Erant iam folia iſta typis excuſa, imo iam Hiſtoria publicari cœperat, cum Alexander ſuos Romam venire iuſſit, ut in illorum manus regimen traderet, unde P. Pallavicinus pudore ſuffuſus, quid diceret, vel faceret, neſciebat, & acceſſit, quod Pontifex etiam illius, ut ſui Confeſſarii, de hac re ſententiam, & conſilium, audire voluit, cum ipſe Pallavicinus præ animi confuſione, & ambiguitate, maxime indiguiſſet conſilio, ut, quale conſilium dare poſſet, ſciret. Si enim Papa cognatorum admiſſionem approbabat, mendacem ſuum faciebat librum; ſi illum, ut in primo propoſito perſeveraret, hortabatur

tur

tur Pontificem, & cognatos ſibi faciebat infenſos, & ſperatam, ſive ambitam, amittebat fortunam.

Ut ergo utrique occurreret incommodo, Alexandro ſuorum in Romam adventum ſuadere, & folia, iam excuſa, corrigere, & iterum typis mandare, decrevit; quia tamen typographus, id ſe ſuis impenſis facturum, negavit, coactus fuit bonus Pater eleemoſynam hinc & inde corradere, ut ultra viginti folia, quibus de hac materia agebatur, iterum typis mandare poſſet. Huius tamen rei fides ſit penes auctorem. Ego certe mihi perſuadere nequeo, *Ignatianam* ſocietatem, cuius ſodalis & grande decus erat *Pallavicinus*, theſauros ei ſuos ita occluſiſſe, ut ſtipem hinc inde pro foliis illis recudendis emendicare neceſſum habuerit, quo ipſo non potuiſſet non res, per eos æterno premenda ſilentio, in vulgus efferri.

VI. Edidit A. 1500, occaſione Iubilæi, ab *Alexandro VI*, P. M. inſtituti, *Stephanus ex Nottis*, obſcurorum virorum facile princeps, librum, cui hunc titulum indidit: OPUS REMISSIONIS A POENA ET CULPA. *Hic liber in eo legentem defendit a crudeli morbo deſperationis, & ducet in vitam æternam.* Bene Auctor fecit, quod ipſe vino ſuo minus vendibili hanc appenderit hederam, librumque ſuum ab inſigni, ſi Deo placet, virtute & efficacia lectoribus commendarit. Crediderim enim, neminem alium unquam fuiſſe eum laudaturum. Ego certe non tantum patientiæ ab animo meo, librorum alias amantiſſimo, impetrare potui, ut ei perlegendo tempus aliquod impende-

rem. Et malim ſane in latomias damnari, quam non niſi ad huius furfuris opera luſtranda obſtringi. Agit autem in eo de indulgentiis, quas vocant, & varias quæſtiones, ad hoc argumentum pertinentes, excutit. Occaſio ſcribendi erat inſtans tum Iubilæum, in quo ipſe Romam pro venia delictorum ſuorum pleniſſima conſequenda adire, atque his meditationibus animum ad tantam rem digne peragendam rite præparare, geſtiit. In calce hæc leguntur: *Præmiſſum opus compoſuit frater Steffanus ex Nottis: primo in alma brayda domo ordinis Humiliatorum Mediolani profeſſus. Et nunc in domo de Carugate eiusdem ordinis & civitatis præpoſitus. Artium & Theologie magiſter: ac decretorum doctor. Ad laudem omnipotentis & eterni dei: & ut ſalventur anime omnium, in hoc volumine devote legentium. Impreſſum Mediolani per magiſtrum Leonardum Pachel Anno Domini 1500, die pris* (*) *Decembris.* Singulare autem eſt, nec facile in ullo alio libro obſervatum, quod Auctor ſtudioſe ubique annum, diem, ac plerumque etiam horam, annotaverit, quibus ſingula veluti penſa ſui operis aggreſſus fuerit. Orſus vero illud A. 1498 d. 3 Nov. ad umbilicum deduxit A. 1500 d. 16. Ian. hora 2 noctis. Præfationem autem & ſummaria adiecit anni eiusdem d. 26 Ian. hora vigeſima. Quot igitur, quæſo, bonas horas hoc libro conſarcinando miſere perdidit!

VII. *Petrus Scriverius*, elegantiſſimi vir ingenii,

(*) Haud dubie *primo* legendum.

nii, A. 1615 Lugduni Batavorum in officina *Plantiniana Raphelengii* in 12 excudenda iunctim curavit *Ioſephi Scaligeri*, viri ſuæ ætatis maximi, Poemata omnia, tribus faſciculis incluſa, quorum unus Poemata eius propria, Latina & Græca, continet, alter Poemata Græca, verſa ex Latino, Italico, & Gallico, tertius vero Poemata Latina, verſa e Græco. In ſecundo faſciculo primo loco exhibetur florilegium Epigrammatum *Martialis*, a *Ioſ. Scaligero* Græce redditorum, de quo libello hoc memoratu dignum eſt, quod omnia fere illa Epigrammata A. 1601, in lectulo decumbens, noctibus brumalibus, ſine lucerna, Græce converterit. Teſtatur id ipſe *Scaliger* in Epigrammate Græco & Latino, ad *Iſaacum Caſaubonum* ſcripto, & florilegio illi præmiſſo:

Μεσφά μοι ἢ μελέταις συλωμένον, ἢ διὰ γῆρας
ἔῤῥει ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν κῶμα, Κασαυβόνιε,
ὧν ἔμαθον νέος ὤν, ἢ μνήμων εἰμὶ λατίνων,
ἑλλάδος εἰς χάριτος μέτρα μετεφρασάμην.
καὶ τὰ μὲν ἀγρυπνῶν ἐπ᾽ ἀλαμπέος, οἷον ἀλύχνος,
νύκτα δὲ ὀρφναίην ἐξεπόνησα λέχους.
Τῶν δὲ τιν᾽ Ἀρκτώον γαίης ἄπο τῆλε Βαταύων
κομψὰ μὲν οὐκ ἀτρόμῳ δ᾽ ὄμματι πρός σε περᾷ.
Φῶς γὰρ ὁρᾷν οὐ τολμᾷ ἀταρβήτοισι προσώπαις
ὧν μήτηρ ἡ νὺξ, ὁ σκότος ἐστὶ πατήρ.

Dum

Dum mihi vel curis, ſenio vel ſomnus abactus
Feſſa, Caſauboni, lumina nullus habet:
Quæ didici iuvenis, memori quæ mente Latina
Nunc teneo, Graio verſa lepore dedi.
Hæc lecto ſine luce meo, ſine teſte lucerna,
Nocte nigra, vigili ſtructa fuere mihi.
Quædam horum Arctois procul ad te miſſa Batavis
Culta quidem veniunt, non tamen orba metu.
Intrepida radios acie nam cernere, quod nox
Se peperit, tenebræ quod genuere, timent.

Lugduni Batavorum, noctibus brumalibus, in grabatulo.

Sub finem vero huius Anthologiæ hæc leguntur: *Hæc omnia fere in lecto Ioſephus Scaliger, Iul. Cæſ. filius, meditando inſomniam ſuam ſolabatur, anno 1601, noctibus brumalibus.* Hac autem ratione etiam alia carmina fundere ſolebat. Hinc ita ille ad *Carolum Labbæum* in literis, A. 1606 pridie Aprilis Iuliani exaratis (i): *Quodſi me in quibusdam dormitaſſe putas, id vero non mirum. E ſomno enim verſus me facere ſciunt omnes amici, hoc eſt, cum ſomnus aut per ſenium, aut per curas, me relinquit citius, quam ſat eſt homini dormire. Non mirum igitur, ſi adhuc dormio in illis verſibus, quos vix experrectus, ita ut Latina memoriter tenebam, expreſſi.* Quid vero de florilegio illo cenſuerit

(i) Vid. *Epiſtolarum Ioſ. Scaligeri Lib. IV p.* 611 edit. Francof. A. 1628.

ſuerit *Iſaacus Caſaubonus*, dexterrimus, ſi quisquam alius, harum rerum iudex, referre iuvat. Ita autem is ad *Petrum Scriverium* in epiſtola, libello iſti præfixa: *Equidem eius levitatis non ſum, ut de ſemonis illius ſcriptis iudicium feram: quantumcunque tamen eſt, quod in iis literis profecimus, videmur ſine arrogantia id poſſe nobis ſumere, ut, quid inter Græce loquentem & βαρβαρίζοντα diſtet, agnoſcamus. In quo ſi iudicii non fallimur, ita excellit hic liber, ut mediis Athenis cum Ariſtophane & Sophocle atque Euripide Auctor vixiſſe queat videri. Enimvero intererat Reip. literariæ, exſtaret eiusmodi aliquod exemplum, quod εὐφυὴς iuventus ad imitandum ſibi proponeret. Nam, qui verſus Græcos factitent, multos ſcimus & ſemper fuiſſe, & nunc eſſe: qui Græce loquantur, a multis ſeculis repertos eſſe oppido paucos.* Quodammodo igitur in *Scaligerum* quadrat, quod olim nonnemo de *Guilielmo Sirleto*, Cardinale literatiſſimo, quem ſæpe ſomno correptum Græce, aut Latine, diſputare auditum eſſe ferunt, acute dixit, ſomnia eius eruditiora eſſe, quam plerumque doctorum virorum vigilias (k).

VIII. Nihil mihi unquam tam incredibile accidit, quam quod *Ioannes Bergius*, Medicus, de *Iulio Cæſare Scaligero*, licet ſtupendæ eruditionis viro, commemorat, eum nempe Exercitationes ſuas in *Hieron. Cardanum de ſubtilitate* quadriduo inter multos alios labores perfeciſſe. Facilius

(k) Vid. *Vitam Cardin. Sirleti* in *Io. Palatii Ariſtocrat. Eccleſ. Chriſt. Vol. III f.* 457 *ſeq.* & *Serpilii Biograph. ſacrorum ſcriptorum Part. X p.* 458.

lius ego certe mihi perſuaderi patiar, locuſtam peperiſſe bovem, aut myricas tuliſſe mala citrea, quam hoc, quod omnem plane fidem ſuperat. Aſſerit id tamen *Bergius* in epiſtola, alias perelegant, quam integram hic adiicere lubet. Adſcripſit illam meæ iſtius operis editioni, quæ Francofurti apud *Andream Wechelum* A. 1576, curante *Ioanne Cratone a Crafftheim*, Archiatro Cæſareo, excuſa eſt, poſſeſſor priſtinus. Forſitan ea primæ editioni præfationis loco fuit præmiſſa; in omnibus autem aliis, quas mihi quidem oculis uſurpare licuit (l), fruſtra illam quæſivi. Haud igitur eam hic legere iniucundum erit:

Ioannes Bergius, Medicus, (m) *Lectori benevolo.*

„Cum dono miſſus ad me eſſet liber *Hierony-* „*mi Cardani de Subtilitate*, tituli ſpecie commc- tus,„

(l) *Thomas Crenius Animadverſ. philolog. & hiſtor. Part. XI p.* 19 *ſeq. & P. XVIII p.* 35, de variis *Exercitationum Scaligeri* editionibus nonnihil monuit. Cum vero epiſtolæ eius *Bergianæ* illa occaſione haud meminerit, nullam editionem, ipſa inſtructam, cognitam ei fuiſſe arbitror.

(m) Huius *Bergii* diſputationem de partu cuiusdam infantulæ Agennenſis, an ſit ſeptimeſtris, an novem menſium? exſtare *Parte VI Operum Iacobi Sylvii*, cognovi ex *Io. Antonida van der Linden Lib. I de ſcriptis medicis p.* 329 edit. Amſtelod. A. 1652, & *Chriſtoph. Hendreichii Pandectis Brandenburgicis p.* 521. Fuiſſe autem *Bergium Iulio Caeſ. Scaligero* dilectiſſimum, ex huius Poematibus, in bibliopolio *Commeliniano*, A. 1600 publicatis, *Part. I p.* 161 perſpexi. Eum, quem Rutenum vocat, ingenioſe a patre dicta collegiſſe, refert *Ioſephus Scaliger, Iulii Caeſaris filius*, in *Confutatione fabulæ Burdonum p. m.* 198.

„tus ac novitate, librum totum percurri. Deinde,
„gratum me facturum, ſperans, ad *Iulium Caeſa-*
„*rem Scaligerum*, patrem, & magiſtrum meum,
„miſi. Qui, ut eſt & familia & animo nobili, ho-
„norifice excepit, & quadriduo ita diligenter exa-
„minavit, nullo ſuorum negotiorum intermiſſo,
„ut, quae nova rectaque a *Cardano* dicta putabam,
„validiſſimis, atque e penitioris Philoſophiae peti-
„tis, rationibus everſa & legerim, & intellexerim.
„Haec cum is paene ludens feciſſet, ſibique potius,
„quam poſteritati, ſicut & alia multa, conſtituiſſe
„videretur, tum aliorum precibus, tum meo ro-
„gatu, in meam ſententiam deſcendit, ut noluerit
„nos amplius in erroribus *Cardani* volutari. Hoc
„quidem libens, editionem vero invitus. Eſt
„enim tanta viri huius incomparabilis & bonitas,
„& modeſtia, ut nemini detrahat, omnium cona-
„tus probet: tantum abeſt, ut velit maledicere.
„Dolet tamen, & mecum ſaepe queſtus eſt, tum
„aliorum inconſideratas praecipitationes, tum ami-
„corum efflagitationes, quibus ipſe quoque, quan-
„tum in nobis eſt, ſimilem ſibi facere cogatur
„iniuriam. Propterea dicere ſolitus: ſi *Carda-*
„*nus* ingenio ſuo peregrino frenum Italicum im-
„poſuiſſet, futurum, ut mirificas ederet ſpecies
„meritae atque aeternae gloriae. Itaque in toto
„opere harum Exercitationum parentis more eum
„modeſte admonet errorum: raro acriuſcule ca-
„ſtigat, ubi religionis temeratae ſuſpicio eſt. De
„earum varia ac paene immenſa eruditione dicere
„non patitur hic locus. Verum, ut operis cogno-
„ſceres praeſtantiam, rerum indicem affiximus ſa-
„tis

„tis amplum: ut & poſſes certa conſequi capita:
„& ex ungue cognoſceres leonem, imo vero ho-
„minem ex umbra. Invenies omnia nova, ſubti-
„lia, ardua, exquiſita: ut unum tantum librum
„hunc tota vita, nec quidquam aliud, confeciſſe
„videatur. Non importunis ægrotorum interpel-
„lationibus, precibus, exprobrationibus, qui omni-
„bus ex partibus ab ultima usque Gallia ad eum
„quotidie confluunt, occupatum: non litibus, qui-
„bus totum ſeculum hydrops eſt, excruciatum:
„non familiaribus negotiis, quorum molem ſolus
„ſuſtinet, diſtrictum, effudiſſe; ſed leni, hilari, ac
„quieto, ut ſolet, vultu atque animo in amœniſ-
„ſimis receſſibus, in mediis ſcholis, ſummo in
„otio meditatum, putes. Tanta linguæ puritate,
„ut vel *Terentium*, vel alterum *Cæſarem*, loqui cre-
„das, ubi Philoſophiæ ſalebræ patiuntur. Certe
„non minore ſpiritu utramque vitam coluit.
„Nam, ſicubi deflexit a venuſtate *Ciceronis*, co-
„actus fecit. Nimirum, quid in libero genere di-
„cendi poſſit, ſatis patet ex aliis eius monumen-
„tis. Neque ſcribere pigebit, quod aliquando io-
„cantem audivi, pæne his verbis: *Cicero in qua-
„dam oratione minatur: ſi ſibi faciant ſtomachum,
„triduo futurum Iureconſultum: ego, ſi mihi ſtoma-
„chum non faciam, triborio (ut loquitur Auſonius)
„fiam Ciceronianus.* Profecto, quantus orator eſſe
„potuiſſet, oſtendit eius orationis efficacia, ac ner-
„vus. Permiſti ſales acerrimi ſimul, atque inpri-
„mis verecundi. Præfatio perfuſa eſt eo colore
„tota, quem ductum Græci Rhetores vocant: quæ
„quaſi ironiæ ſpecies adumbratur. Ab eo tamen
dif-

„differt. Ipſi vero Loci conditi ſunt plerisque „locis, ſolida ac philoſophica cunctatione. Sero „enim aſſerit, quod ventilat diſſimulando. Ingenii vim vel ſtabilem, vel verſatilem, infinitam, ac pæne incredibilem, omnium ſcientiarum „notitiam; univerſalis æque, ac naturalis, naturæ „exactiſſimam diſcuſſionem; iudicii certiſſimos „conatus, atque expeditiones; expromtam rerum „locorumque *Ariſtotelicorum* in memoria ſupel„lectilem, admiretur is, qui ſciat, perpaucorum „dierum operam eſſe hanc, nec niſi ex furtivis, „ut dicebamus, atque interpellatis horis. Et, quod „addat ad miraculum, propria manu conſcripta „omnia. Utinam mentem Deus illi det, ut, quem„admodum non ſibi, ſed aliis, vivit, ita etiam ſcri„pſiſſe velit. Tot enim, talia, tanta, ſupprimit, ut „multorum virorum, non ſuo minus ingenio, iu„dicio, manu, uſus eſſe videatur.

Hac occaſione etiam *Iacobi Scheckii*, Philoſophi quondam Tubingenſis famigeratiſſimi, iudicium de *Iulio Caeſare Scaligero* commemorare non piget, quod eadem manu meo exemplo appictum eſt:

Iudicium Iacobi Scheckii, viri undiquaque doctiſſimi, & tota Germania celebratiſſimi, (quo, teſte Paulo Scalichio, Iulii Caeſaris nepote ex fratre (n), non modo Germania, ſed vix Gallia

(n) *Paulum* hunc *Scalichium* illuſtriſſimæ *Scaligerorum* genti ſe inſerere voluiſſe, notum eſt. At, ſi omnia, quæ de ſplendidis ſuis natalibus iactitavit homo vanus, ve-

 re

lia atque Italia, & ipſa quidem Roma, doctiorem habet: tanta eſt huius viri & morum & vitæ cum ſolida eruditione integritas coniuncta,) in Epiſtola ad P. Scalichium.

„Legi quædam *Iulii Cæſaris Scaligeri*, clariſſi-
„mi Herois, ſcripta, quæ tanta me admiratione
„affecerunt, ut vix potuerim credere, tantum vi-
„rum hac noſtra ætate exſtitiſſe: qui magnitudine
ingenii, multitudine & varietate ſcientiæ, eloquen-
tiæ artibus & ſplendore, non dico, adſpirarit ad
ſimilitudinem veterum, eorumque præclariſſimo-
„rum Philoſophiæ Auctorum, ſed pleroſque et-
„iam longo intervallo poſt ſe reliquerit. Quam
„enim ille vir, non dico, non attigit, ſed perfecte
„ſtudio ſuo complexus non eſt, rerum ſcientiam,
„tum hiſtoricam, tum philoſophicam? ut mirum
„ſit, complecti illum omnia ingenio & memoria
„potuiſſe: quæ tam multa ſunt, tamque ad intelli-
„gen-

ra fuiſſent, erraſſet tamen, quicunque hæc ſcripſit. Non enim fuiſſet *Iulii Cæſaris* ex fratre nepos, ſed patrui eius *Bonifacii* ex *Michaele* filio nepos, ſi fides habenda *Sylvio Cæſari Scaligero* in *Epiſtola* ad ipſum *Paulum Scalichium, Annalibus Scaligerorum*, ex *Cyrillo* in Latinum converſis, & Coloniæ editis, præmiſſa *p.* 7. imo ipſi *Scalichio* in *Genealogia Scalichiorum*, ad Imp. *Ferdinandum* A. 1561 miſſa, & typis excuſa, in qua hoc *Scheckii* de *Iulio Cæſ. Scaligero* iudicium allegatum eſt. De *Pauli* autem huius vita & ſcriptis noſtra Diſſertatiuncula exſtat in *Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VII Faſcic. VI p.* 1027 *ſeq.* Nonnihil etiam de eius rebus diximus *Amœnit. literar. Tom. IX p.* 691 *ſeq.* Plura vero notabilia de illo habentur in Celeb. *Lilienthalii Actis Boruſſicis Tom. I pag.* 305 *ſeq.* & 820 *ſeq.* nec non *pag.* 903 *ſeq.*

„gendum ardua, ut addiſcendis ſingulis vix ſuf-
„ficiat etiam ingenium perſpicaciſſimum, &
„ætas longiſſima. Quapropter in hanc adducor
„ſententiam, ut, propinqui tui non humanum, ſed
„divinum, fuiſſe ingenium, exiſtimem. Siquidem,
„ſcire omnia, quorum capax eſt humana mens,
„divinitati proximum ſit. Nec minorem habet
„admirationem, ſcientiæ tam variarum rerum ele-
„gantiam non defuiſſe verborum & ſententia-
„rum, ut dubites ſane, ſcientiorne, an eloquenti-
„or, quibusvis aliis ſit habendus; qui in alterutro
„iſtorum duntaxat elaborarunt. Nec vero ſolum
„aliorum inventa memoria & oratione (utrisque
„admirandus) complexus eſt; ſed ipſe etiam mul-
„ta inſuper ſolertiſſime ignota inveſtigavit; ali-
„orum errores acutiſſime correxit, in utroque ſum-
„ma ingenii acrimonia præditus. Et, ut in pauca
„conferam, maiorum noſtrorum memoria nullum
„fuiſſe opinor, qui vel ingenii indole, vel diſcipli-
„narum varietate & multitudine, cum illo ſit con-
„ferendus, diſciplinarumque antiquiſſimis ſcripto-
„ribus anteponendum etiam, ni ipſemet, debere
„ſe multa iis, ſine quibus ad tantam perfectionem
„ſcientiæ non potuiſſet pervenire, fateretur; & ni-
„ſi grati eſſet hominis, ut quidam ſcribit, confite-
„ri, per quos profeceris.

Sed & alius viri docti de eodem iudicium, meo itidem exemplo adſcriptum, prætermittere nequeo. Ita autem ille: *Omnium ſtudia diligentiamque inter veteres ſuperavit C. Plinius, & noſtro tempore Iulius Cæſar Scaliger, Cardanomaſtix; qui, quanquam in armorum ſtrepitu potiſſimum vi-*

ta partem transegerint, tam multa tamen ex medio Philoſophiæ ſinu petita, velut alto otio fruentes, doctiſſime conſcripſerunt, ut mirari poſſimus, quidquam illis otii ad ſcriptitandum reſiduum fuiſſe, qui tot rerum cognitione longis paraſangis ceteris antecellebant. Quicquid vero ſit de divinis ingenii dotibus & vaſtiſſima *Iulii Caſ. Scaligeri* eruditione, fieri tamen haudquaquam potuit, ut tantillo temporis ſpatio tantum tamque varium opus perficeretur. Imo nec veriſimile eſt, duobus illud menſibus concinnaſſe ac abſolviſſe *Scaligerum*, quamvis, ipſummet id perhibuiſſe, in *Perronianis* (*o*) narretur. Novimus enim, eum haud raro nimium, immoderato famæ aucupio & arroganti excellentis doctrinæ oſtentatione, ſibi tribuere eſſe ſolitum. Ceterum addimus adhuc, quæ de ſuo hoc opere ipſe Auctor pronuntiavit (*p*):

Quæſiere de amico amici, quid tandem rei
Hominibus doctis liber eſt viſus ille, quem
Cardano de ſubtilitate miſimus.
Reſpondit ille verbo vero, ac ſimplici,
Ut in aliis hominum iudicia, ita eſſe in meis
Varia, nec unquam in quoquam convenientia.
Id equidem item ego noram ante, quam illa ſcriberem.
Et tanquam auditurus admovi manus,

Nec

(o) *P.* [illegible]3.
(p) *Poëmatum Part. I pag. 200 ſeq.*

Nec provocatus potius, quam ultro provocans
Quatuor hominum ideas, quibus illa haud ſcri-
pta ſunt.
Primum, qui in Verbo ſunt, negant Subſtantiam.
Dein, qui dicunt, non eſſe ſapientem Deum,
Tum qui ſe ipſos aſino non pluris putant.
Quartum otioſum atque voluptatis mancipium
Si quis ſuper hos, huic ille ſcriptus eſt liber.
Sin nullus eſt, at eſto ſolus is mihi.

IX. Mirum non eſt, Cardinalem *Baronium* ſæpenumero in *Annalibus* ſuis *eccleſiaſticis* ſuaviter ſomniaſſe, cum opus illud ſomnio cuidam natales debuerit ſuos. Commemorat id recentiſſimus *Baronii* continuator, *Iacobus de Laderchio*, (*q*) ex *Baccii Vita S. Philippi Nerii Lib. I Cap.* 13, *Ob ſummam*, ſcribens, *Eccleſiaſticarum antiquitatum ac rerum eruditionem*, *Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptionem Panvinium ſuſcipere optaverat Cardinalis Baronius*, *quod iſtam ipſe adoriri renueret. At cœlitus edoctus S. Philippus Nerius*, *quod id non a Panvinio, ſed ab eo, peragendum eſſet*, *evidentiſſime ſignificavit. Libeat hic, quæ in vita S. Philippi leguntur, ex Petro Iacobo Baccio recenſere. Cum primum (inquit de Baronio loquens) cœpit in Oratorio ad populum dicere, fere ſemper mortis & inferorum minas in auditores intonare conſueverat. Quod cum diutius præſtitiſſet, Philippus, di-*

 vino

(q) *Annal. Eccleſiaſt. Tom. XXIII f.* 160 *ſeq.* edit. Romanæ A. 1733.

vino ſpiritu illuſtratus, prævidens, fore, ut, ſi dicendi argumentum commutaſſet, uberiori cum fructu, & ſuo, & aliorum, dixiſſet; cohortatus eſt virum, ut, miſſis mortis & inferni terroribus, ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam exarandam ſe conferret. Tum haud ſane contradixit Baronius; ſed, cum propter contrariam naturæ propenſionem adhortamenta negligeret, Philippus pro imperio jubet, quantocyus impoſitum munus exequatur. Duriora viſa ſunt Baronio Philippi imperia; cumque hinc obedientiæ virtus urgeret, hinc naturæ repugnantia deterreret, in maximis anguſtiis verſabatur. Sed pius Dominus, ut animi æſtum compeſceret, ſuum ipſi hoc modo conſilium patefecit. Certa quadam nocte, cum ſomnum teneret, viſum eſt Baronio, ſe cum Onuphrio Panvinio, qui etiam Eccleſiaſticam Hiſtoriam proſequebatur, diſſerere; cui animo valde anxius, quæ Philippus præceperat, inſinuans, rogat, ut tantum opus abſolvere non recuſet. Dumque rationes cumulat, ut id amico ſuadeat, en Philippi vocem repente audit: Cede iam, o Cæſar, cede, neque diutius obſiſtas: quando quidem Hiſtoria Eccleſiaſtica tibi, non *Panvinio*, ſcribenda eſt. *Hæc inter experrectus Baronius, atque exinde Dei voluntate percepta, confeſtim in animum induxit, ut Annales Eccleſiaſticos in Oratorio percurreret, quos cum a Chriſto nato ad ſua prope tempora ſemel produxiſſet, Philippus ei præcepit, ut iterum atque iterum eos ab initio ad finem repeteret. Atque ita triginta annorum ſpatio, ſepties, antequam primum Tomum typis mandaret, totam a principio Hiſtoriam in concionibus*

per-

percenſuit; ac demum opus univerſum in duodecim Tomos diſtributum edidit, &c. Hæc Baccius, quæ etiam confirmat Hieronymus Barnabæus in vita ejusdem Cardinalis Baronii.

Horum *Annalium Tomum XI*, qui Tractatum de Monarchia Siciliæ continet, ab Hiſpanis ſeveriſſime prohibitum, auctorique ſuo impedimento fuiſſe, quo minus a *Clementis VIII* obitu in ſolium Papale evectus ſit, res pervulgata eſt. Memorabilis vero epiſtola, a *Baronio* propterea ad *Philippum III*, Hiſpaniarum Regem, ſcripta, rarenter hodie occurrit. Primus eam luci expoſuit *Ioachimus Morſius*, Hamburgenſis, Lugduni Batavorum A. 1619 in quarti ordinis forma; mendoſe enim in *Caſparis Sagittarii Introductione in Hiſtoriam eccleſiaſticam (r)* ab eo A. 1691 oſcitantia typothetæ edita eſſe dicitur. *Thuanus (s)* excerpta eius dedit; nos illam integram hoc loco exhibere operæ ducimus pretium. En ergo tibi ipſam:

„Sacra Regia Catholica Maieſtas. Non ante „creationem novi Pontificis, eiusdemque ætatis flo„rentiſſimi, ſenior ego, laboribus fractus, viribus „debilitatus, & iam ſepulchro propinquus, ad Ca„tholicam Maieſtatem veſtram mihi in animum „induxi fore ſcribendum, ne viderer, dicam libe„re, Pontificia ſede ceſſante, eiuſmodi internuntio „literarum auram voluiſſe captare regiam, & ita „ſternere mihi viam ad gradus ſublimioris con„ſcenſionem. Sed procul abſit, ut me Regum „favor, & non potius regis regum Chriſti gratia,

 „in

(r) *Tom. I p.* 300.
(s) *Hiſtoriar. Lib. CXXXIV f.* 1079 edit. Francof. A. 1628.

„in thronum provehat altiorem. Domini eſt aſ-
„ſumtio noſtra, & ſancti Iſrael regis noſtri, a quo
„tamen expeto, ipſe ſcit, ſedem illam in cœlo
„perennem, quam promiſit ſequentibus ſe diſcipu-
„lis ſuis: adeo ut hac in parte compendii loco
„duxerim, ſentire de illa diſpendium, ad quam
„excludendam etiam eſſe ego ipſe debeam adiu-
„mento, ne huius ſentiam detrimentum, & gra-
„tias agere, & bene precari magis iis, qui obſi-
„ſtunt, quam qui favent. Ceſſantibus igitur his
„iam ad aures Regis Catholici, veritatis amantiſſi-
„mi, atque juſtitiæ obſervantiſſimi, liberior acceſſus
„pateat emeritæ militiæ Eccleſiæ ſacerdoti, cau-
„ſam agentis ſuam & Romanæ ſimul Eccleſiæ. In-
„gens concitatus eſt in me rumor, Catholice Rex,
„literisque conclamatio ad Apoſtolicam ſedem a
„Proregibus utriuſque regni Neapolitani atque Si-
„ciliæ, quod contra Monarchiam Siculam tracta-
„tionem ſcripſerim ediderimque una cum undeci-
„mo Annalium Tomo, ſuo loco, ſervato ordine
„temporum, collocatam. Iuſta eſſe potuiſſet illa
„querela, ſi ad labefactandum, perdendum, demo-
„liendumque, regnum utrumque, & non potius ad
„firmandum, quod non caderet, fulciendum, quod
„non rueret, ſtabiliendum, quod nutaret, & con-
„ſolidandum, quod non conſiſteret, tentata omnia
„iſta eſſe, probare potuiſſem. Sed, prodamus, ne-
„ceſſe eſt, magnum conſilium ſapientiſſimi archi-
„tecti *Clementis* ſanctiſſimæ memoriæ Papæ VIII,
„iſta curantis, qui, probe ſciens, expertus & ipſe,
„frequenter actitatum a prædeceſſoribus ſuis lite-
„ris per nuntios ſive certis legationibus cum Regi-

„bus

„bus Hiſpaniarum, ut male conſtitutam contra ec-
„cleſiaſtica jura Siciliæ Monarchiam e medio tol-
„lerent, quam ſcirent nullo pacto poſſe ſubſiſtere,
„fruſtraque ceſſiſſe omnes conatus ipſorum, præ-
„textibus diverſis eluſos, oblatam libens volens-
„que occaſionem arripuit. Cum enim ſciret, eo-
„dem undecimo Annalium Tomo tractari debere,
„certa habita temporum ratione, res geſtas *Urbani*
„Papæ ſecundi, qui male aſſeritur auctor eiusdem
„Siciliæ Monarchiæ, Pontificia mox ipſe nos in-
„terpellavit auctoritate, ſerio valde admonens, ne
„curſim rem tantam attingerem potius, quam diſ-
„cuterem, ſed ut de ipſo prolixius diſputarem, &
„propenſiori ſtudio in opus incumberem, anti-
„quiora quæque verterem monumenta, ſcrutarer
„Bibliothecæ Vaticanæ angulos ſingulos, eiusdem
„latebras penetrarem, & inacceſſa munitionis San-
„cti Angeli penetralia archivorum ſecretus adirem;
„patere mihi cuncta præcipiens, quæ ubique loco-
„rum eſſent vetera ſedis Apoſtolicæ cuſtodita ſcri-
„niis documenta. Hoc unum intendens, ut, ſi ali-
„qua eſſent, (quæ nulla re vera eſſent,) fundamen-
„ta Siciliæ Monarchiæ, eadem refoſſa, exponeren-
„tur oculis intuentium, ne quod poſſet amplius
„eſſe negandi ſubterfugium, ſi, eruderatis aggeri-
„bus, egeſta terra, quid ineſſet fundamenti, iam
„pateret adſpectui. Non quidem ut male erectam
„molem, ſponte ſua corruentem, everteret, ſed
„potius ut, paterno affectu aliquo remedio excogi-
„tato, fulciret atque firmaret, ut abſque ſcandalo
„tibi ipſi Catholico Regi digno titulo tanti nomi-
„nis integram conſervaret. Quomodo autem hoc

„ipſum fieret per recentem, qui in Hiſpanias a
„Sanctiſſimo Domino noſtro *Paulo* quinto nun-
„tius mittetur, uti accipimus, nota erunt. Id fuit
„Sanctiſſimi Papæ *Clementis* conſilium, tanto Pon-
„tifice dignum, is conatus eius, ſapientum ore lau-
„dandus. Quod vero ad demandatum ab ipſo no-
„bis pertinet inſtitutum, pro viribus laboravimus
„Chriſto prævio, comite veritate, licet ipſa ope-
„roſa editio Tomi illius haud me penitus liberum
„fecerit, ut totus in unum addictus ad alia non
„diverterem, diviſus in multa fuerim, nec antea
„quod petierat idem Pontifex aſſecutus, perſpica-
„ciſſimo eius iudicio definiendum putavi. Quam-
„obrem, quæ a me eo argumento ſcripta fuerant,
„ad ipſum attuli cognoſcenda, accepit, legit, ac
„perlegit iterum. Cum exſpectans ego præſens
„ſententiæ ipſius elogium, ex imo pectore alta ſu-
„ſpiria ducens, in iſta dolens erupit, nunquam pu-
„taſſem, inquiens, adeo tam vanis inniti Monar-
„chiam Siculam fundamentis. Ad pleniorem au-
„tem fidem eiusdem ſcriptionis, eandem ipſam tri-
„bus ſolidis S. R. E. Cardinalibus diſquirendi tri-
„buit facultatem, quam accurate diſcuſſam, com-
„probatam pariter atque laudatam, ita ad lapidem
„Lydium admotam ſæpius, inventamque ſince-
„ram atque dignam, quæ typis excuſſa traderetur,
„in lucem iuſſit imprimi, expreſſamque iterum a
„ſe lectam, probatam iterum, edi voluit una cum
„undecimo Tomo, cui erat intexta. Hactenus, quæ
„ipſo vivente ſunt geſta. Ubi autem paucos poſt
„menſes ab editione eiusdem Annalium Tomi idem
„Sanctiſſimus Papa ex hac ſubductus via ſanctiſſi-
„mo

„mo ſine quievit, in me ipſum, tanto patrocinio „deſtitutum, ſunt omnia tela converſa, increbuit „impetus detrahentium, irruit acerbiter perſequen- „tium velut iurato quodam implacabili bello. Sed „in his adverſis inde mihi ingens parta fiducia, at- „que eſt aucta ſecuritas, quod iuſſu *Petri* compro- „bata, a *Petro* ex ipſa ſede *Petri* ſcripta iſta noſtra „prodierint, abſque dubio in ſeculo permanſura. „Quicunque enim ſuper Petram ædificaverit do- „mum ſuam, verbo divino pollicente, ſtabit eius „ædificium ſempiternum. Sto ſupra Petram, quæ „nulla unquam cuiusvis eſt perſecutione confracta, „confringens ipſa eos, qui in eam incaute nimis „offenderint, & conterens illos, ſuper quos ipſa „ceciderit. Videant modo hic adverſantes, ne in „ipſam impingant, neve ab ipſa ex alto ruente „Petra penitus conterantur. Intelligunt ſero ſal- „tem laici homines, quanto periculo comprobata „a ſede Apoſtolica ſcripta condemnent atque pro- „ſcribant. Noſcant pariter, quanto indecore, non „ſine offenſa Catholicæ veritatis, laica manus cla- „vem ſcientiæ, quam ſolius eſſe *Petri*, Catholica „profitetur Eccleſia, arripuerit, ut iudicet atque „damnet ſcripta iuſſa, imperata & calculo com- „probata Romani Pontificis, cuius eſt auctoritatis „ſolius iudicare, probare, vel condemnare, cuiuſ- „vis ſcripta, præſertim Eccleſiaſtica. At, licet ex „humanis ſubductus ſit *Clemens*, tamen, ſicut au- „ctoritas, ita idem ſpiritus atque voluntas propa- „gata intelligitur in ſucceſſores, modo vigens in „*Paulo*, cuius ſicut creatio exſtitit admiranda, ita „adminiſtratio Dei arbitrio ad perfectos numeros

„com-

„compoſita ſit metuenda, ut nullo pacto paſſurus
„ſit labefactari leges ſacras, convelli Eccleſiaſti-
„cam immunitatem, aut præter fas iuſque præſu-
„mi, vel abripi, ab aliquo quidpiam vindex ipſe
„acerrimus Eccleſiæ virium. Demum vero, ante-
„quam finem ſcribendi faciam, ut obſervantiam
„meam erga Regiam Majeſtatem veſtram propen-
„ſiſſimam ampliſſimis notis ſignificem, hæc adii-
„ciam, quod, cum natus ſim ipſi ſubditus, tribu-
„tum eidem quotidie perſolvendum indixi mihi
„ſinceræ fidelitatis & charitatis de corde puro,
„conſcientia bona, & fide non ficta, atque pre-
„cum pro ſalute ſua ad Deum. Quod vero auctus
„ſim poſtmodum, licet immeritus, ſicut invitus,
„dignitate Cardinalatus, nequaquam his me volui
„exemtum obſequiis, & liberum ab officiis, ſed,
„aucto fœnore, cenſum addidi debitum Pontifici-
„bus à Sacerdotibus, veritatem nimirum, cum
„tempus & occaſio poſtulet, libere annuntiandi.
„Quo munere Reges quo magis conſueverunt in-
„digere, debent avidius exoptare, oblatum vero
„accipere gratius, retinere tenacius, atque cuſto-
„dire diligentius. Quis contemnat audire monen-
„tes Sacerdotes, cur præſertim cardinis, in quo
„unitate Eccleſiæ capitis univerſus volvitur & re-
„gitur orbis? Cuius quidem capitis, pro neceſſitate
„rerum, interdum aurium, ſive oculorum, inter-
„dum oris, officio fungimur, ut, ſicut modo acci-
„dit, cum iuſſu *Clementis*, ut ſæpe dictum eſt,
„ſcriptione illa mandavi, quæ licet in malam par-
„tem accepta fuerunt ab eius miniſtris, de Maie-
„ſtate veſtra abſit mihi aliud ſentire, quam ſicut
„de

„de Rege Catholico, Catholicæ Eccleſiæ defenſo-
„re, fidei Chriſtianæ propugnatore atque propa-
„gatore, amatore veritatis, legum cuſtode, iuſti-
„tiæque cultore, ſentiendum eſt. Quem rogo
„Deum, & rogabo ſemper, dum vixero, cuſtodiat
„nobis diu multumque regnantem. Feliciſſime
„valeat ſemper Deo placens, hominibus profi-
„ciens, Catholica Maieſtas veſtra. Datum in
„Tuſculano.“

Iuvat etiam hic adiicere, quæ *Paulus Sarpius* in *Hiſtoria inquiſitionis*, ab *Andrea Colvio* Roterodami A. 1651 in 12 Latine evulgata, (t) hac de re diſſerit: *Curia Romana, quamvis uſurpaverit prohibere libros, etiam ob cauſas, quæ religionem non tangunt, nec ullo modo ad Eccleſiam ſpectant, nunquam tamen niſi paucis abhinc annis eo confidentia prorupit, ut negare auſa fuerit, Principi quoque licere interdicere libros, quos iudicat mali exempli eſſe, ac præbere occaſionem ſcandali, ſeditionis turbarumque in ſuo regno. Cardinalis Baronius primus hoc paradoxum procudit, atque audacter aſſeruit, cui poſtquam ſe valide convenienterque oppoſuiſſet Princeps ille, quem proprie hæc tangebant, nemo exinde illas Baronii aſſertiones publice defendere auſus fuit; ſed, quia idem forſan tentari poſſet etiam maiori aſtutia doloque, alio tempore, alia occaſione, quando minus attendent, quorum id maxime intereſt, materiæ dignitas exigit, ut eventum huius hiſtoriæ breviter enarremus,* ad-

(t) *Pag.* 162 *ſeq.* In Italica autem huius libri editione, quæ itidem ad manus eſt, ſicuti & reliqua opera *Sarpiana*, uti arbitror, omnia, hæc leguntur *p.* 174 *ſeq.*

Principis edere librum contra ipſum Principem, eiuſque imperium, ac prætendere, licitum eſſe, librum illum haberi, legi, venundari, conſcio ac invito Principe, atque hæc omnia tegere velo religionis, auctoritatiſque a Chriſto Divo Petro *data; verum hic prætextus haud difficulter evaneſcet, ſi reſpiciamus doctrinam Catholicam, & praxin ſanctæ Eccleſiæ, e quibus liquet veritas huius controverſiæ, ac refelluntur putida* Baronii *argumenta.* Sed reliqua, quæ hac de cauſa adverſus *Baronium Sarpius* copioſe diſputat, in ipſo eius libro, quam hic, legi malim, ne nimium excreſcat hæc obſervatio.

X. Inter *Baronii* continuatores præcipuus eſſe videtur *Odoricus Raynaldus*, Congregationis Oratorii Presbyter, eodem, quo anteceſſor eius, partium ſtudio ductus, ac id unice ſibi ubique propoſitum habens, ut maieſtatem Pontificiam ad cœlos uſque eveheret, omneſque, qui eam non genibus flexis adorant, horrendum in modum denigratos, immani cunctorum odio exponeret. Vivus adhuc ſpiranſque octo continuationis ſuæ Tomos in lucem emiſit publicam, nono autem immortuus, eum utcunque concinnatum reliquit, qui tandem, in duas partes diſtributus, A. 1676 & 1677 Romæ aliorum cura typis excuſus eſt. Monent doctiſſimi *Actorum Eruditorum* collectores *Anno 1691*, (u) utramque partem, licet eo iam tempore typis exſcriptam, vix tum demum ex tenebrarum carceribus, quibus tantum non damnatum opus videri potuerat, in publicam lucem erupiſſe: cau-

(u) *Menſ. April. p.* 189.

ſas vero, cur ſuppreſſus tanto tempore Tomus hic fuerit, aliis perſcrutandas relinquunt. Non iniucundum igitur Lectoribus meis fortaſſis fuerit, eas quodammodo cognoſcere ex literis Cardinalis *Leandri Colloredi*, ad *Io. Mabillonium* Romæ A. 1688 d. 6 Ian. datis (x), e quibus verba, huc pertinentia, decerpere non piget. Ita autem *Colloredus*: *Quod pertinet ad Raynaldi Tomos, cum ſenex optimus, antequam illos limaret, defunctus fuerit, alteri cuidam data eſt provincia, ut ea, quæ ipſe in adverſariis diſpoſuerat, iuxta annorum ſeriem dirigeret; ſed, cum parum feliciter proceſſiſſet opus, ac neſcio quo pacto prelo etiam fuiſſet ſubiectum, recolendæ memoriæ Cardinalem Albritium, qui tum typis de propaganda fide, ubi edebatur, præerat, admonui, ne multis ſcatens mendis opus vulgaretur in lucem. Ille, ut erat acris ingenii, maximeque emunctæ naris, ſubſiſtere iam cœptum iuſſit volumen, multaque ac moroſiori, ut ſolebat, adhibita diligentia, antequam quid denique ſtatueret, mortem oppetiit. Demandata eſt eadem præfectura Cardinali Caſanatæ, qui, in meum etiam deſcendens conſilium, optavit, ut libri illi, quantum fieri poſſet, expurgarentur. Verum, cum ſtabuli Augiæ in morem infinitis propemodum indigerent ſcopis, eo quod manus illæ, quæ poſt Rainaldum appoſitæ fuerant, Harpiarum in morem diripuerant fœdaverantque dapes, non unius, aut alterius, menſis, ſed*

(x) Quæ exſtant in *Operibus Io. Mabillonii ac Theodorici Ruinarti poſthumis*, a *Vinc. Thuillierio* Pariſiis A. 1724 editis, *Tom. I p. 487 ſeq.*

ſed multarum vigiliarum, opus eſſe perſpexi, ſuadebamque, ut, amotis penitus cunctis foliis, demum & coderentur & cuderentur. Verum, cum nimius videretur labor grandisque expenſa, eo deventum fuit, ut P. Marcheſius, qui maxima præſtat celeritate in ſcribendo, quæ magis mendoſa erant, ſurriperet, ac, retentis, quantum fieri poterat, iam editis foliis, nova, ubi opus erat, ſubrogaret, collato mecum laboris ſui ſtudio. Vix tamen inceperat, cum ipſe vocatus ad purpuram, ac innumeris, quæ conſuetudo invexit, diſtractus officiis, nullam impenſe laboranti manum dare prævalui, ideoque quamprimum duo illi poſthumi Tomi, obſtetricante tantum Marcheſii diligentia, prodibunt in lucem. Ceterum, ſi in poſterum continuanda erit hiſtoria, non video, quomodo inter tot boni otii diſtractiones conſcribi queat: præſertim cum ad illa iam tempora appropinquemus, in quibus non Annalibus ſcribendis tempus ſit dandum, ſed potius, iuxta Prophetæ ſententiam, ſtandum ſit inter veſtibulum & altare, plorandumque Sacerdotibus, ut cunctas diſcordiarum fibras avellat omnipotens a regno & ſacerdotio, convertatque corda patrum in filios & filiorum in parentes, &c. Elucet autem inde, hunc Tomum, alienas manus paſſum, non uni *Raynaldo*, ſed *Colloredo* etiam ac *Marcheſio*, nec non *Anonymo* illi, cuius in verbis recitatis ſit mentio, adſcribendum eſſe.

V.

V.

M. I. F. FRISCHII
DE
VSV PARTICIPII PRAETERITI ROMANO
OBSERVATIONES PRIORES
AD
VOSSII LIB. VII DE ARTE GRAMMATICA
CAP. XLI.

I.

Licet multi recentioribus temporibus literas Romanas tetigerint, earumque cauſas, origines, & componendi rationes, e primis quaſi initiis repetere ſtuduerint; facile tamen inter eos, ſi a *Iulio Cæſare Scaligero*, acutiſſimo Grammatico, diſcedas, *Gerardum Ioannem Voſſium* principem locum obtinere, omnes harum rerum peritiſſimi arbitrabuntur. Nec minus exactiſſima tanti viri diligentia atque opera, quam in expolienda *Arte ſua grammatica* (a) adhibuit, eſt laudanda, quam modeſtia ipſius admiranda, cum de ea ipſa in epiſtola præfixa parce admodum ſtatuerit. *Ea ingenii mei*, ſub finem inquit, *vis non eſt, ut omne id valeam, quod velim: nec ſtudia gravio-*

(a) Quæ *Tomo II. Operum* continetur.

ra, vel negotia etiam, quibus quotidie obruor, praeſtare illud ſinunt, quod alioqui poſſem. Lampada igitur hanc illis trado, qui ingenio & otio magis abundant. Mihi vero tam moleſta haec opera non prorſus perierit, ſi alii, ea adiuti, minori deinde negotio hanc artem ad faſtigium ſuum perducant. Nec fefellit tantum virum haec opinio, quam de laboribus ſuis conceperat. Quin imo experientia nos edocuit, quamplurimos, huic rei operam ſuam poſt eius fata impendentes, veſtigiis illius inſiſtere, ſibique lumen de ipſius lumine accendere, elaboraſſe, & minori labore hanc ſpartam exornaſſe. Ceterum, cum unicuique diſſentiendi ius humaniſſime atque liberrime reliquerit, dummodo aliquid afferat, quod conducat, & ad hanc rem magis magisque ſtabiliendam faciat, nec iniuriam tanto nomini me facturum puto, ſi pauca quaedam hic recenſeam, quae minus clara atque certa propoſita videbantur, operam ſcilicet omnem daturus, ut certiora reddantur.

II. Occupati inprimis jam tenebimur circa partem aliquam *Cap. XLI Lib. VII* (b) excutiendam, ubi larga ſeges participiorum paſſivorum apparet, quae per Synecdochen, ut dicunt, accuſativo iuncta leguntur, contra perpetuam linguae Romanae conſuetudinem. Tentabimus itaque eas loquendi formas ad priſtinum ſuum nitorem perducere, omnemque rem ita expedire, ut cum univerſa Romana dicendi ratione conveniat. Faciliora hic, atque

(b) *Pag. 419 Art. Gram. Oper. T. II.*

atque minus dubitata, in limine ponenda ſunt, ut difficiliora melius inde explicentur. Qua de cauſa teſtimonium quoddam *Gellianum*, ſatis expeditum, plane conficiendum primo loco curabimus. Ex *Critolao Gellius Lib. XI Cap. IX* (c) de *Demoſthene*, legatis Mileſiorum primo infeſto, accepta vero pecunia, propitio atque reconciliato, recenſet, quod eo die, quo res illa denuo agi cœpta eſſet, ipſe lana multa collum cervicesque circumdediſſet, in populum prodiiſſet, &, ſe Synanchen pati, dixiſſet. Cuius rei enarrationem Auctor ille diligentiſſimus ſequentibus verbis expreſſam dedit: *Demoſthenem, lana multa collum cervicesque circumvolutum, ad populum prodiiſſe.* Hic ſibi perſuaſum habuit *Voſſius*, (d) participium paſſivum *circumvolutum* ſynecdochice cum Accuſativo eſſe conſtructum, atque in eos animadvertit, qui, a verbo, ſeu participio, quartum caſum regi, putarent, cum ille potius præpoſitioni, eandem vim habenti, adiungendus eſſet. Facillime quidem nunc largior, multas componendi rationes in ſermone Romano ab omiſſis quibusdam vocabulorum partibus eſſe repetendas. Nulla tamen in hoc foro fictione prætoriana opus eſſe arbitror, præſertim cum ex ipſarum rerum coniunctione aliud quidpiam appa-

(c) *Pag. 257 ſeq. ed. Gronov.*

(d) Conf. *Thomæ Bangii Obſervationes philologicæ Lib. II p. 278 ſeq. Perizonius ad Sanctium p. m. 119, 121 ſeq.* qui ſine cauſa omiſſas in participiorum uſu præpoſitiones crepat.

reat. Ipſe *Voſſius*, (e) *Bangius*, (f) *Perizonius*, (g) aliique, monent, ſæpenumero participia paſſiva præteriti temporis *active* poni, magnamque huius cauſæ ornandæ ergo teſtimoniorum turbam excitant. Participia activa ex genio linguæ Romanæ accuſativum regere, omnibus patet, nec temere id negandum eſſe cenſeo, licet alii habeant, quod perplexius reddant. (h) Ex re ipſa nunc, quod ad *Demoſthenem* attinet, eſt declarandum, quod activa, non paſſiva, ut plurimi dicunt, ſignificatio in *Gellii* enarratione locum habeat. *Demoſthenes* enim ſolus ut *agens perſona* ſiſtitur, quando ad populum prodit; quando aliquid ſe pati dicit; quando pecuniam, uti contra ne dicat, accipit; quando conſilium capit populum fallendi; quin imo quando collum cervicesque multa lana circumvolvit. Quid enim opus eſt, patientem illum dicere, qui ipſe, ita deliberato conſilio, omnia ſuſcipit? Aut quis non putet, rectius dici, *Demoſthenem* circumvolviſſe collum lana, quam circumvolutum eum eſſe collum cerviceſque? Prius enim verbis & rebus favet; poſterius nec res, nec verba, ſuadent. Taceo, quod ſine neceſſitate nulla huiusmodi inordinata loquendi ratio ſit admittenda. Nunc vero commodiſſimus adeſt ſenſus, ſi *Demoſthenem circumvolutum*, *ſeu*, *poſtquam collum & cervices*

(e) *Cit. loc. de Analog. Lib. IV Cap. X p. 343*, ubi quidem præteriti temporis ſignificationem non raro negligit.

(f) *Cit. loc. Lib. I p. 674.*

(g) Ad *Sanctii Minervam Lib I Cap. XV n. 4 p. m. 134 ſeq.* & *Lib. III Cap. III n. 106 p. 369.*

(h) *Perizonius cit. loc. p. 120.*

vices lana circumvolverat, dicamus, & res ipſa docet, nihil cum hac interpretatione pugnare. Ergo nulla ſubeſt ratio, quæ ab hac ordinaria ſcribendi forma nos recedere cogat. *Gellius* itaque, brevitatis & elegantiæ ſtudio ductus, participio utitur, cum id, quod ante *Demoſthenes* fecerat, quam in publicum prodiret, verbis exprimere voluerit. Ea enim huius participii vera eſt ratio, ut nec activam, nec paſſivam, habeat ſignificationem per ſe; ſed tempus modo præteritum eleganter id exponit, ſive actio, ſive paſſio, in eo confecta ſit, nihil abſolute monens, ſed ad res circumſtantes id negotii transmittens. (i) Nec dubium eſt, quin hæc dicendi ratio ori Romano admodum ſit conveniens, cum pari iure *Plinius* (k) *circumvolvere ſeſe arboribus & ſpinis* dixerit, quo *Gellius circumvolvere lana collum* dicere potuiſſet, niſi participium uſurpare voluiſſet.

III. Ad easdem partes *Tacitus* a *Voſſio* vocatur, qui præteritum participium paſſive cum accuſativo poſuiſſe videtur, quando de *Arminio*, cum Romanis pugnante, & male res ſuorum fuga gerente, enarrat, quod niſu corporis & impetu equi pervaſerit, *oblitus faciem ſuo cruore, ne noſceretur.* (l) Ante omnia monendum eſt, nihil in his verbis eſſe mutandum, aut lectionem temere ſollicitandam, quod fieret, ſi, *facie* pro *faciem* legendum

(i) **Multa huius rei argumenta, ex cauſis L. L. proferenda, ſuo loco apparebunt.** Vid. *Scaliger de Cauſis L. L. Lib. I Cap. CXLVIII p. m. 378.*
(k) *Plin XVI, 44, H N.*
(l) *Annal. Lib. II Cap. XVII §. 5.*

dum eſſe, ſtatueremus. Sed ipſe *Voſſius* hic quartum admittit caſum, nihil de ſexto ſuſpicatus. *Oblitus* itaque hoc in monumento *Corneliano* regit accuſativum, qui actionem, non paſſionem, indicat. Et re vera ex ſerie omni apparet, *Arminium* ipſum faciem ſuam cruore, ex vulneribus acceptis repetito, obleviſſe, ſi nobiſcum perpendamus, de unico *Arminio Tacitum* ſermonem facere. Hic ſolus incubuerat ſagittariis, illa rupturus, ni cohortes ſigna obieciſſent. Ipſe denique ſolus evaſit, & nemo aderat, qui illum oblineret, nec, ſi quis adfuiſſet, in tanto diſcrimine rerum, & praecipiti fugae trepidatione, facile opera aliena erat exſpectanda, cum ipſe ſibi proximus, ipſeque cruore adſperſus, quam optime faciem cruore *ſuo*, quod rerum ille enarrator graviſſimus praeclare monet, oblinere poſſet. Omnia itaque huius enarrationis momenta nobis perſuadent, *Arminium* faciem ſuam ipſum obleviſſe, & hac ratione participium adhibitum nec actionem, nec paſſionem, in ſe continere, ſed tempus modo praeteritum adſignificare. In eo enim Auctor noſter verſatur, ut oſtendat, quid *Arminius* ante ea fecerit, quam pervaſit. Et quid hoc fuit? Illud ſcilicet, quod faciem ſuo cruore obleverit. Poſtea vero, quam haec confeciſſet, pervaſiſſe illum dicit, cum non noſceretur. Eleganter ergo *Tacitus oblitum faciem* dixit pro eo, *qui faciem oblevit*. (m) Ubi omnino interpretatio iſta activa non ex vocabulo *oblitus*, ſed ex eius compoſitione, apparet.

IV. Hic interponere liceat, licet a *Voſſio* hac in

(m) Vel, *poſtquam faciem obleverat.*

in cauſa omiſſum ſit, a re tamen propoſita non ſeiunctum videtur, teſtimonium illud *Apuleii*, (n) ubi *perlita* eadem forma, qua, ut ex ſupra dictis conſtat, *oblitus*, uſurpatur. *Ab imis*, inquit, *unguibus ſeſe totam ad usque ſummos capillos, perlita, multumque cum lucerna ſecreto collocuta, membra tremulo ſuccuſſu quatit.* *Apuleius* quidem ille non eſt, cuius ſcribendi ratio ab omnibus probetur, inprimis cum ad tempora *Antoniorum* ætas eius, ferrea ſcilicet ſecula, referatur; iſtam tamen loquendi formam quam facillime ex linguæ Romanæ indole comprobari poſſe puto. *Elmenhorſtius*, (p) hic dictionem *Apuleianam* emendare tentans, *perlinit* pro *perlita* legit. Verum enim vero intempeſtivam hanc lituram arbitror, ideo, quia nulla neceſſitas eam faciendi adeſt, & deinde, quia elegantior fluit oratio, quæ duo, vel plura, participia exhibet, pulchre inter ſe cohærentia. Sed quartus a participio paſſivo hic regitur caſus? Et quidem recte. Non enim patiendi, ſed agendi, habet facultatem, huic participio communem, quod ille idem caſus quartus innuit. *Perlita ſeſe*, idem eſt, quod explicatius dixeris, *poſtquam ſeſe perleverat*. (q) For-

(n) *Lib. III Metamorph. p. 138 ed. Elmenhorſt.* Ubi Pamphile facta bubo fingitur. Ceterum aliæ quoque editiones *perlinit ſeſe* pro *perlita* habent. Conf. *Wouweri* ed. *p. 201.*

(o) Nota quidem temporis ſola non ſufficit ad iudicium de Auctoris cuiusdam ſcribendi puritate ferendum. Conf. *Lipſius* in *Quæſt. per epiſt. Lib. II Ep. 22, Morhofii Polyhiſt. T. I Lib. IV Cap. 14 §. 3.*

(p) *Cit. loc.*

(q) *Falſteri Supplem. L. L. p. 260.*

Forſitan hic auribus Romani aliquid tribuerunt, atque lubentius participio, quam verbo, uſi fuere, cum eadem ſenſus animi exprimendi ratio conſtaret in utrisque.

V. Eodem quoque recurrit illa apud Romanos uſitata loquendi formula, ſecundum quam vocabulum *redimitus* cum caſu quartò ſæpius effertur. Trahit huc inprimis *Voſſius Virgilii* vocem, ita canentis: (r)

— — *Torta redimitus tempora quercu.*

Facile quidem hic concedi poteſt, quod ſynecdochica, quam dicunt, conſtruendi ratio non tam temere, ut in ceteris, ſit effićta. Iſto tamen effugio opus adeo non videtur, ut potiùs faciliori modo omnia poſſint expediri. Quid enim obſtat, quo minus, actiónem præteritam per illud participium deſignari, credamus? Ita enim res poſtulat, ut unusquiſque in honorem *Cereris, quando tempora quercu torta redimivit prius,* (s) motus incompoſitos dare, & carmina dicere, iubeatur ante, quam maturis ariſtis falcem ſupponat. Nec, quid hic cum ſerie rerum, aut dicendi ratione, pugnet, video. Simili quoque interpretandi genere non pauca alia, quæ hoc vocabulum continent, illuſtrari poſſunt rerum Romanarum monumenta (s).

VI. Alium nunc ordo laboris *Voſſiani* excipit *Maronis* verſum, in quo participium paſſivum cum caſu quarto invenitur. Verba hæc ſunt:

Tri-

(r) *Lib. I Georg 349.*

(s) Veri quoque ſimile eſt, pubem agreſtem tempora redimire ipſam, non ab aliis redimiri.

Triſtior & lachrymis oculos ſuffuſa nitentes
Alloquitur Venus.

Plurimi hic receptam admittunt Synecdochen, ſed minus concinne ac feliciter. Qualis enim hæc eſt dictio: *Venus ſuffunditur quoad oculos nitentes lachrymis.* Quinam, aut qua ratione, *Venus* ſuffundatur, ſcire velim. Obſcura ſaltem, niſi plane nulla, ſecundum has interpretandi leges, videtur hæc vox *Virgiliana* (u). *Servius* commodius *ſuffuſam* explicat, *oculos ſuffuſos habentem.* Nec hæc forma plane Romanis incognita videtur, quod ex iis apparebit, quæ infra dicentur. Brevior tamen via erit, nulloſque anfractus habens, ſi active participium hic obvium accipias. Decantat *Maro* (x) *Venerem*, *Iovem* alloquentem, & maxime lachrymantem, vel, quod propius ad vim iſtius verbi accedit, *quæ iam lachrymaverat ante*, quod nitentes, ut fit, oculi prodebant. Eleganter vero Poeta perſonam deſcribit plorantem atque lachrymantem, talem illam nominans, quæ oculos ſuffundit lacrymis. Non tamen actum præſentem, ſed præteritum, tangit, hinc participio utitur temporis præteriti. Quod ex eo cum veritate omnino convenire videtur, quia alias minus decore *Venus* non ſolum *Iovem* gemebunda voce appellaſſet, ſed vates etiam hoc vel unico vocabulo indicaſſet. Rebus itaque ſic ſe habentibus Poeta *Ve-*

ne-

(t) *Virg. Aen. III, 81, Ovid. Faſt. I, 711.*

(u) Quodſi *effuſa* legererut, cum vernaculo noſtro ſermone conveniret, quo dicitur: *Ich bin ausgeſchüttet.* Sed de induſtria *Maro ſuffuſam* dixit.

(x) *Aen. I, 232.*

nerem, quæ oculos lachrymis ſuffuderat, (y) dicit, quoniam ante hoc alloquium lachrymas effuderat. *Suffuſa* itaque eſt, *quæ ſuffudit*. Quæ interpretandi forma nec cum rebus pugnat, nec cum linguæ Romanæ indole & elegantia, quin imo nullas habet difficultates. Ad hoc amplius declarandum in partes meas voco eundem vatem, qui in forma activa hunc loquendi modum nobis exhibet, quando lunam rubicundam ita depingit:

Si virgineum ſuffuderit ore ruborem (z).

Quæ vocabulorum compoſitio eadem plane eſt facie, qua noſtra ſuperior fuit, quia & hoc recte dicitur, *os ſuffundere rubore virgineo.* Patet illud tam ex ante dictis, quam ex rei natura. Quodſi enim aquam in terram effundimus, &, *ſuffundere aquam terra,* (a) &, *terram ſuffundere aqua,* poſſumus dicere. Hoc & *Tullius* (b) confirmat, qui, *perfundere aliquem iudicio,* ſcripſit.

VII. Illis, quæ iam dicta ſunt, affine eſt iſtud, quod *Lucanus* (c) cecinit, & a *Voſſio* ad eandem Synecdochen relegatur. Dicitur ibi:

— — — — ſolutas
In vultus effuſa comas Cornelia puppe
Egrediens.

Sed hic verus rerum ordo nulla ratione admittit, ut de figmentis illis grammaticis præter neceſſitatem

(y) *Die Augen umher mit Thränen begoſſen.*
(z) *Georg. I, 430.*
(a) *Plaut. Ciſt. I, 1, 37.*
(b) *Or. p. Roſc. Cap. 29.*
(c) in *Pharſal. Lib. IX v. 172.*

ſitatem aliquid ſtatuamus. Quid enim hoc ſignificaret: *Cornelia, puppe egrediens, effunditur quoad ſolutas comas in vultus.* Nihil hæc interpretatio, quod probabile, & intellectu facile, ſit, continet. *Sulpicius* (d), eandem viam ingreſſus, quam *Servius* ſupra, *effuſam* illam dicit, *quæ effuſas comas habet*. Nec male. Melius tamen factum eſſe puto, ſi caſum quartum, quod ordinarie fieri ita videmus, cum ſignificatione præteriti participii activa coniungamus. Atque hoc exponendi modo *Cornelia effuſa comas*, illa erit, *quæ ſolutas comas effudit in vultus*. Facillimam & rei convenientiſſimam hanc interpretationem, quæ ſine ulla verborum hæſitatione, & prolixioribus ambagibus procedit, eſſe arbitror.

VIII. Maiori ſpecie, ut ad *Virgilium* (e) revertamur, nobis ſe commendat ille, quem *Voſſius* ad eundem cenſum retulit, locus, ubi inter ceteras belligerantes gentes etiam

— — — *picti ſcuta Labici*

commemorantur. Hic minus commode Labici dicuntur picti, *quoad ſcuta*, quia quammaxima hæc verba laborant obſcuritate, quæ de ſubiecto aliquid prædicant, quod in illo nullo modo invenitur. Picti Labici nominantur, qui picti non ſunt. Picta modo habent ſcuta. Nonne elegantius & dilucidius *picti* per eos exponi poſſent, qui *pinxerunt ſcuta* ſua? Tunc quarto caſui ex more Romanorum loquendi ſua conſtaret ratio, nec difficultas

(d) In interpretatione ſua ad *h. l.*
(e) *Lib. VII v. 796.*

cultas in modo compoſitionis deprehenderetur, nec in ipſa re ſignificata quidpiam lateret, quod veri non ſit ſimile. Sed hoc fortaſſe veritati repugnat, quod unusquisque Labicorum ſcutum pinxerit, omnibus quippe artis pingendi non peritis. Quid tum? Nonne conſtat inter omnes, quod illud, quod quispiam facit per alium, per ſe feciſſe putetur? Vel, ut planius dicam, quod ſentio, a *Marone* hic virtus bellica (f) Labicorum deſignatur, cuius inſigne hoc erat teſtimonium, quod ſcuta eorum multo ſanguine fuerint picta. Tironum vero & inertium militum ſcuta pura & alba dicebantur, cum nondum illa ſanguine pinxiſſent.

IX. Maioris vero operæ eſt, quod lubentiſſime fateor, illam loquendi formam ad hunc, quem declaravi, uſum vocare, quando idem Poetarum princeps, occultas res decantans, ſequenti verborum utitur compoſitione: (g)

— — — *Inſcripti nomina regum*
Naſcantur flores.

Id quidem per ſe patet, participium præteritum hic nulla ratione paſſivam ſignificationem admittere, licet cum *Voſſio* per omiſſam præpoſitionem eius cum Accuſativo cohærentiam ſtatuere velis. Quid enim hoc ſignificaret: *Flores inſcripti* quod ad *nomina regum.* Flores enim non ſunt inſcripti, ſed nomina in floribus. Nec patet ex his dictis, quonam hi flores inſcribantur, aut quæ cauſa huius

(f) Vid. *Taubmannus ad h. l. p. 807, Virgil. Aen. Lib. IX v. 548.*

(g) *Bucolic. III, 105 ſeq.*

huius (h) reſtrictionis afferri queat. Optime itaque activa adſciſcitur ſignificatio, per ellipſin forte reſarcienda, atque ita explicanda: *Flores, qui* (i) *inſcripſerunt in foliis ſuis nomina regum.* Ad verborum omiſſorum rationem indicandam *Maro inſcribere*, quam (k) *deſcribere*, dicere maluit, cum poſterius illud verbum magis ad rem deſignandam atque delineandam alias adhibeatur, quam prius. Ceterum cum iſta explicata dictione, hac ſuper re ſuppeditata, non ineleganter convenit (m) *Tullii* vox, *in illis*, dicentis, *libris, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt.* Licet hoc concedendum ſit, quod in noſtro exemplo inſcriptio iſta non proprie, ſed comparate, fiat. Quae tamen cauſa ad rem præſentem nihil incommodi affert. Quodſi alii habeant, qua melius me edoceant, devinctiſſimum me ſibi habebunt, quia hac in dictione rem omnem acu tetigiſſe nolim putari, quamvis, quod iſti interpretationi ſit adverſum, mihi plane non conſtet. Evictum itaque hac ratione videtur, quod caſus quartus a participio præterito, active uſurpato, regatur.

X. Nullum vero Auctorum veterum teſtimonium manifeſtius hoc teſtatur, quod adſtruere elaboramus de uſu participii præteriti, quam *Horatianum* iſtud:

Quo

(h) *Quod ad nomina* ſcilicet.
(i) Germanice vertas: *Welche auf ihren Blættern geſchrieben, oder gezeichnet haben.*
(k) Quod *deſignare* ſæpiſſime ſignificat.
(l) *Pro Archia Cap. XI.*

Quo pueri magnis e centurionibus orti
Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto.
Ibant.

Deſcribit hic *Flaccus* (m) *Flavii* cuiusdam ludum, ſimulque enarrat, quinam pueri, quibusque armis inſtructi, eum frequentarint. Ad hanc rem vocabulis recte exprimendam, eleganter participio utitur præterito, num activa, an paſſiva, ſignificatione, disquirendum venit. *Suſpenſi* ibant, inquit, pueri *loculos tabulamque* læſo lacerto. Quod ſi paſſive accipiatur, nulla ſubeſt ratio, quare caſus quartus in hac dicendi ratione ſit adoptatus. Nec vulgaris illa præpoſitio omiſſa, quam plurimi ſtatuunt, ad hanc rem iuvandam aliquid facit, cum ſana ſuadeat ratio, eam *Flacci* mentem non fuiſſe, quod pueri *ſuſpenſi* fuerint, *quod ad loculos atque tabulam.* Pueri enim non ſuſpenſi erant, ſed loculi atque reliqua, quæ ſecum portabant, arma. Aliis interpretibus *ſuſpenſi* ſunt, qui *ſuſpenſos habent.* Sed hac ratione plane activa (n) conceditur ſigni-

(m) *Serm. Lib. I Sat. VI v. 73 ſeq.*

(n) Pertinent huc, quæ *Voſſius cit. loc. Lib. VIII Cap. LI p.435* ſimili fere in cauſa dixit. Conf.*Cic. ad Div. XIII, 17, Plaut. Pœn. IV, 2,68, Ter. Hec. V, 1, 26,* ubi *ſegregatum habuiſſe* pro *ſegregaſſe* ponitur. Ambigua tamen hæc forma dicendi eſt, quod per exemplum quoddam certius reddam. Si inquis: *Habeo compactum hunc librum,* duplex huius dictionis ſenſus erit, vel, *quod ipſe hunc librum compegerim*, vel, *quod hunc librum poſſideam, non eadem, ſed compactum,* ab operis ſcilicet. Eadem ambiguitas in vernaculo noſtro deprehenditur. ſer-

ſignificatio. Deinde elegantius potuiſſet dici: Ibant *ſuſpenſis loculis tabulisque.* Nec opus eſt his ambagibus. Participium enim ſine ulla difficultate cum accuſativo iungitur, & hunc exhibet ſenſum commodiſſimum: Pueri, *qui ſuſpenderant* lævo lacerto loculos atque tabulam, antequam in ludum ibant, ſeu, quod idem eſt, *poſtquam* loculos lacerto *ſuſpenderant.* Quod indicio nobis eſt, formam huius participii ad deſignandum tempus pertinere, cetera ex rebus circumſtantibus eſſe colligenda.

Niſi me fallunt omnia, huc etiam referenda eſt vox iſta *Flori* (o), qua *Luculli* iter, per mare ſcilicet pedibus incedentis, ita deſcribit: *Lucullus, utre ſuſpenſus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul, quaſi marina piſtrix evaſerat.* Hoc in teſtimonio *ſuſpenſus* active uſurpari videtur, quod duplici conficiam argumento. Primo exinde hoc patet, quod commodus eſt ſenſus, ſi *Lucullum* eum habeas, qui ſubtus *utre ſuſpendebat*, quod omnino erat veriſſimum. Deinde (p) *Suetonius*, diligentiſſimus Auctor, ad ſimilem actum deſcribendum participium adhibet activum, de *Cæſare* ſcilicet, ſi *flumina morarentur*, enarrans, *nando traiiciebat, vel innixus inflatis utribus. Innixus* ille eſt, *qui innitebatur.* Quæ forma plane eſt activa, licet de-

po-

ſermone: *Ich habe das Buch gebunden.* Et hæc quoque cauſa fuit, quare, per ſimplex verbum activum hoc participium exponendum eſſe, potius crediderim.

(o) *Lib. III Cap. V §. 16.*

(p) *Cæſ. LVII, 4.*

nondum omnia ſunt poſita. *Plautus* (a) nobis vellicat aurem, qui paſſivam huius verbi formam cum quarto caſu coniunxit, ipſo *Voſſio* iudice. Verba hæc ſunt:

Tun' me indutum fuiſſe pallam prædicas?

Sed in ſalvo res eſt. *Menæchmus Soſicles* hic non, quid paſſus fuerit, ſed quid egerit, repetit. Quodſi enim paſſive *indutum fuiſſe* accipiendum eſſet, non cum quarto, ſed ſexto, caſu coniunctum legeretur, quam coniunctionem ſcilicet paucis ante verſibus exhibet (b). Sententia eius itaque hæc eſt ex opinione *Peniculi*, quod aliquando *fuerit talis, qui induiſſet pallam* (c), adeoque nec, qui *induiſſet* pallam (d), nec, qui *indutus fuiſſet* (e) palla. Omnia enim iſta diverſa expreſſione gaudent. Quod præter alia etiam nos docet, participia præterita, cum verbo ſubſtantivo, quod dicunt, compoſita, formam ſuam retinere, & temporis adſignificationem exprimere, reliquis ex rebus circumſtantibus collectis. Quodſi fingamus, deponentialiter hic poni, tunc hic excipiendum foret, quod de illo certum atque indubitatum nihil conſtaret, & deinde idem, quod *induiſſe* ſignificaret. Sed id verba *Plautina* ſibi non volunt. Ceterum negan-

(*a*) *Mænechm. Act. III Sc. II v.* 49.

(*b*) *c. l. v* 47.

(*c*) *Der die Palla angezogen gehabt hatte.*

(*d*) Non: *Der ſie angezogen hatte.*

(*e*) Nec: *Der angezogen worden.* Ex quibus patet, maximam vim ſuperioris illius dictionis ad tempus declarandum pertinere, &, *indutus fui*, ſignificare, *ich habe angezogen gehabt.*

gandum non eſt, difficillimam videri huius verbi explicationem, quia, præter participium ſuum præteritum, etiam *induitur* cum quarto caſu conſtruitur (f). Sed quæſtio illa huc non pertinet, ubi de participiis modo præteritis ſermonem inſtituimus. Licet inficiandum non ſit, neceſſario verba quædam paſſiva quartum caſum adſciſcere; nondum tamen expeditas habeo rationes, quare idem in noſtro præſenti argumento fiat. Tempus forte, & ſolertia aliorum, hoc aliquando docebit.

XII. In reliquis, a celeberrimo *Voſſio* allatis, teſtimoniis Auctorum veterum, conſentio cum eiusdem diligentiſſime ſuppeditata interpretatione, niſi vocabula, *braccati* & *veſtiti* (g), a *Pomponio Mela* cum accuſativo conſtructa, temporis præteriti activi rationem habeant. Quod hiſtorico ſcribendi generi nullo modo adverſatur. Sed hæc ſuo relinquam loco. Unicum adhuc mihi dubium videtur, a *Gellio* nobis relictum, monumentum *Q. Metelli Numidici*, ubi accuſativus cum forma verbi paſſiva conſtructus videtur. Cui ſententiæ & *Gellius* (h) & *Voſſius* ſubſcribunt. Aliter tamen, pace tantorum virorum, hoc mihi videtur. Caſum ſcilicet quartum a præpoſitione omiſſa regi arbitror, eumque ita cum verbo eſſe connectendum, quod *legati ſint exacti* propter *maximas pecunias*. Quem dicendi modum vel eo accipias ſenſu, quod legati, Romam ad Senatum queſtum venientes, *expulſi quaſi* fuerint ob nimiam pecuni-

 arum

(f) *Voſſius c. l.* (g) *Lib. II Cap. 1.*
(h) *Lib. XV Cap. XIV pag. 685. ed. Gron.*

arum exactionem: vel, quod id queſti fuerint, ſeſe *vexatos eſſe* ob pecunias quam maximas imperatas. Utraque ſignificatio huic verbo, quod vocabulorum tabulæ indices docent, competit. Hæc ſi ſibi conſtent, unicuique facile apparebit, nullum huic teſtimonio eſſe locum inter formas paſſivas, caſum quartum ſuſcipientes, cum ille a præpoſitione omiſſa dependeat.

Ceterum ex his apparet, eum in finem hæc omnia diſputata eſſe, ut magis magisque uſus participii præteriti hinc eluceat, & illi erroris ſui arguantur, qui activam ipſi facultatem denegant, cum tamen ea auctoritate, ex indole Romanæ dictionis, in univerſum conſideratæ, omnino gaudeat. Cuius rei confirmandæ gratia alia alio tempore argumenta propinabimus, ſuo unicuique iudicio relicto.

VI.

FRIDERICI OTTONIS MENCKENII
AD
DVO LOCA OVIDII
ANIMADVERSIONES CRITICAE.

N*aſonem* ita omni ex parte expolitum, ne quid in magno eius corpore maculæ ſuperſit, nolim, a me exſpectes, Lector. Infinitus, &, ſi ſummorum hominum facultatibus, hoc magis meis, maior, eſt hic labor; nec in hoc, ſi poſſim, nunc iubet deſudare. Satis dediſſe & voluptati meæ, &

com-

commodis Lectorum, videbor, ſi, ut rectius ſe habeat membro uno & altero *Ovidius*, ut, qui toto corpore haud leviter ægrotat, ſaltem manibus, aut pedibus, melius deinde valeat, denique ut ea ſui parte, qua ſatis recte valet, ſed quam intempeſtiva Criticorum remedia miſere afflictarunt, robur in poſterum ac firmitatem ſuam tueatur, qualicunque mea, non dicam arte, quæ fortaſſe nulla eſt, ſed opera, perfecero, plura præſtandi, iis, quibus nihil eſſe in re critica occultum ſolet, gloria relicta. Hoc me modulo & debeo, &, ut bene noſti, Lector, ſoleo, metiri; nec me huius ſtudiorum meorum tenuitatis pudet, qui longo uſu hoc didici, etiam parva hæc, & ſpecie minuta, quo minus invidiæ, hoc plus ad bonas literas utilitatis, habere.

Antiquiores *Ovidii* editiones verſum nobis *Triſt. III, 3, 21*, hunc exhibent:

Si iam deficiam, ſuppreſſaque lingua palato,
Vix inſtillato reſtituenda mero.

De cuius lectionis integritate primus, ni fallor, *Nic. Heinſius*, isque ſatis probabili ex ratione, dubitavit. Non hanc addidit ipſe in Notis ad hunc locum; at omnes facile, etiam haud moniti, intelligunt, inde deſumtam eſſe, quod ſenſu careat hæc ῥῆσις: *lingua palato ſuppreſſa*, & difficile admodum explicatu ſit, qui fieri poſſit, ut lingua a palato ſupprimatur. Nam, ſi totus homo deficit, ipſum cum lingua palatum ægrotat, nec magis dici poteſt, linguam a palato, quam palatum a lingua, ſupprimi. Si cui vero in mentem veniat ſuſpicari, *linguam palato ſuppreſſam* idem eſſe, quod *lingua,*

qua ſub palato premitur; non huic prius aſſenſum præbebimus, quam eam dicendi rationem pluribus confirmatam dederit Auctorum veterum exemplis, quorum quidem mihi nihil eſt cognitum. Recte igitur, emendandum eſſe hunc verſum, feliciſſimus ille Poetarum interpres, *Heinſius*, iudicavit. Et ipſe quidem, fruſtra petita a libris MStis ope, qui vulgatam lectionem ad unum omnes tuentur, de ſuo ingenio meliora ſperans, ita emendavit hunc locum, ut legeret:

Si iam deficiat ſuppreſſo lingua palato,

vel:

Si me deficiat &c.

Atque poſtremam hanc legendi rationem ideo præferre alteri videtur, quod *Ovidio* verbum *deficere* ſemper caſum quartum regat. Quæ ſi ita vult intelligi, ut nunquam caſu tertio uſurpatum hoc *Naſoni* verbum ſit; ſatisne recte hæc ſe habeant, poſtea videbimus; ſin, quod malim credere, ita ſunt accipienda; ut abſolute nunquam *Ovidio* hoc verbum ponatur, atque adeo melius ſit, legere: *Si me deficiat*, quam *Si iam deficiat;* excidere hoc potuiſſe *Heinſio*, hoc magis miror, quo certius hanc verbi *deficere* abſolute ponendi rationem, præter multos alios, ipſe ille, quem loco huic geminum dicit, *Naſonis* verſus, *ex Pont. I, 3, 9,* tuetur:

Et iam deficiens ſic ad tua verba revixi,
Ut ſolet infuſo vena redire mero.

Quem verſum cum geminum illi alteri dicit *Heinſius*, ſimilitudinem hanc non tam in verbo *deficere*, quod in altero verſu de toto homine, in altero

de

de parte hominis, lingua, uſurpatur, quam in illa vini ad reſtituendam linguam aptiſſimi ſententiola poetica, inveniſſe videtur; ut adeo, parum dextre *Heinſii* veſtigia preſſiſſe *Iſ. Verburgium*, putem, qui huic æque *Naſonis*, ac illi *Quintiliani Decl. XIX Cap. 15* loco: *Miſera temporis illius recordatio, deficientem in manibus meis filium vidi, adſpexi ora pallentia*, eam in *Notis in Triſtia P. Ovidii Naſonis pag. 78* vim tribuit, ut hinc, quo ſenſu *deficere lingua* dicatur, appareat. Hoc enim ſi oſtendere locis Auctorum ſimilibus *Heinſius* volebat, non ſane verſu *Naſonis* tali, in quo *anima* hominis, non *corpus*, *deficere* dicitur, uſurus videbatur, qui ignorare loca tot alia non poterat, ob id multo rectius hic proferenda, quod *membra*, *manus*, *nervos*, *deficientes* nobis proponant. Pertinent huc illa *Lucretii V, 885*:

Membraque deficiunt *fugienti languida vita*;

& alia *Ovidii Met. VIII, 492*:

Deficiunt *ad cœpta* manus;

eiusdemque hæc *Amor. III, 9, 58*:

Me tenuit moriens deficiente manu;

quibus ſimilia ſunt illa *Claudiani XXVIII, 352*:

Deficeret *ſi noſtra* manus.

His addimus alia *Naſonis Triſt. V, 1, 12*:

Utque iacens ripa deflere Cayſtrius ales
Dicitur ore *ſuam* deficiente *necem*;

& *Met. XII, 567*:

— — — *ſed rupti vulnere* nervi
Deficiunt.

Ex his, inquam, locis melius, quam ex duobus illis, quos, ut vidimus, *Verburgius*, & ex parte *Heinſius*, adduxerunt, cognoſcere *linguæ deficientis* rationem liceat; ſi quidem ita dicendum ſit cum *Heinſio*, *deficere* in verſu illo, de quo ſermo nobis, & abſolute poni, & idem, quod *minui*, *viribus deſtitui*, notare, illud autem *ſuppreſſo palato* caſu debere ſexto accipi. De qua verſus *Ovidiani* ſive explicatione, ſive emendatione, libere, quid mihi videatur, dicam, ſi prius *Burmannum*, *Heinſianæ* eruditionis æmulum, de hac maximi Criticorum coniectura iudicantem audiverimus. Is, legiſſe ſe apud veteres Auctores, ait, *ſuppreſſam vocem*, *linguam*, *lacbrymas*, & ſimilia; ſed non æque legiſſe *ſuppreſſum palatum*, nec ſatis huius formulæ vim ac ſenſum capere. Itaque, formulæ huius inſolentia ductus, coaluiſſe, vitio librariorum, duas voces in unam, & pro *ſuppreſſo* legendum *ſub feſſo*, ſuſpicatur. Nec dubitat ipſe, voces duas, *preſſus* & *feſſus* facile confundi poſſe, idque factum in verſu *Naſonis Amor.* I, 214:

Detrectant preſſi *dum iuga prima boves.*

Atque huius medicinæ ut inſignis per ſe virtus eſt, ita, ſi corpori ægroto, & hanc ipſam expetenti, fuiſſet allata, ſine dubio vim in eo præſentiſſimam habuiſſet. Satis apte *feſſum* hoc in loco dicitur *palatum*; ſive vocem hanc pro *laſſo* & *fatigato* accipias: quo ſenſu *vocem* Ovidius *feſſam* dixit *Triſt.* III, 3, 86:

Scribere plura libet; ſed vox *mihi* feſſa *loquendo*
Dictandi vires, ſiccaque lingua, negat;

ſive

ſive idem valere dicas, quod *ægrotus*, ut eſt in verſu *Naſonis Heroid. XXI, 14:*

Languor enim, cauſis non apparentibus, hæret,
Adiuvor & nulla feſſa *medentis ope;*

& in illis *Taciti Ann. XVI, 13: Ætate, aut* valetudine, feſſi *ſacramento ſolvebantur;* & in aliis eiusdem *Hiſt. III, 2: Circo quoque, ac theatris, & amœnitate urbis, emollitos, aut* valetudinibus feſſos. Potuiſſe igitur *Ovidium*, ſi voluiſſet, *feſſum* dicere *palatum*, vix cauſam invenire, cur dubitemus, liceat, niſi hoc unum forte obiiciatur, Auctoribus antiquis ipſos tantum *homines feſſos* dici pro *ægrotis*, non item *corporis humani partes*, ut *manus*, *pedes*, *brachia*, atque adeo inuſitatum aliquid habere *feſſum palatum*, nec, niſi urgente neceſſitate ſumma, tribuendum *Ovidio* videri. Me quidem ad applaudendum huic emendationi facilem haberet *Burmannus*, ſi ſatis demonſtratum hoc dediſſet, emendatione opus eſſe formulæ, *palatum ſuppreſſum*, nec ei locum concedi in Latio poſſe. Nam, quæ vitii nihil habent, emendare, & bona æque bonis permutare, inutilis prorſus labor eſt, nec, quantum ingenii, tantum laudis, habens. Neque vero, quod in uno hoc *Naſonis* loco *ſuppreſſum palatum* legitur, aut quod huius formulæ aſſequi ſenſum haud potuit *Burmannus*, ideo emendari hæc debuit. Quantum aut operæ inſumendum Criticis, aut divitiarum eripiendum linguæ Romanæ, foret, ſi, quæ ſemel tantum apud Auctores veteres leguntes, ea eiici, & moveri loco ſuo, omnia iuſſeris. Non, quam ſæpe, ſed quam recte, vocem, aut formulam, uſurpaverint Auctores, quærimus, cumque

Lati-

Latine dici multa poſſint, quæ nunquam uſurpata, quidni, quæ ſemel tantum? Quod autem, formulæ, *ſuppreſſum palatum*, capere ſe vim & ſenſum, negat *Burmannus*; id equidem ab homine linguæ Latinæ peritiſſimo, & ad intelligenda ea, quæ facile poſſunt intelligi, ingenii minime hebetis, vix exſpectaveram. Non enim, huic incognita fuiſſe tot exempla, putem, unde hoc conſtare poteſt, *ſuppreſſum* dici omne id, *quod vim ac virtutem ſuam perdidit, idque eſſe, quod fuerat ante, deſiit.* Ita nempe *animum cibo ſupprimi*, hoc eſt, *aciem mentis hebetari*, dixit *Plinius Hiſt. nat. XI, 37: In hac* (ſcil. *membrana*) *fuit & peculiaris cauſa vicinitas alvi, ne cibo* ſupprimeretur animus; ita *ſuppreſſum mente dolorem* Lucanus habet, tanquam eum, cui fraena ſunt iniecta, *VI, 228:*

Ille tegens alta ſuppreſſum *mente* dolorem,
Mitis;

ita etiam *fons ſuppreſſus* Ovidio non eſt alius, quam cuius liber eſſe curſus deſiit, cuius lentum & valde impeditum flumen aquarum eſt, *ex Ponto IV, 2, 18:*

Scilicet ut limus venas excæcat in undis,
Læſaque ſuppreſſo fonte *reſiſtit aqua;*

& *Met. XV, 280:*

Nec non Sicanias volvens Amenanus arenas
Nunc fluit; interdum ſuppreſſis fontibus *aret.*

Alia taceo, cum ex his ſatis poſſit intelligi, *palati ſuppreſſi* eam eſſe vim, ut *morbo affectum, &, quam*

natu-

natura dederat, *deſtitutum virtute*, notet. Sed eſt alia vocabuli *ſuppreſſus* notio, quæ fortaſſe ad hunc *Naſonis* verſum illa altera melius accommodari poteſt. Nimirum in variis Auctorum locis idem valet *ſupprimi*, quod *contrahi*, *conſtringi*; eſtque ea vocis vis in formula, *ſupprimere habenas*, *Naſoni* uſurpata *Art. am. III*, 467:

Fertque animus propius conſiſtere, ſupprime habenas,
Muſa; *nec admiſſis excutiare rotis*;

& *Met. VI*, 709:

Nec prius aerii curſus ſuppreſſit habenas,
Quam Ciconum tenuit populos;

& in alia, *lora ſupprimere*, qua idem uſus eſt *Ovidius Amor. I*, 13, 10:

Roſcida purpurea ſupprime lora *manu*;

& *ex Ponto II*, 8, 24:

Parce, *vir immenſo maior virtutibus orbe*,
Iuſtaque vindictæ ſupprime lora *tuæ*.

Similiter *mentum ſuppreſſum* pro *contracto & breviori Varro* dixit *de R. R. II*, 9: *Facie debent eſſe formoſi*, - - - *labris ſubnigris*, *aut rubicundis*, *neque reſimis ſuperioribus*, *nec pendulis ſubtus*, mento ſuppreſſo; &, quod inprimis facere huc videtur, *ventrem ſuppreſſum* pro *adſtricto* habet *Celſus de re med. Lib. I Cap. 3*: *Deiectio autem medicamento quoque petenda eſt*, *ubi* venter ſuppreſſus *parum reddit*, *ex eoque inflammationes*, *ca-*

ligines,

ſæpiſſime Auctoribus antiquis, & ipſi in his *Naſoni*, idem valere, quod *opem negare rei*, *nullam operam præſtare.* Sic enim, ut multa *Ciceronis* & aliorum loca taceam, vel ipſe Poeta noſter *Amor. III, 8, 17:*

Quæ mihi ventura eſt (ſiquidem ventura) ſenectus,
Cum deſit numeris *ipſa iuventa ſuis?*

& *ex Ponto III, 4, 79:*

Ut deſint vires, *tamen eſt laudanda voluntas;*

& *Her. XXI, 235:*

Hoc Deus & vates, hoc & mea carmina dicunt;
At deſunt voto carmina nulla tuo.

Plura accumularem, ſi quem lectorum ita hoſpitem in Latio putarem, ut ex infinitis numero exemplis, quæ formulæ hanc vim tuentur, cognitum ipſi nihil ſit. Itaque, cum, *linguam palato deeſſe*, dixit *Ovidius*, hoc dixit, *linguam, ſine qua palatum nihil emittere vocis poteſt, huic negare opem ſuam, ut ſic uſus ſermonis ceſſet, quem palatum cum lingua communem habet.* Norunt enim rei naturalis periti, quodam velut vinculo inter ſe colligata eſſe hæc duo, *linguam* & *palatum*, nec, mortuo altero, quidquam vigoris alteri ſupereſſe. Inde ſcilicet *Ovidius Met. VI, 306:*

Ipſa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat.

Me-

Memores igitur præcipuæ Grammaticorum legis, qua Auctorem quemque explicare, ſi fieri id poſſit, ex ipſo, non ex alio, iubemur, nunc etiam *Naſonem* ex *Naſone* explicamus, ita libere iudicantes, formulæ, *deficit lingua palato*, vim ac poteſtatem, quæ eſt alterius, *deeſt lingua palato*, eandem eſſe. Nec, mutandi hanc ſententiam, ſi ad Latinæ linguæ rationem exigatur formula, *lingua palato deficit*, cauſæ quidquam invenio. Omnia neſcit, qui, verbum *deficere* idem valere, quod *deeſſe*, ignorat. Sexcentis id ipſum exemplis firmatur, ſed quorum hic nihil addo, ne rem nemini dubiam te, Lector, videar docere velle. Quod vero *Heinſius*, & cum eo multi, *deficere* apud bonos Scriptores caſum tertium regere, ſevere negant, id quidem me parum movet, ita dudum edoctum, in rebus eiusmodi non debere, quid imperent Grammatici, ſed quid uſu & exemplis Auctorum bonum ſit, ſpectari. Audesne tu, quisquis es, illud dicendi genus Latio eiicere, quod exemplis uno pluribus, & iis omnium Codicum conſenſu optimis, firmatur? Id ſi audeas, iam me poenitet collocati olim in addiſcenda ea lingua ſtudii, quæ non legibus ſuis, ſed libero hominum arbitrio, aut, ut vero utamur vocabulo, libidine, regitur. Eſt hæc quædam Criticorum tyrannis, quam niſi frænis coerceas, actum eſt de illa linguarum omnium principe & regina. Non, quod plurimis Auctorum locis *deficere* caſum quartum regit, ideo vitium ineſſe ceteris, quæ adiunctum huic verbo oſtendunt caſum tertium, putandum eſt. Utrumque caſum regere hoc verbum poteſt, ut alia multa ſolent, paſſim obvia, & magno nu-

mero a me in *Libro Obſervationum Latinæ linguæ* collecta. Vel unum ex his nominabo verbum *moderari*, a *Cicerone* ſæpiſſime cum caſu quarto copulatum, ſed eidem *Ciceroni* adiunctum tertio in hiſce locis: *Lib. V Tuſc. Diſp. Cap. 25: Quibus ab æterno tempore fluentibus in æternum ratio tamen mensque* moderatur; *Lib. I ad Qu. Fr. Ep. 1 Cap. 13:* Moderari *vero &* animo & orationi, *cum ſis iratus, - - tamen eſt non mediocris ingenii;* in *Or. pro Cœl. Cap. 3: Tecum, Atratine, agam levius, quod & pudor tuus* moderatur orationi meæ; in *Or. pro Flac. Cap. 35: Lurco* moderatus *eſt in teſtimonio dicendo* religioni ſuæ; in *Orator. Cap. 16: Quid tandem in cauſis exiſtimandum eſt*, quibus totis moderatur *oratio; Lib. V ad Attic. Ep. 20: Quinto, - - togam puram iubeor dare; cui* moderabor *diligentius*; in *Orat. Partit. Cap. 4: Auditorum aures* moderantur oratori prudenti & provido; ut eiusdem *Ciceronis* alia nunc taceamus. Quæ loca ſi ſuſpecta nemini ob id fuerunt, quod fieri non poſſit, ut idem verbum caſus duos regat; quid eſt, quod non idem iuris ſtatuas in loca Auctorum numero non pauca, quæ verbo *deficere* additum caſum tertium habent? Hæc, cum librorum veterum fide integritatem ſuam tueantur, iure ſuo hoc poſtulant, ut ab inſidiis Criticorum, quantumvis auctoritate pollentium, tuta præſtentur. Vix erit, qui plura deſideret, lectis his: *Manilii II, 78:*

Ut neque deficerent *undæ, nec ſidera*, nobis;

& *Statii Achill. I, 445:*

— — *ipſum iam puppibus æquor*
Deficit;

&

& *Valerii Flacci Argon. II, 597:*

— — *Ne* deſice cœptis;

& *Virgilii VI, 196:*

— — *Tuque, o,* dubiis *ne* deſice rebus,
Diva parens;

& *Silii Italici VIII, 661:*

Parcite, crudeles Superi, iam ſtragis acervis
Deficiunt *campi;*

ubi ſe *acervos* malle, ait *Heinſius*, nulla alia de cauſa, quam quod frequentior purioris aevi Scriptoribus hæc verbi *deficere* cum caſu quarto conſtruendi ratio ſit. Atqui, conſtanter pro recepta ſcriptura omnes libros, qua manu, qua typis, exaratos, ſtare, ipſe, qui nihil diſſentire ab *Heinſio* videtur, *Arn. Drakenborchius* teſtatur, ſatis hoc ipſo confirmans id, quod, *Heinſii* auctoritate ductus, lubenter ipſe vellet perditum. Nec magis idonea utrique horum cauſa fuit, pro *viro*, quod eſt in libris vetuſtiſſimis, *viros* legendi in *Silii X, 193:*

— — *Non haſta* viro, *non deficit enſis.*

Nam, ſi, quod ait *Drakenborchius*, ideo *viros* legi poteſt, quod de Numidis transfugis ſermo ſit Poetæ, habet tamen & illud *viro* ſenſum ſatis commodum, ſi *virum* pro *milite*, quo ſenſu non inuſitatum eſt vocabulum, *militem* autem pro *militum toto agmine*, accipias. Iam & *Propertius* ita *I, 1, 7:*

Et mihi *iam toto furor hic non* deficit *anno;*

cuius verſus ut vitioſa putetur ſcriptura, non ſufficit, cum *Heinſio* (vid. eius *Adverſaria*, a *Petro Burmanno*, iuniore, edita, *pag. 654,*) dicere: *Malim, me deficit*, ſed auctoritate utendum eſt librorum veterum, quorum nullus illud vulgatum

mihi non habet. Sed iam Poetis alios Auctores addimus. In loco *Hygini Lib. II Poetic. Aſtronom. Cap.* 6, ubi vulgo legitur: *Poſtquam* Herculem *tela* deficerent, tres optimæ notæ libros MStos pro *Herculem* habere *Herculi*, teſtatur recentiſſimus *Auctorum Mythographorum Latinorum* editor, *Auguſtinus van Staveren*, qui & lectionem hanc præferre alteri vulgatiori videtur. Eodem modo locutum *Valerium Maximum*, nihil dubitare nos ſinunt verba *V*, 1, *Ext*. 3: *Niſi vinum* nobis defeciſſet; quæ ita legi in libris, quotquot exſtant, vetuſtioribus, docemur à *Franc. Oudendorpio* in *Notis ad Cæſaris de Bel. Gal. Cap.* 5, quo etiam teſte, in verbis *Valerii VII*, 10, *Ext*. 1: *Tempus* deficiet *externa narrantem*, multi Codices exhibent *narranti*. Inprimis vero hic notanda ſunt illa *Cæſaris de Bel. Gal. Lib. III Cap.* 5: *Cum iam amplius horis ſex continenter pugnaretur, ac non ſolum vires, ſed etiam tela*, noſtris deficerent; ubi, ſi fides *Oudendorpio*, dativum mordicus & MSti libri & editiones veteres retinent; ut minime audiendus ſit *Heinſius*, qui contra Codicum auctoritatem *noſtris* mutari in *noſtros* jubet ad *Ovidii Faſt. III*, 66, 5, reiiciens lectores ad alium *Cæſaris* locum *de Bel. Civ. Lib. II Cap.* 41: Noſtros *vires laſſitudine* deficiebant, ſed qui temere huc trahitur, quod hic etiam, teſtante id *Oudendorpio*, in plerisque Codicibus legatur *noſtris*. Similiter in verbis *Cæſaris de Bel. Gal. Lib. II Cap.* 10: *Atque ipſos res frumentaria* deficere *cœpit*, non deſunt libri MSti, qui *ipſis* habeant. Neque vero negandum eſt, exſtare alia eiusdem loca *Cæſaris*, in qui-

bus

bus caſum quartum verbo *deficere* adiunctum Codices ad unum omnes loquuntur. Bene igitur & ad ſententiam meam accommodate *Oudendorpius* in *Nota ad Cæſaris de B. G. III, 5: Et fors utrumque caſum uſurparunt antiqui: unde &* deficio *neutrum &* deficior *formarunt.* Quæ ſi verbi huius vera ac certa fuit ratio; nihil mirum, *Naſonem* huic nunc tertium, nunc quartum, caſum, prout metri id tulerant leges, iunxiſſe. Sed, ut fortiora præſidia hæc loquendi ratio accipiat, addimus etiam aliqua ex *Cicerone* loca, ſed cui magis familiare fuiſſe alterum loquendi genus, bene ſcio. Is in *Or. pro P. Quint. Cap. 1: Quod mihi conſuevit in ceteris cauſis eſſe adiumento, id quoque in hac cauſa* (ſcil. *mihi*) *deficit; Lib. I in Ver. Cap. 11: Vererer, ne* mihi *crimina non ſuppeterent, ne oratio deeſſet, ne vox viresque* deficerent; in *Or. pro Flac. Cap. 26: In ea republica, ad quam opprimendam non animus* eis, *ſed vires,* deficiunt *& defuerunt.* Reſtat, ut, de *Naſone* ipſo ſatisne vere ſcripſerit *Heinſius*, huic *deficere* caſum regere quartum tantum, non item tertium, videamus. Is nempe, cum hæc ſcriberet, non meminerat, puto, *Naſoniani* verſus *ex Ponto I, 5, 8:*

> *Et* mihi, *ſi quis erat, ducendi carminis uſus*
> Deficit; *eſtque minor factus inerte ſitu;*

in quo quidquam vitii ineſſe, nemo adhuc Criticorum, nec ipſe, qui talem nobis in ſua *Ovidii* editione exhibet, & librorum veterum conſenſum teſtatur, *Heinſius*, ſuſpicandi cauſam habuit. Nec alia deſunt *Naſonis* loca, in quibus cum varient MSti libri, aliis quartum, aliis, nec iis minus bonis,

tertium, caſum exhibentibus, vel ipſa hæc varietas oſtendit, iure ſuo abuti Criticos, qui ita legere hæc *Naſonis* loca nos iubent, ut nuſquam caſui tertio, ſemper quarto, locus concedatur. Sunt hæc *Met. II*, *382*, ubi nunc poſt *Heinſium* & *Burmannum* plerique ita:

— — *qualis, cum* deficit orbem,
Eſſe ſolet ;

& *Amor. I, 8, 93:*
Cum te deficient *poſcendi munera cauſa ;*

& *Faſt. III, 665:*
Iam quoque, quem ſecum tulerant, defecerat illos
Victus ;

& *Triſt. V, 13, 28:*
- - ſermonem deficiente *die*.

Hæc, inquam, ita dubia loca ſunt, ut æque noſtram, ac *Heinſii*, ſententiam, quin, ſi quid longior valeat poſſeſſio, noſtram magis, confirment. Sed, utcunque de his ſtatuas, ſatis ex ceteris, paulo ante adductis, non multis tantum numero, ſed auctoritatis etiam non ſpernendæ, Auctorum probatiſſimorum exemplis intelligitur, in bonis & vere Latinis formulis numerari etiam hanc, qua *deficere* coniungitur cum caſu tertio, debere, nec male hanc *Naſoni* tribui in tali verſu, quem, ſi habere hanc ipſam formulam putetur, apte & commode ex alio Poetæ eiusdem verſu poſſe explicari, ſupra vidimus.

Iam legenti mihi alium *Naſonis* verſu

explicando varie elaborarunt varii interpretes, coniecturæ aliquid ſubnaſcitur, quod, utcunque æſtimetur, fortaſſe, hic communicari ſecum, non ingratum fuerit lectori. Eſt is *Met. III*, 269, ubi *Iuno*, conceptæ ex *Iove* prolis ſuſpectam habens *Semelen*, plena indignationis & vindictæ verba in eam effundit, factam ſibi, maximæ Dearum, & *Iovis* ſorori æque ac coniugi, graviſſimam clamitans iniuriam. Ita igitur *Iuno:*

Concipit; id deerat; manifeſtaque crimina pleno
Fert utero; & mater, quod vix mihi contigit uni,
De Iove vult fieri. Tanta eſt fiducia formæ.

Hic in illo *uni* hærent interpretes, quod nihil minus ſit verum, quam unam *Iunonem* ex *Iove* concepiſſe, quippe quam iſta pariendi felicitate plures alias ſibi æquales habuiſſe, fabulæ doceant. Aut igitur falſa dixiſſe *Iunonem*, aut ignarum fuiſſe Poetam numeroſæ ſobolis, a *Iove* procreatæ, oportet; quorum alterum vix veriſimile putari poteſt, alterum de tali Poeta, quo vix alius copioſior fuit in enarrandis *Iovis* amoribus, ſuſpicari nullo modo licet. Horum igitur cum neutrum admitti poſſit; fuerunt, qui illud *uni* ita acciperent, ut ſit pro *ſemel* poſitum, & unius tantum, *Iunoni* ex *Iove* concepti, partus indicium faciat. Hac explicandi ratione tolli *Naſoniani* verſus obſcuritatem poſſe, viſum, præter alios, *Glareano* in *Nota ad h. l.* Qui, ſi hanc, quam voci tribuit, ſignificationem pluribus Auctorum meliorum communitam exemplis dediſſet, gratiam a nobis hac explicatione maiorem tuliſſet, quam nunc ferre poteſt, omni de-

ſtitutus ſive *Ovidii*, ſive aliorum Scriptorum, auctoritate, ſine qua in rebus eiusmodi temere fidem habere nemini ſolemus. Sed, ſi etiam, quod mihi adhuc quidem non videtur, cognita ſatis veteri Latio hæc voculæ vis putari poſſit, recte tamen animadverſum a *Micyllo* eſt, ideo admitti eam in loco hoc *Ovidii* vix poſſe, quod ex Poetis conſtet, partus uno plures a *Iunone* editos, matre quippe *Vulcani*, & *Hebes*, & *Martis*, & *Ilithyæ*, ſive *Lucinæ*, quos omnes in *Iovis* & *Iunonis* ſobole numeraverit Poetarum in hoc genere princeps, *Heſiodus*. Sunt etiam, qui *Gratiarum* parentem faciant *Iunonem*, ut docte obſervatum eſt a *Caſparo Barthio Adverſ. XXXIII, 11*, & *Burmanno* in *Nota ad h. l. Ovidii*, ſed iidem, fuerintne hæ a *Iove*, an ab alio Deorum, procreatæ, dicere nobis, ſilente antiquitate, haud certo potuerunt. Nobis ſufficit numeroſa illa ſoboles, ab *Heſiodo* memorata, quæ, *Ovidianum* hoc *uni* explicari per *ſemel*, minime patitur. Itaque in ſcriptura huius loci vitium agnoſcit *Micyllus*, idque feliciter emendari poſſe ſibi perſuadet, ſi pro *uni* reponatur *uno*, idque ad verba, quæ ſequuntur, *de Iove*, referatur. Eandem emendandi rationem ſecutus eſt *Petrus Burmannus*, idque hoc magis, quod ita exſcriptum in Codice Florentino inveniret. Hunc igitur, interprete *Burmanno*, verba *Naſonis* ſenſum habent: *Cum tot alii ſint, ex quibus poſſit mater fieri Semele, illa non niſi de ſolo Iove vult fieri, quod mihi vix contigit, paucos quæ ex Iove partus edidi, ut Vulcanum & Heben.* Et ſane multum gratiæ habere hæc emendatio apud peritos iſtarum rerum

æſti-

æſtimatores poteſt, ſi modo, vitium ineſſe in vulgata lectione, ſatis certo conſtet, nec ulla, hanc ſervandi, ratio ſuperſit. Nimirum, ne quid diſſimulem, plurimum ego tribuere lectioni tali ſoleo, quæ quandam quaſi antiquitatis poſſeſſionem, & ſedem ſibi propriam in editionibus vetuſtis, habet. Dudum enim exploratum hoc viris doctis eſt, editores veterum Auctorum primos ante oculos habuiſſe auctoritatis non ſpernendæ Codices, quos, niſi manifeſta ſint indicia, erroris alicuius accuſare, haud conveniat. Itaque ſatius mihi videtur, lectionem talem, quam ſatis probabilem quidam quaſi editionum Codicumque conſenſus facit, explicari qualicunque modo, quam, opem a falce critica petendo, in ipſa Auctorum oſſa ac viſcera ſæviri. In quo ſi quis æquior iudex minime me falli exiſtimet; is lubens mecum *Naſoniani* verſus, ut eſt in optimis editionibus exſcriptus, patrocinium ſuſcipiet, &, ſi qua ratione iuvari illud *uni* poſſit, non inutilem hunc conatum iudicabit. Sit igitur ſagaciorum hoc iudicium, an non iuvare illam lectionem ita liceat, ſi voci *unus* alia hic, ac ex uſu vulgari habet, ſed talis tamen, quæ non incognita antiquis fuit, & planiſſimum *Naſoniani* verſus ſenſum facit, ineſſe vis dicatur. Nam, quod in vulgari vocis ſignificatione, qua *ſolum* notat, tanquam in ſcopulo hæſerunt Critici, id ipſum obſcuritatis nebulas loco non per ſe obſcuro obduxit, & difficillimum interpretandi laborem effecit. Minorem ea res moleſtiam habuiſſet, ſi in memoriam ſibi revocaſſent, voculam *unus* uſurpari etiam, ſi a vul-

 gari

pari ſignificatione recedas, de eo poſſe, qui ſive forma, ſive aliis dotibus, præ omnibus, quicunque ſunt, excellit, & in hoc genere *unicus* vocari recte poteſt. Poterant enim ita, & debebant omnino, ratiocinari: ſi nihil ſit dubium, & exemplis veterum conſtet, eſſe hanc, quam dixi, vocis *unicus* notionem, recte eandem ſimili *unus* tribui, quippe quæ cum altera *unicus* prorſus eandem habeat ſignificandi rationem. Iam vero aperta hæc vocis *unicus* vis eſt in verſu *Naſonis Met. III*, 454:

Quisquis es, huc exi. Quid me, puer unice, *fallis?*

Ubi, ſi forma ſpectetur, recte *unicus* appellatur *Narciſſus*, quo non pulchrior decantatus Poetis eſt. Nec deſunt alia Auctorum loca, quæ diligenter collegit *Nic. Heinſius* in Nota ad hunc *Naſonis* verſum. Ex his unum & alterum dabo, ne, omnia proferendo, expilare gazas *Heinſianas* videar. Faciunt igitur ad rem noſtram hæc inprimis *Plauti Aſinar. IV*, 1, 5:

Nam tu poeta es prorſus ad eam rem unicus;

& illa *Catulli ad Cæſarem Carm. XXIX*:

Eone nomine, Imperator unice,
Socer generque perdidiſtis omnia?

Ita enim legit *Heinſius*, ſecus ac *Is. Voſſius*, qui, plures ſecutus, talem dedit verſum:

Eone nomine urbis opulentiſſime?

Idem *Catullus Carm. LXI*, 228:

Qualis unica *ab optima*
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo;

&

& *Propertius ad Cynthiam I, 2, 29:*

Cum tibi præſertim Phœbus ſua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram;
Unica *nec deſit iucundis gratia dictis;*

& *II, 25, 1:*

Unica *nata meo pulcherrima cura dolori.*

Hinc etiam in loco *Apuleii Florid. Lib. I*, quem *Elmenhorſtius*, partim ex *Colvii*, partim ex *Wouweri*, coniecturis, ita effinxerat: *Alexandro illi, longe olim excellentiſſimo Regi, cui ex rebus actis & auctis cognomentum Magno inditum eſt, ne niſi* unicam *gloriam adeptus ſine laude unquam nominaretur*, veterem ſcripturam tuetur *Heinſius*, ita legens verba: —— *ne vir* unicam *gloriam adeptus, ſine laude unquam nominaretur.* His, ab *Heinſio* collectis, exemplis alia duo, inprimis notatu digna, ex *Cicerone* addimus: alterum ex *Or. pro L. Quint. Cap. 12: Reſtat, ut aut ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut* unica liberalitas; alterum ex *Catonis Cap. 17: Quanta fuit in L. Cæcilio Metello? Quanta in Atilio Calatino? In quem illud* elogium unicum: *Plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum.* Quem locum ab impuris Criticorum manibus feliciſſime, meo iudicio, defendit *Grævius*. Neque vero prætermitti debet verſus Poetæ veteris *Bibaculi*, (male enim ipſi *Suetonio* a *Grævio l. c.* tribuitur,) adductus a *Suetonio de Ill. Gramm. Cap. 11:*

Mirati ſumus unicum magiſtrum,
Summum Grammaticum, optimum Poetam.

Sed,

Sed, ut plures ſunt voces, quæ de malis æque, ac de bonis, rebus uſurpantur: quo in numero ſunt, præter alias, *excellere*, *inauditus*; ita de hac etiam *unicus* exemplis doceri poteſt, eam non iis tantum rebus, quæ habent laudem ſummam, ſed vel maxime illis etiam, quæ turpitudine notantur, tribui. Sic enim *Velleius Paterculus* II, 7: *Huic atrocitati adiectum ſcelus* unicum; & *Feſtus*: *Sardanapalus, Rex Aſſyriorum*, unicæ luxuriæ; & *Auctor ad Heren. Lib. III Cap. 6: Si vituperabimus, aut merito facere, quod ita tractati ſumus; aut ſtudio, quod utile putemus eſſe, ab omnibus* unicam malitiam *atque nequitiam cognoſci*; & *Cap. 22: Si egregiam pulchritudinem, aut* unicam turpitudinem, *eis attribuemus*. Eandem igitur, quam eſſe voci *unicus* oſtendimus, ſi vim ac poteſtatem alteri *unus*, nihil ab illo *unicus* diverſi habenti, tribuamus; nec incommode huc vocentur illa *Tullii Parad.* 2: *C. vero Marium vidimus, qui mihi ſecundis in rebus* unus *ex fortunatis hominibus; in adverſis* unus *ex ſummis viris, videbatur, quo beatius eſſe mortali nihil poteſt*; & alia *de Off. Lib. II Cap. 12: Ad* unum *aliquem confugiunt*, virtute præſtantem; denique illa *ad Diverſ. Lib. XV Ep. 16: Quanquam quicum loquor? Cum* uno fortiſſimo *viro: qui poſtea, quam forum attigiſti, nihil feciſti, niſi pleniſſimum ampliſſimæ dignitatis*; facillima ſane verborum *Naſonis*, quæ tantum crucis Criticorum doctiſſimis fixerunt, explicatio eſt, & per ſe illorum ſenſus ita fluit: *Ex Iove concipere optat Semele, quod mihi vix contigit, quæ parem aut for-*

forma, aut poteſtate, nullam habeo. Sive enim de *forma* hæc accipias, ex fabulis conſtat, inter pulcherrimas Dearum *Iunonem* fuiſſe; ſive referas ad *poteſtatem ſummam*, conveniunt huic explicationi ea inprimis, quæ paulo ante Poeta:

— — *Ipſam, ſi maxima Iuno*
Rite vocor, perdam; ſi me gemmantia dextra
Sceptra tenere decet; ſi ſum regina, Iovisque
Et ſoror, & coniux.

Ita quidem putem vulgatam lectionem, quam Criticorum labefactavit paulo ſuſpicioſius ingenium, fulciri ac ſuſtineri poſſe, ut melius ac fortius conſiſtat. Sed nos ſcilicet coniecturas hic proponimus, parati ad ferendum diſſenſum doctiorum, & ad mutandam, ſi qua meliora doceamur, ſententiam.

INDEX

Exod. XIV, 5	216
XV, 20	284
22	469
27	509
XVII, 18	ibid.
XIX, 13	664
22	441
XX.	195
XXVIII, 2	442
40	ibid.
XXX, 34	454
XXXI, 5	665
XXXII, 6	395
XXXIII, 5, 6	211
XXXIV, 1	196
4	ibid.
XXXIX, 4	400
Levit. V, 18	663
VI, 30	21
VIII, 33	665
X, 3	441
XVI, 2	456
13	456, 457
27	21
XVIII, 18	391
XXI, 10	439
11	37
12	438, 439
XXII, 4	37
Num. VI, 6	ibid.
XI, 35	508
XII, 6-8	198
XIII, 21	504
22	505
30	509
XVI, 5	441
XIX, 11	37
13	ibid.
XX, 21	669
XXI, 4	469
10-16	483
18	488
XXII, 5	ibid.
XXIII, 10	37
Num. XXIII, 38	197
XXIV, 20	509
22	499
XXVI, 9	603
XXXI, 19	37
XXXIII, 7	486
9	509
13	475
35	474
36	468, 474
XXXIV, 4	473
9, 10	507
Devt. I, 1	469, 485, 508
II, 1	469
8	468, 474
III, 14	471
IV, 6	406
8	ibid.
VI, 13	601
VII, 13	592
X, 1 ſeq.	196
20	601
XVII, 16	469
XX, 11	213
XXII, 16	212
XXVIII, 4	592
18	ibid.
51	ibid.
68	469
XXXII, 5	197
XXXIII, 12	283, 595
16	427, 438
17	592
21	606
XXXIV, 5	194. 198
Ioſ. II, 18	661
20	ibid.
IV, 6	661
14	663
21	661
VII, 9	665
10	656
22	655
X, 10	484

Ioſ.

Ioſ. X, 12 478
XI, 8 487
17 497
21 492
XIII, 9 483
13 471
17 486
25 483
27 597
XV, 3 473
26 484
39 490
62 588
XVII, 10 484
XIX, 1 ibid.
2 489
3 486
7 484
38 488
Iudic. I, 31 504
36 473
II, 5 497
III, 28 492
VI, 15 591, 598
VII, 24 491, 492
VIII, 1 665
10 501
IX, 37 284
XIII, 23 662
XVI, 30 37
XIX, 9 654
Ruth I, 13 666
1 Sam. I, 24 653
IV, 10 654
14 661
V, 8 655
VI, 4 661
6 654
18, 19 629
21 ibid.
VII, 17 663
VIII, 26 656
X, 18 213
XI, 4 489
XIII, 2 ibid.
1 Sam. XIII, 22 658
XIV, 31 474
XV, 3 666
7 508
12 501
14 661
18 660
34 643
XVI, 14 668
XVII, 4 665
6, 7 584
13 665
26 628
35 664
54 649
57 627
XVIII, 1 6,5, 657
17 654
19 657
23 656
26 668
29 664
30 654
XIX, 2 627
17 643
XX, 1 661
6 627
30 655
XXIV, 16 630
21 665
22 630
XV, 6 509
7 658
18 660
24 628
XXVI, 10 665
XXVII, 8 509
11 510
XXVIII, 8 658
9 648
15 667
2 Sam. II, 2 501
18 484
VI, 5 ibid.
14 ibid.

2 Sam. VIII.	589	1 Reg. II, 22	628, 658
5	590	29	628
8	489	30	665
13	588, 589	32	628
18	441	III, 16	665
X, 11	658	IV, 9	493
14, 15	ibid.	10	479
XII, 27	483	V, 25	668
31	658	VI, 8	658, 659
XIII, 1	661	19	656, 668
15	ibid.	32	658
16	659	VII, 9	664
23	485	46	597
36	655	VIII, 37	627
XIV, 2, 3	622	48	665
13	654	IX, 13	658
22	656	18	486
XV, 15	ibid.	XII, 6	654, 665
18	ibid.	10	654
XVI, 4	ibid.	XIII, 7	658
9	ibid.	14	629
14	642	16	642
XVIII, 13	656	19	ibid.
XIX, 3	642	XIV, 3	622, 628
9	654	5, 6	646
25	656	28	648
35	642	XV, 22	489
XX, 1	654	XVI, 4	642
9	209, 212	24	660
14	470	XVII, 11	664
22	654	13	623
26	440	XVIII, 20, 21	594
XXII, 27	666	XXII, 2	657
XXIII, 18	657	2 Reg. II, 11	628
21	479	16	ibid.
28	472	III, 4	ibid.
33	479	IV, 2	659
35	479, 501	V, 10	628
XXIV, 17	655	11	642
1 Reg. I, 14	661	26	627
15	656	VI, 11	628
II, 15	665	17	659
20	655	VII, 6	627

2 Reg.

Reg. IX, 3	665	2 Par. XXII, 15	[illegible]
7	ibid.	XXIII, 9	659
11	213, 214	XXV, 11	588
12	214	XXXII, 13, 14	213
XIII, 19	662	XXXIV, 13	583
XVII, 6	604	XXXV, 13	659
15	655	Eſther V, 3	661
16	503	Iob. I, 3	476
XVIII, 14	659	IV, 10	664
16	652	XII, 19	441
23	660	XIX, 2	667
XIX, 13	479	15	ibid.
XX, 1	627	XX, 9	668
3	643	XXI, 10	592
6	208	XXXII, 2,	498
XXI, 3	663	28	506
XXIII, 33	505	XXXV, 11	434
1 Par. IV, 28	484	XLII, 13	667
V, 8 ſeq.	474	Pſ. II.	199
17 ſeq.	ibid.	7	[illegible]
23	487	VIII, 8	591
VI, 17	498	XVI, 9, 10	36
XI, 22	481	26	[illegible]
XIII, 5	504	XVIII, 5	646
XVII, 12	627	26	666
XVIII, 3	505	XIX, 5	627
17	440, 441	XXI, 13	596
XIX.	589	XXV.	203
3	586	XXXI, 16	208
5	ibid.	XXXIII, 16	212
8	ibid.	XXXIV, 5	ibid.
12	589	18	ibid.
19	496	XXXV, 7	197
XX, 6	471	XXXIX.	584
XXV, 1	584	XL.	202
XXIX, 19	22	XLIV, 9	582
2 Par. II, 2	583	XLV.	201
10	628	7	ibid.
V, 13	629	9-11	ibid.
VIII, 17	468	XLVIII, 4	200
18	486	XLIX, 15	208
XI, 10	510	LI, 16	208
XX, 25	210, 212, 216	LV, 14	591

* * *

Pſ. LVI, 14	212
LIX, 2	208
LX.	581 ſeq.
6	594
LXII	584
LXVI, 18	677
LXVIII, 4	200
LXXVII.	584
LXXXVI, 13	212
XCII, 11	655
XCV, 6	656
CV, 22	434
38	217
CXXII, 3	398, 400
CXXX, 7	656
CXLII, 7	212
CXLIII, 9	ibid.
CXLIV, 7	ibid.
11	ibid.
Prov. VIII, 13	665
XIV, 4	592
XXI, 31	598
Eccl. IX, 1	652
Cant. I, 1	199
2	193, 197, 200
III, 3	668
IV, 15	500
VII, 10	204
VIII, 1	193, 204
5	204
Eſ. I, 15	677
18	436
II, 2	423
4	659
65,	652
X, 17, 18	655
XIII, 8	654
XV, 1	481
9	ibid.
XVI, 8	488
18	474
XXIX 1, 2	488
7	ibid.
XXX, 24	592
Eſ. XXXIII, 12	603
XXXVI, 14	213
XXXVII, 3	430
XXXVIII, 6	208
XLII, 3	201
XLIII, 15, 16	482
XLVII, 14	213
LI, 17	593
22	ibid.
LIV, 1	425
LV, 5	666
LIX, 19	594
LXI, 4	654
LXII, 3	201
LXIII, 1	497, 601
2	118
3	118, 601
4	601
LXVI, 24	39
Ier. IV, 7	603
VIII, 2	646
XIII, 21	591
XVI, 16	668
XXI, 12	208, 212
XXII, 3	208, 212
XXIII, 27	666
XXXI, 6	430
16	415
32	655
XLIII, 10	479
XLVII, 22	494
XLVIII, 6	483
7	500
13	ibid.
21, 22	493
24	497
41	503
XLIX.	470
13	497
19	469
21	ibid.
23	483, 505
28	508

Ier.

Ier. LI, 5 665
Thren. IV, 6 627
7 426, 434, 436
21 468
Ezech. XIII, 21 212
XIV, 17 ibid.
20 ibid.
XXIII, 31 ſeq. 593
XXV, 13 469
XXVII, 11 479
18 511
XXX, 5 490
XXXIV, 10 212
XXXVI, 6 668
XXXVIII, 6 496
12 284, 595
XLI, 9 659
XLII, 13 441
XLIII, 19 ibid.
XLVII, 14 654
15 490, 504, 510
16, 17 507
XLVIII, 1 ibid.
Dan. I, 2 659
II, 40 664
III, 28 606
VI, 3 583
IX, 16 627
26 53
XI, 4 655
38 648
45 478
Hoſ. II, 19, 20 201
X, 6 485, 667
XI, 1 415
9 398, 400
Ioel IV, 14 507
Amos I, 5 505
13 497
IV, 11 208
IX, 11 399
Ion. I, 1 657
Mich. V, 2 591
Mich. V, 5 591
Nah. III, 17 426
Hab. II, 19 358
III, 7 485
Zeph. III, 9 596
Hagg. II, 13 37
Zach. III, 2 208
IV. 479
VII, 5 667
IX, 1, 2 504
16 594
XII, 2 593
Malach. I, 10 655
III, 4 399
Iudith VII, 4 489
VIII, 3 495
XV, 4 486, 487
1 Macc. III, 40 507
57 ibid.
IV, 14 507
V, 3 473
36 502
37-46 586
52 597
XII, 30 504
2 Macc. I, 27 9
Matth. II, 15 415, 417
17. 18 415
IV, 10 601
VII, 28 387
IX, 17 120
X, 4. 194
XI, 12 103
XXIV, 1 14
16 25
30 29
Marc. I, 22 387
X, 42 45
XII, 16 503
XIII, 1 14
XVI, 16 82
Luc. III, 1 471
V, 37, 38 120

Luc. XVI	196	Rom. XVI, 20	[illegible]
XXI, 5	14	1 Cor. I, 21, 22	19
16, 17	24	III, 4-6	ibid.
XXII, 15	30	22	ibid.
XXIV, 39	41	IV, 9	ibid.
44	418	11	ibid.
48	40	13	ibid.
49	32	V, 7	388
Jo. I, 28	491	VI, 17	199, 204
III, 3	402	XIII, 12	199
29	202	XV, 40	36
VII, 46	387	2 Cor. XI, 2	202
XVI, 14	656	XIII, 14	103
XIX, 15	55	Gal. IV.	389
16	54	3	424
XXI, 2	202	9	395
Act. I, 8	40	21-31	385 ſeq.
II, 3	32	Eph. I, 21	54
5	9	IV, 4	199
19	399	V, 22-33	200
27	38	XII, 22	399
V, 17	459	Col. I, 15	55
VI, 14	15	II, 15	ibid.
VII.	197	IV, 16	[illegible]
IX, 22	418	1 Theſſ. II, 14	29
XII, 6	132	16	15
XVII, 28	428	1 Tim. II, 4	11
XVIII, 28	418	V, 6	125
XXI, 34	22	2 Tim. IV, 6	6
37	ibid.	Tit. I, 16	15
XXII, 24	ibid.	III, 1	54
XXIII, 6	458	Philem. 25.	204
10	22	1 Pet. I, 1	8, 9, 28
16	ibid.	II, 17	55
32	ibid.	III, 20	388
XXIV, 14	418	2 Pet. III, 1	10, 28
XXV, 26	55	15	28
XXVI, 22	418	2 Jo. 12	199
XXVIII, 16	132	14	ibid.
Rom. I, 26, 27	18	Hebr. II, 3, 4	38
II, 4	11	IV, 1-3	33
IV, 19	390	11	ibid.
VIII, 38	55	14-16	ibid.

Hebr.

✡ ✡ ✡

Hebr. VII, 28	464
VIII, 1	33
IX, 24 ſeq.	20
X, 8	399
14	20
19	33
22-25	ibid.
30	ibid.
X, 34	6, 15
37	6, 15
XI, 11, 12	390
40	33
XII, 1, 2	ibid.
7	28
14	7
22, 23	402
26, 27	7
28, 29	33
XIII, 1	20
7	6, 7, 17, 30
9	7, 18, 26, 27
10	7, 18, 27, 33
Hebr. XIII, 11	21
12	7, 21
13	7, 33
14	6, 14, 18, 33
15	33
17	7
19	6, 17
23	6
24	6, 17
Jac. I, 1	8
Apoc. I, 5	53
8	72
10	78
11	72
16, 17	29
XIV, 10	593
20	118
XVIII, 6	593
XIX, 15	29
XXI, 6	78
XXII, 13	ibid.

INDEX II
RERUM NOTABILIORUM.

A.

In Academiam Ienenſem merita Lutheri deſcripta. 220 ſeq.
Acco, locus Palæſtinæ, deſcriptus. 472
Adiurandi ſummum Hebræorum Pontificem ante expiationem anniverſariam ritus deſcriptus. 442 ſeq.
Aegyptiorum liberatio per furtum Iſraelitarum fictum intelligenda. 206 ſeq.
In Aethici Coſmographia locus explicatus. 185
Alexander Severus Imp. Chriſtianorum ſacris per Gnoſticos initiatus. 57 ſeq.
- - - - - Chriſtianis inprimis fuit deditus. 57 ſeq.
Antiochia, urbs Syriæ, deſcripta. 476
Antoniæ arcis antiquitates illuſtratæ. 22
Antrum Ribarienſe, halitus noxios eructans, deſcriptum. 518 ſeq.
Apollinis & aliorum Deorum epitheta in numis. 146 ſeq.
Apuleii locus explicatus. 713
Aram-Naharaim, regionis, antiquitates illuſtratæ. 585
Aram-Zobæ, regionis, antiquitates illuſtratæ. 586
Arca, urbs Palæſtinæ, deſcripta. 480
Arcis Antoniæ antiquitates illuſtratæ. 22
De Arcuarii (Daphnæi) Apologia pro Polygamia ſingularia. 670 ſeq.
Ariel, Moabitarum civitas primaria, deſcripta. 480 ſq.
De Aſcetico quodam libro Hungarico ſingularia. 674

B. Baronii

✡ ✡ ✡

B.

Baronii (Caeſ.) Annales eccleſiaſtici ſomnio cuidam natales ſuos debent. 693 ſeq.
- - Annalium Tomi XI fata ſiniſtra. 695
- - ad Philippum III, Hiſp. Regem, rarior Epiſtola edita. ibid.
Bergii (Jo.) Epiſtola edita. 686 ſeq.
Berytus, Syriæ oppidum, deſcriptum. 490
Beth-abarah, locus ad Jordanem ſitus. 490
Bethania, locus Palæſtinæ, deſcriptus. 492
Bethlehemi urbis antiquitates illuſtratæ. 493 ſeq.
Biblus, urbs Phœnices, deſcripta. 496
Botros, urbs Phœnices, deſcripta. 498
Braunii (Io.) de Hebræis, ad quos Paulus miſit Epiſtolam, ſententia refutata. 4 ſeq.
Burmanni (Petri) emendationes locorum Ovidii ſub iudicium vocatæ. 534 ſeq. 544 ſeq. 730 ſeq. 744 ſeq.

C.

Cæſarea littoralis a Cæſarea Philippi diverſa. 499
Capelli (Lud.) de Hebræis, ad quos Paulus miſit Epiſtolam, ſententia vindicata. 4 ſeq.
Chamath, urbs Damaſco vicina. 504 ſeq.
Chavilah, locus in confiniis Amalekitarum. 508 ſeq.
De Cherbury (Eduardi Herberti) de religione gentilium liber ex numis illuſtratus. 138 ſeq.
Chriſtus quatenus apud Muhammedanos verbum Dei & filius Dei appelletur? 610 ſeq.
Clericus (Io.) notatus. 462
Conſules duos in Inſcriptionibus coniungendi quæ apud Romanos ratio? 568 ſeq.
Corbeienſium Traditionum Codex ineditus deſcriptus. 242 ſeq.

D. Deeſſe

* * *

D.

Deeſſe alicui rei, formula, quid notet? 795
Deficere lingua quomodo Ovidio dicatur? 728 ſeq.
- - verbum, caſum tertium regit. 737 ſeq.
Deorum gentilium epitheta in numis. 144 ſeq.
Diploma Corbeienſe Ludovici Imp. editum. 270 ſeq.
Domini nomen priſcis Romanis maxime inviſum. 42 ſeq.
Drakenborchii (Arn.) in emendandis Livii duobus locis conatus notatus. 162 ſeq.

E.

Epigrammata quædam Græca, a Ienſio pro anecdotis edita, explicata. 94 ſeq.
Eutropius emendatus. 564

F.

Faſti conſulares & emendati, & locupletati. 171 ſeq. 178 ſeq. 551 ſeq. 561 ſeq.
Feſſus pro ægroto uſurpatur Auctoribus antiquis. 730 ſeq.
Feſti locus explicatus. 567
Flori locus explicatus. 721
Frontinus emendatus. 565
- - explicatus. 571
Furtum Iſraelitarum fictum de liberatione Iſraelitarum intelligendum. 206 ſeq.

G.

Gellii locus explicatus. 568 ſeq.
Gemma, Alexandrum Severum Imp. repræſentans, illuſtrata. 68 ſeq.
Geographiæ mathematicæ, eiusque practicæ, reformandæ conſilia. 272 ſeq.
Gnoſtici Alexandr. Severo Imp. in addiſcendis Chriſtianæ religionis præceptis fuere magiſtri. 66 ſeq.

Gro-

✡ ✡ ✡

Gronovii (Io. Frid.) præpoſtera locorum Livii duorum emendatio. 162 ſeq.

H.

Haſii (Io. Matthiæ) methodus tabularum geographicarum emendata. 291 ſeq.
Hadwi, Abbatiſſa Herifordenſis, Carolo Calvo tertio quartoque cognationis gradu coniuncta fuit. 268 ſeq.
Harduini (Io.) de Hebræis, ad quos Paulus dedit Epiſtolam, ſententia refutata. 27 ſeq.
Hebræi, ad quos Epiſtolam miſit Paulus, an per totum orbem ſparſi, an ſoli Hieroſolymitani, fuerint? 3 ſeq.
Ad Hebræos Epiſtolæ Auctor quis? 2 ſeq.
Hebraicæ quædam Grammaticæ correctæ & amplificatæ. 620 ſeq.
Heinſii (Nic.) emendationes locorum Ovidii ſub iudicium vocatæ. 536 ſeq. 543 ſeq. 728 ſeq.
De Heumanni (C. A.) emendatione loci Ovidiani iudicium. 546
Horatii locus explicatus. 719 ſeq.
De Hoſii (Stanislai) Iudicio de iudicio Heidelbergenſium Tigurinorumque miniſtrorum ſingularia. 776 ſeq.

I.

Ida, Duciſſa, quæ fuerit? 257 ſeq.
In Ienenſem Academiam merita Lutheri deſcripta. 220 ſeq.
Ienſius (Io.) Epigrammatum Græcorum editor, paſſim notatus. 94 ſeq.
Inſcriptiones antiquæ explicatæ. 183 ſeq. 187. 557
De Iove Vicilino coniectura critica. 313 ſeq.
Iovis epitheta in numis. 144
Iunonis epitheta in numis. 145

L. Livii

* * *

L.

Livii loca duo a Criticorum coniecturis vindicata. 162
- - de Iove Vicilino locus explicatus. 319 ſeq.
Livius explicatus. 565 ſeq.
Lucani locus explicatus. 716
Ludovici Imp. Diploma Corbeienſe editum. 270 ſeq.
Lutheri in Academiam Ienenſem merita deſcripta. 220 ſeq.
- - effigies Jenæ aſſervata. 239
De Lutheri ſcriptis varia. 233 ſeq.
Lampridii locus illuſtratus. 57. 63

M.

Mergere Auctoribus antiquis cum præpoſitione in conſtruitur. 540
Miniſterialium doctrina illuſtrata. 254
Monogramma Chriſti in gemma antiqua explicatum. 72
Muhammedani quatenus Chriſtum verbum Dei & filium Dei appellent? 610 ſeq.
Muſa (Antonius) quis fuerit? 229

N.

Naviſragus, vocis, vera vis explicata. 539
Naziræorum apud Iudæos dignitas deſcripta. 426 ſeq.
Ex Nottis (Stephani) liber remiſſionis a culpa & pœna ſingularis. 681 ſq.
Numi, religionem veterum gentilium illuſtrantes. 138 ſeq.
Numus quidam antiquus probabiliter ad gentem Thoriam relatus. 174

O.

Oſculum Dei quantum conferat ad vitam & mortem beatorum? 193 ſeq.
Ovidii loca duo emendata. 527 ſeq.
- - alia duo loca emendata. 726 ſeq.

P. Pa.

* * *

P.

Palæſtinæ urbium & vicorum nova recenſio. 465 ſeq.
De Pallavicini Card. Hiſtoria Concilii Tridentini ſingularia. 679 ſeq.
De Participii præteriti Romani uſu animadverſiones criticæ. 707 ſeq.
Perſtare, vocis, ſignificatio explicata. 368
Picturarum in iudiciis Romanorum uſus. 511 ſeq.
Ponderum quorundam veterum ratio explicata. 172
Principis nomen apud veteres Romanos quibus inprimis datum? 44 ſeq.
Pſalmorum nova translatio adornanda. 578
Pſalmus Davidicus LX Commentario explicatus. 577 ſeq.

Q.

Quintiliani aliquot loca illuſtrata. 511 ſeq.
- - duo loca emendata. 555 ſeq.

R.

De Raynaldi (Odorici) Annalium Eccleſ. Tomo nono ſingularia. 704 ſeq.
Reiicere rem, vel homines, ad aliquem, formula, illuſtrata. 165 ſeq.
- - an abſolute dici poſſit? 163 ſeq.
Reinhardus (Martinus) primus ſacrorum, a corruptelis repurgatorum, apud Jenenſes miniſter. 228
Relandi (Hadriani) recenſio urbium & vicorum Palæſtinæ multis modis locupletata. 465 ſeq.
Religio veterum gentilium ex nummis illuſtrata. 138 ſeq.
Reſurrectio Chriſti ex Pſalmo XVI probata & vindicata. 36 ſeq.
Ribarienſe antrum, halitus noxios eructans, deſcriptum. 518 ſeq.
Ridere, verbi, vis explicata. 536

Sca-

* * *

S.

Scaligeri (Joſ.) Carmina noctu in lectulo ſine lucerna facta. 683
De Scaligeri (Jul. Cæſ.) Exercitationibus de Subtilitate ſingularia. 685 ſeq.
Scheckii (Iac.) de I. C. Scaligero iudicium. 689 ſeq.
Schmidii (Seb.) interpretatio Pſalmi LX ſub iudicium vocata. 608 ſeq.
Schwartzius (Jo. Conr.) ſuæ cauſæ adverſus Anonymum patronus & vindex. 103
Sfortiorum Principum hiſtoriam complexi libri cuiusdam fata ſingularia. 678 ſeq.
Sigilla Germanorum varia deſcripta. 255
Siparium Quintiliani explicatum. 514 ſeq.
Suppreſſum palatum an ſatis recte dicatur? 730
Suppreſſus, vocabuli, notiones variæ. 732 ſeq.

T.

Taciti locus explicatus. 711
Thoria gens in numo antiquo. 174
Traditionum Corbeienſium Codex ineditus deſcriptus. 242 ſeq.

V.

Valerii Maximi loca tria emendata. 365 ſeq.
Velleius Paterculus emendatus. 564
Vicilinus, cognomentum Iovis, explicatum. 313 ſeq.
Vicorum olim Dii qui fuerint? 326 ſeq.
Virgilii loca explicata. 714. 717. 718
Unicus, vocis, rarior notio. 746 ſeq.
Unus, vocis, notio ſingularis. 745 ſeq.
Ad Voſſii Artem grammaticam Obſervationes criticæ. 707 ſeq.

W.

Wæhneri (Andr. Georg.) explicatio dicti Paulini refutata. 385 ſeq

* * *